




LUDOLFI
Historia
Æthiopica
Cum Fig.








J v der Hoeven

1827



IOBI LUDOLFI
alias Leut-holf dicti

HISTORIA ÆTHIOPICA,

Sive

Brevis & succincta descriptio


REGNI HABESSINORUM,

Quod vulgò malè PRESBYTERI IOHANNIS vocatur.

In qua LIBRIS QUATUOR agitur

I. De natura & indole regionis & incolarum.
II. De Regimine politico, Regum successione &c.
III. De statu Ecclesiastico, initio & progressu religionis Christianæ &c.
IV. De rebus privatis, literaturâ, œconomiâ, &c.

Cum Tabulâ Capitum, & Indicibus necessariis.



Francofurti ad Mœnum
Prostat apud JOH. DAVID ZUNNER.
Typis BALTHASARIS CHRISTOPHORI WUSTII Sen.
A. S. C. cIↄ Iↄc LXXXI.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, SACR: ROM: IMP:

ARCHICAMERARIO ET ELECT:RI, SUPREMO PRINCIPI BORUSSIÆ,

DUCI MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VENEDORUM, CROSNÆ, ET CARNOVIÆ, BURGGRAVIO NORIBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADIENSI, MINDENSI, CAMINENSI, COMITI HOHENZOLLERANI, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DOMINO RAVENSTEINII, TERRARUM LAVVENBURGI ET BUTOVII, &c. &c. &c.

JOBUS LUDOLPHUS, S. P. D,





EX quo legationibus Ducum Saxoniæ apud *Serenitatem Tuam* defunctus ſum, maxima Tua in Rempublicam merita, & ſummas virtutes, quibus clariſſimos hujus Seculi Reges & Principes æquaſti, nonnullos etiam ſuperaſti, venerabundus ſemper mecum reputavi; nondum tamen occaſionem habui, eas quas ipſe vidi & expertus ſum, publicè celebrandi & extollendi. Etenim inſignis iſta humanitas & cum magnitudine animi conjuncta comitas, quâ omnium animos tibi devincis: munificentia erga benè merentes: æſtimatio doctorum virorum & favor erga bonas artes immortalem tibi laudem pariunt, ut omnes, quibus *Serenitatem Tuam* videre & alloqui contingit, TE (ſicut quondam Germanicum Cæſarem,) viſuque & auditu juxta venerabilem prædicent. *Tac. Ann 2. 27.* De me lubentiſſimè fateor me nunquam à *Serenitate Tua* ſine admiratione receſſiſſe; ſive enim de rebus publicis ſermones ſererentur, ſingularem prudentiam: de belli pacisque artibus, raram experientiam: de ærarii atque fiſci adminiſtratione, (quod munus aliquot annis & apud Sereniſſ: Elect: Palatinum & apud Erneſtum Saxoniæ &c. Ducem, piè defunctos, geſſi) exactum judicium: denique in omnibus, quæ toto orbe egregia atque præclara ſunt, eximiam cognitionem oſtendiſti atque audientibus omnibus probaſti. Sanè rei literariæ

magnum

magnum Patronum Te ſemper præſtitiſti, nam ut taceam Bibliothecam Tuam exoticis aliisque rarioribus libris inſtructisſimam, quam ſæpius hortatu *Serenitatis Tuæ* viſitavi, notiſſimum orbi literato eſt, quàm benevolum atque munificum promovendis eruditorum ſtudiis Te exhibueris. Ad hæc ipſe teſtari poſſum, quàm comiter me de rebus Æthiopicis diſſerentem audiveris. Et quàm clementer acceperis, quæ de Caſtrorum metatione, apud Habeſſinos optimè ordinatâ, juſſu *Serenitatis Tuæ* in Caſtris circa Stetinum Anno 1676. ſcripto conſignaveram. Cum ergò & illa, & multa alia de Chriſtiana Habeſſinorum gente curioſitate tuâ non indigna congeſſerim, & paucis ab hinc annis titulo Hiſtoriæ Æthiopicæ publicaverim, viſum mihi fuit illam *Serenitati Tuæ* ſubmiſſè offerre; non quidem eo fine, quem plerique ſibi propoſitum habent, qui fœtus ingenii ſui magnatibus dedicant aut inſcribunt, ut ſcilicet beneficia quædam, aut præmia ab illis promereantur: ſed potius ob accepta beneficia, mihique exhibitum clementiſſimum favorem, ut quoddam animi grati ſignum, & officioſæ meæ erga *Serenitatem Tuam* reverentiæ documentum in Bibliotheca Tua extaret. Id unicum eſt quod intendo, enixè orans, ut benignitatem, quam præſens expertus ſum, etiam erga abſentem continuare, mihique perpetuò propitius eſſe velis. Vale Domine Clementiſſime, Deus O. M. *Serenitatem Tuam* diu ſalvam atque incolumem nobis ſervet! Dabam Francofurti ad Mœnum Calendis Julii. A. S. cIɔ Iɔc LXXXV.

J. Ludolfus Benevolo Lectori S.

PRodit nunc tandem *Historia* mea *Æthiopica*, dudum ab amicis exſpectata, dudum promiſſa. Moram non mirabitur, quisquis continuos meos labores & functiones publicas, ab hoc ſtudiorum genere utique alieniſſimas, noverit. Suberant & aliæ cauſæ plurimæ. Nam ſummam quidem rerum ex *Gregorii Habeſſini* dictis & ſcriptis jam diu collegeram: ſed circumſtantiæ temporum atque locorum: nec non perſonarum nomina ſæpe deerant; ita tanquam ad ædificium materies & cæmenta ſuppetebant: calx deficiebat. Adhæc, poſt tot fabulas, aliud & novum quid unius tantùm viri fide tradere, (ut in Procœmio monui) inconſultum videbatur; ne nova veritas pro novâ fabulâ haberetur. Poſtremo *P. Balthaſarem Tellezium* nactus, ea, quibus carebam, ex illo ſupplere, & quæ incerta videbantur, confirmare poteram, ſed otio egebam. Id cùm *Sereniſſimi Duces Saxo-Gotani* honorificâ miſſione mihi benignè indulſiſſent, familiam meam *Francofurtum ad Mœnum* transtuli, ut in nobili hac civitate, (ubi *prudentiſſimi Senatus* favore multis claris viris pro commoditate ſuâ vivere permittitur) inter inſignes aliquot *Bibliothecas*, ſtudiis eò tranquilliùs vacarem: *literarumque* per omnes Orbis partes *commercio*, & honeſtâ converſatione fruerer: atque ſic Opus meum ad optatam tandem metam perducerem: quod, Deo propitio, *ſex menſium ſpatio* præſtiti.

Sed ad editionem operis multa rurſus deſiderabantur; doctus & idoneus *amanuenſis*, qui illud typothetis deſcriberet, & impreſſioni Operis invigilaret; id enim negotia mea mihimet non permittebant: deinde *characteres peregrini*, ad hoc Opus neceſſarii, non dabantur. Verùm & hæc impedimenta ſenſim ſublata fuerunt. Commendatus enim mihi fuit Vir juvenis, eruditione & probitate præſtans, *Johannes Henricus Majus* S.S. Theologiæ & Linguarum Orientalium ſtudioſus; qui, quoniam Hebraicæ Linguæ & Rabbinorum dialecti peritiſſimus erat, nullo negotio apud me Æthiopicam addidicit, ut labori deſtinato brevi par fie-

 ret.

ret. Ille ergo, me dirigente, *breviaria capitum*, (ſummaria vocant) *commata* ſive *ſectiones*, *Indices*, Latinum & Æthiopicum, & ſimilia fecit: Operas juvit & urſit: *correctionem* totius operis in ſe recepit; ut propterea illum omnibus bonis meritò commendare poſſim. Edidit etiam ex Opere meo antequam perficeretur, Inſtitutiones Catecheticas Habeſſinorum L. III. c. 5. n. 89. ſed me abſente, & ingenii ſui ſponte, ut Æthiopiſmi ſtudioſi materiam exercitii haberent, ſimulque profectus ejus in Æthiopicis viderent.


Impresſionem ſuſcepit *Balthaſar Chriſtophorus Wuſtius*, ob typographiam, variarum linguarum typis inſtructisſimam, etiam inter exteros notus; qui per ſculptorem egregium *Johannem Adolfum* Schmidt / literas tam Æthiopicas quam Amharicas chalybi inſculpi & dein fundi curavit. Illæ verò tam citò perfici non potuerunt, ac typothetæ requirebant, quam ob cauſam veteres quædam minimè elegantes, novis elegantioribus miſcendæ fuerunt, ut periti illarum facilè animadvertent.

De *Opere ipſo* ſatis in prooemio dixi; nævos & defectus ejus nemo me meliùs agnoſcit. Quapropter editionem differre decreveram, donec recentiores & pleniores relationes ex ipsâ Æthiopiâ: vel adjacentibus regionibus acciperem, magnis, iisque clementisſimis commendationibus ad id inſtructus, quo tandem Opus elaboratisſimum & politisſimum aliquando prodiret. Sed interceſſerunt multi *illuſtres viri & cordati amici*, (quos in commentario cum reliquis, qui me ope, conſilióve juverunt, cum debitâ laude nominaturus ſum) *nihil uſpiam omni ex parte perfectum extare*, dictitantes: *Chriſtianum & literatum Orbem, cujus intereſſet talia ſcire, hiſtoriam hanc diutiùs celandam non eſſe; poſſe enim, ſi quid notatu dignum occurreret, in appendicem referri: vel iteratæ editioni addi.* Igitur veniam ab æquo lectore ſpero, ſi non usquequaque deſiderio illius ſatisfactum fuerit. Etenim facta refero, non oculis meis ſpectata, ſed lecta tantùm, vel ex aliis audita, veritati tamen congruentia, & bene inter ſe cohærentia. Si quà fortè autorum meorum mentem non ſatis aſſecutus fuero, monitus emendabo: vel modeſtè monenti gratias maximas habebo. *Omnibus placere, quod nemini mortalium unquam contigit*, nemo prudens à me exegerit: nec ego ſperare auſim. Propoſitum quidem

dem mihi fuit, neminem lædere, ſed moderationi ubique ſtudere. Si quis tamen iraſci velit, non mihi, ſed autoribus meis iraſcatur. Erunt, credo, qui putabunt, me in cauſa Religionis *plus* dicere potuiſſe: erunt, qui *minus:* ego certe maluiſſem, *nihil omnino.* tam ingratæ mihi ſunt Chriſtianorum inter ſe de Religione altercationes; maximè ubi vim & arma intervenire video. Qui enim putant charitatem & dilectionem mutuam ſuæ tantùm ſectæ hominibus deberi, næ illi à ſcopo perfectionis Chriſtianæ, ſecundùm Chriſti ejusque Apoſtolorum præcepta, procul aberrant.

Non mihi, neque gloriæ meæ, in tantâ ingeniorum fertilitate, hodiè paratu difficillimæ, velificatus ſum. *Reipublicæ Chriſtianæ* & *literariæ*, fortaſſis etiam *perantiquæ Habesſinorum nationi*, licet poſt mea fata, pro tenuitate meâ prodeſſe, anniſus ſum. Sed valde dolui, tantam cum Luſitanis diſcordiam intercesſiſſe, ut omnes Europæi hoc tempore illis ſuſpecti, & aditus præcluſi ſint. Quin multo magis doleo, inter ipſos Chriſtianos Occidentis tot tantasque dari ſimultates, ut, rebus ſic ſtantibus, nullum neque conſilium neque auxilium dari poſſit, quo *Orientis Eccleſiæ* ſublevari & reſtitui: *Barbari* verò, atque *gentiles idololatræ* ſæviſſimi, reprimi & coerceri poſſint.

Deus Ter Opt. Max. pacis dator & autor propitius nobis ſit: Eccleſiam ſuam, per totum Orbem ſparſam, defendat & protegat: injuſta conſilia impediat, juſta verò ſecundet, in nominis ſui gloriam & humani generis ſalutem.



Monitum autoris

Pro Bibliopolis & Bibliopegis.

COmmentarium, qui numeris in textu significatur, perficere nondum potuimus: nec Chalcographus tabulas Geographicas, aliasque imagines operi inserendas, absolvere quivit. Interim Bibliopolæ non consultum visum, distractionem & venditionem operis propterea differre; ita tamen, ut nullam aliam sumtuum rationem inierit quàm in præsentem librum factorum. Commentarius, ut & imagines brevi secuturæ, seorsim vendentur & solventur. Interim mihi persuadere non possum, quenquam contra tenorem privilegiorum ausurum, opus hocce sive clam rursus edendo: sive abbreviando: sive in alias linguas vertendo mutilare; id enim ob defectum peregrinarum & genuinarum literarum necessariò faciendum, & sensus ubique mutandus & corrumpendus esset. Facilè autem prudentes Bibliopolæ imaginari sibi poterunt, se falcem suam in alienam messem hoc pacto immittendo, oleum & operam perdituros; cum ipsi bene intelligant, libris, qui vivis autoribus, at nescientibus ac nolentibus illis imprimuntur, facillimè omnem fidem & æstimationem demi, eosque in ipso partu suffocari posse. Si verò cuipiam animus sit novam operis mei editionem adornare, ei communicato mecum consilio rationem ostendam, quo pacto id tutò sine metu pœnæ & damni fieri, opusq; meum multo plenius & auctius in lucem prodire possit; recentiores enim relationes de Habessinis ex Lusitaniâ & Angliâ, ut & ex Oriente, quotidiè exspectamus.

Vor die Buchbinder wegen der Kupffer.

Compactores verò *librorum* diligenter observabunt, ut locis infra notatis chartulas duplices, ut in tabulis Geographicis moris, insuant, quo tabulas æri incisas inserere atque agglutinare possint. Sunt autem sequentes:

Libro I.

Post cap. IV. ante cap. 5. Tabula Chorographica Habessiniæ duplex, Latina & Æthiopica ut & Africa ipsa.

Cap. IX. ante cap. 10. Figura herbæ & fructus Mauz, qui est Hebræorum Dudaim.

Cap. X. n. 14. Effigies ovium caudas adiposas in plostello trahentium.

Ibid. n. 23. Elephantorum grex, qui stragem in sylvis edit.

Ibid. n. 52. Simiarum greges, per rupes & campos oberrantes.

Ibid. Figura Cercopitheculorum.

Cap. XI. Effigies Hippopotami duplex, extra aquam & in eâ.

Libro II.

Cap. VII. in fin. Tabula Genealogica Regum Æthiopiæ Æthiopicè & Latinè.

Libro III.

C. VI. n. 73. Imago Sarcophagi marmorei cum repræsentatione areæ Eucharisticæ.

Cap. XIV. n. 24. Imago Capucinorum à Turcis capite truncatorum secundùm prototypum Italicum.

Libro IV.

Cap. I. n. 14. Syllabarium Æthiopicum, quod hîc pagina sequente vides.

Syl-

Syllabarium Æthiopicum

In ſeptem ordines ſecundum ſeptem vocalium ſonos diviſum,

Ad Lib. IV. c. 1. n. 14. ſpectans.

Hoi	ሀ *ha*	ሁ *hu*	ሂ *hi*	ሃ *ha*	ሄ *he*	ህ *hε*	ሆ *ho*	ה	
Lawi	ለ *la*	ሉ *lu*	ሊ *li*	ላ *la*	ሌ *le*	ል *lε*	ሎ *lo*	ל	
Haut	ሐ *ha*	ሑ *hu*	ሒ *hi*	ሓ *ha*	ሔ *he*	ሕ *hε*	ሖ *ho*	ח	
Mai	መ *ma*	ሙ *mu*	ሚ *mi*	ማ *ma*	ሜ *me*	ም *mε*	ሞ *mo*	מ	
Saut	ሠ *ſa*	ሡ *ſu*	ሢ *ſi*	ሣ *ſa*	ሤ *ſe*	ሥ *ſε*	ሦ *ſo*	ס	
Rees	ረ *ra*	ሩ *ru*	ሪ *ri*	ራ *ra*	ሬ *re*	ር *rε*	ሮ *ro*	ר	
Sat	ሰ *ſa*	ሱ *ſu*	ሲ *ſi*	ሳ *ſa*	ሴ *ſe*	ስ *ſε*	ሶ *ſo*	ש	
Kaf	ቀ *ka*	ቁ *ku*	ቂ *ki*	ቃ *ka*	ቄ *ke*	ቅ *kε*	ቆ *ko*	ק	K. Æth.
Bet	በ *ba*	ቡ *bu*	ቢ *bi*	ባ *ba*	ቤ *be*	ብ *bε*	ቦ *bo*	ב	
Tawi	ተ *ta*	ቱ *tu*	ቲ *ti*	ታ *ta*	ቴ *te*	ት *tε*	ቶ *to*	ת	
Harm	ኀ *ha*	ኁ *hu*	ኂ *hi*	ኃ *ha*	ኄ *he*	ኅ *hε*	ኆ *ho*	ח	
Nahas	ነ *na*	ኑ *nu*	ኒ *ni*	ና *na*	ኔ *ne*	ን *nε*	ኖ *no*	נ	
Alph	አ *a*	ኡ *u*	ኢ *i*	ኣ *a*	ኤ *e*	እ *ε*	ኦ *o*	א	
Qaf	ከ *qa*	ኩ *qu*	ኪ *qi*	ካ *qa*	ኬ *qe*	ክ *qε*	ኮ *qo*	כ	
Wawe	ወ *wa*	ዉ *wu*	ዊ *wi*	ዋ *wa*	ዌ *we*	ው *wε*	ዎ *wo*	ו	
Ain	ዐ *a*	ዑ *u*	ዒ *i*	ዓ *a*	ዔ *e*	ዕ *ε*	ዖ *o*	ע	
Zai	ዘ *za*	ዙ *zu*	ዚ *zi*	ዛ *za*	ዜ *ze*	ዝ *zε*	ዞ *zo*	ז	Z. Gall.
Jaman	የ *ja*	ዩ *ju*	ዪ *ji*	ያ *ja*	ዬ *je*	ይ *jε*	ዮ *jo*	י	Y. Gall.
Dent	ደ *da*	ዱ *du*	ዲ *di*	ዳ *da*	ዴ *de*	ድ *dε*	ዶ *do*	ד	& Angl.
Geml	ገ *ga*	ጉ *gu*	ጊ *ghi*	ጋ *ga*	ጌ *ghe*	ግ *ghε*	ጎ *go*	ג	
Tait	ጠ *ta*	ጡ *tu*	ጢ *ti*	ጣ *ta*	ጤ *te*	ጥ *tε*	ጦ *to*	ט	T. Æth.
Pait	ጰ *pa*	ጱ *pu*	ጲ *pi*	ጳ *pa*	ጴ *pe*	ጵ *pε*	ጶ *po*	פ	P. Æth.
Zadai	ጸ *tza*	ጹ *tzu*	ጺ *tzi*	ጻ *tza*	ጼ *tze*	ጽ *tzε*	ጾ *tzo*	צ	Tz. Æth.
Zappa	ፀ *tza*	ፁ *tzu*	ፂ *tzi*	ፃ *tza*	ፄ *tze*	ፅ *tzε*	ፆ *tzo*	צ	tz. Æth.
Af	ፈ *fa*	ፉ *fu*	ፊ *fi*	ፋ *fa*	ፌ *fe*	ፍ *fε*	ፎ *fo*	פ	
Pſa	ፐ *pa*	ፑ *pu*	ፒ *pi*	ፓ *pa*	ፔ *pe*	ፕ *pε*	ፖ *po*	פ	

Specimen diphthongorum, quæ haberi potuerunt.

ቈ *kua*	ቋ *kua*	ቌ *kue*	ቍ *kuε*
	ኋ *hua*	ኌ *hue*	ኍ *huε*
ኰ *qua*	ኳ *qua*		ኵ *quε*
ጐ *gua*	ጓ *gua*	ጔ *gue*	ጕ *guε*

Specimen notarum numericarum, quæ à Græcis deſumtæ ſunt.

፩: Α. 1. ፫: Γ. 3. ፬: Δ. 4. ፰: Η. 8.
፲: Ι. 10. ፷: Ξ. 60. ፻: Ρ. 100. &c.

Speci-

Sh Angl.	ሸ *sha*	ሹ *shu*		ሻ *sha*	ሼ *she*	ሽ *shε*	
Tj Hung.	ቸ *tja*					ች *tjε*	
ñ Hiſpan.						ኝ *njε*	
Ch Germ.	ኸ *hha*			ኻ *haa*			ኾ *hho*
J Gall.	ዠ *ja*		ዢ *ji*	ዣ *ja*			ዦ *jo*
D Bohem.	ጀ *đja*					ጅ *đjε*	
Cia Ital.	ጨ *tsha*	ጩ *tshu*	ጪ *tshi*	ጫ *tsha*	ጬ *tshe*	ጭ *tshε*	

Pronunciatio literarum Æthiopicarum & Amharicarum valde difficilis & abſona prorſus eſt, ut in Grammatica noſtra cap. I. & III. docuimus, eoque ſtudioſum lectorem remittimus. Quippe pronunciatio literarum Æthiopicarum ቀ: *ka*: ጠ: *ŧa*: ጰ: *p̱a*: & ጸ: ſive quod idem eſt ፀ: *tz̨a*: ineffabilis eſt Europæis omnibus, nec diſci poteſt niſi auditu. In casſum ſanè laborant illi, qui valorem literarum deſcriptione quantumvis laborioſisſimâ & prolixisſima doceri poſſe putant. Inter Amharicas tres peregrinum & ignotum ſonum habent, veluti ጨ: *є*. ቸ: *ŧ*. ጀ: *đ*. poſteriores duas tamen à Bohemis & Hungaris, ſi bene memini, pronunciari audivi. Poſtremo vocalium ſonus planè horridus & obſcurus eſt, & à faucibus noſtris prorſus abhorrens, ut Lib. I. c. 15. n. 39. docuimus; *a* enim, quod propterea transversâ lineâ ſignavimus, & ε ſexti ordinis, tam obſcurum ſonum habent, ut audientem ferè terreant, prout in Grammatica noſtra fuſiùs expoſuimus, quæ cum Lexico proſtat hîc apud J. D. Zunner.

Explicatio notarum & numerorum, quæ in hoc libro occurrunt.

P.B.T. Pater Balthaſar Tellez.
P.P.P. Pater Petrus Pays.
L.c.n. Libro, capite, numero. Nam prior numerus ſemper librum, ſecundus caput, tertius numerum, ſectionem vel verſum, ut vulgò vocant, denotat.
N.G. Nicolaus Godignus, P. Soc. J. de rebus Abasſinorum.
Greg. Gregorius natione Habeſſinus, à quo illa omnia proficiſcuntur, quæ alium autorem in rebus facti non habent.
Numeri in textu Commentarium ſecuturum reſpiciunt.
Numeri marginales Concordantiæ, ut vocantur, hujus hiſtoriæ ſunt, primus librum, ſecundus caput, tertius ſectionem indicat.

CAPITA HISTORIÆ ÆTHIOPICÆ *Sive* REGNI HABESSINORUM

In gratiam lectorum amplificata, quo de summa totius libri eo melius constet.

LIB. I.

PRoœmium continet *scriptores* quosdam præcipuos de rebus Habessinorum, quos autor hujus historiæ vel sequitur, vel improbat; quâ occasione *Gregorii* Habessini, quem ERNESTUS Saxon. Dux p. m. Gotam vocavit, mentio fit: additur *Argumentum* totius Tractationis & *dispositio* libri.

CAP. I. De variis Habessinorum *nominibus* & gentis *origine* ex Arabia felici.

CAP. II. De Habessiniæ vero *situ* & *finibus*, ut & *vicinis* circumcircà Regnis atque regionibus.

CAP. III. De divisione Habessiniæ in diversa *regna* & *regiones*, quæ sigillatim recensentur ex ore & scriptis Gregorii: quæque *Negus* adhuc hodie possideat.

CAP. IV. De *tabula* Habessiniæ *Chorographicâ* vulgari & autoris *nova*; additur consilium de concinnando quodam *Alphabeto Geographico* universali.

CAP. V. De *cœli natura* & aëris temperie: tempestatibus: *tribus* non quatuor *anni temporibus*: *ventis* stupendis, & similibus meteoris.

CAP. VI. De Habessiniæ *montibus* celsissimis & *mirabilis figuræ* rupibus, earumq; utilitate & commodis: cum primis de rupibus *Amharæ*, *Geshen* & *Ambaçel* dictis, in quibus olim Regum Æthiopiæ filii custoditi.

CAP. VII. De *Metallis* & *Mineralibus*: privatim de sale fossili & *Stibio*, quibus oculos in Oriente tingunt.

CAP. VIII. De *fluminibus* Habessiniæ, speciatim de *Nilo*, ejusque veris *fontibus* & *cursu*: quod *Niger* sit alveus & pars Nili: an *diverti* possit, ne in Ægyptum fluat: ut & de *lacu Tzanâ* in Tabulis Barcena.

CAP. IX. De *fertilitate* Soli in genere: duplici vel triplici *messe*: nec non de *vegetabilibus* & *plantis*: in specie de *Psyllis*, quod *virtus* venenis medendi non naturalis sed *artificialis* fuerit.

CAP. X. De animalibus *quadrupedibus*, speciatim de *Taurelephantis*: jure hospitii *Elephantorum*:

 ani-

LIB. II.

De Regimine Politico.

LIB. III.

De rebus Eccleſiaſticis Habeſſinorum.

ritus à *Judaicis* derivatos: multas etiam *primitivæ* Ecclesię cerimonias apud Habesſinos adhuc durare. De *templis* Æthiopum & *ſanctuario* in medio eorum: de *Baptiſmo*, & unde nomen *ſuſceptorum*: de *ſtigmate*: *anniverſario lavacro*: *Confeſſione* generali, & dolorifica *abſolutione* à peccatis. De *Euchariſtia* & uſu ARCÆ loco lapidis ſacrati, unde ortum habeat. De *altaribus* veterum portatilibus & arcuatis. De *Reliquiis*: *Pane* fermentato, & *Vino* ex uvis pasſis expreſſo. *Complauſu* & *exſultatione* in Eccleſiis uſitatâ. De *jejuniis*: *Feſtis*: *Calendario*: ritibus *nuptialibus* & *funeralibus*.

CAP. VII. De conſtitutione & formâ *Regiminis* Eccleſiaſtici: *Metropolitâ* Alexandriâ in Habesſiniam miſſo: miſerrimo Eccleſiæ Coptæ ſtatu. De *Patriarchis Româ* in Æthiopiam misſis. De *Præpoſitis*, *Canonicis* & *Clericis*, eorumque matrimoniis licitis.

CAP. VIII. De ſecesſione Habeſſinorum ab Eccleſiâ *Græcâ* occaſione concilii *Chalcedonenſis*, cujus acta aliter ab Habesſinis referuntur. Damnant *Eutychetem*, & tamen *Dioſcorum* defendunt & laudant; ita comparata videtur de *duabus naturis* in Chriſto controverſia, ut de verbis magis, quàm de re lis ſit.

CAP. IX. De contentione, quæ Habesſinis intercesſit cum *Eccleſiâ Romanâ*, præſertim cum *Patrib. Societatis Jeſu*, qui hujus Regni reductionem ſibi peculiariter ſumſerunt. De *Patriarcha* illorum ſuperiori ſeculo in Æthiopiam miſſo; qui fruſtra habitis *diſputationib.* re infectâ moritur.

CAP. X. De novâ *miſſione*, illiusque ſucceſſibus, qui feliciores fuerunt Patribus Soc. eò quòd *P. Petrus Pays* cum ſodalibus ſuis *Zadenghelum*: & tandem *Susneum* Reges ita devinxit, ut *Pontificem Romanum* pro Vniverſali Eccleſiæ Epiſcopo agnoſcerent. De diverſis colloquiis ſuper *duabus* in Chriſto *naturis*. De *certaminibus chartaceis*, quibus prælude-batur certaminibus cruentis. *Metropolitæ* Habesſinici primò querelæ, deinde *excommunicationes*. Tandem defectiones aliæ poſt alias, nempe *Ælii*, Generi Regis, *Jonaëlis*, *Damotenſium*, & *Filii Cabraëlis*; ubi multa memorabilia contigerunt.

CAP. XI. De adventu *Patriarchæ Romani* in Habesſiniam, ejusque itinere moleſtisſimo: & exceptione in aulâ. De Regis totiusque aulæ *juramento* ſummo Pontifici præſtito. De *domiciliis* Patrum: de *Comœdia* ab illis habitâ, cujus larvæ terruerunt Habesſinos. De defectione *Tecla-Georgii* Regis generi. Patriarchæ *Mendezii* autoritas & favor imminuitur: *Alexandrinorum* contrà *Laſtenſium* defectione & vi revireſcit.

CAP. XII. De *Religionis Romanæ* decrementis, alienato à Patribus Regis animo, & exinde ſecutâ *Religionis Alexandrinæ* reſtitutione, effuſo populi *gaudio*, & in Patres

LIB. IV.

De privatis Habessinorum rebus, & in specie de Oeconomicis.

NO-

NOMENCLATOR AVCTORVM ET SCRIPTORVM,

In hoc Opere citatorum, laudatorum, illustratorum, emendatorum.

Modum inquirendi ex Indice Latino pete.

Mat-

Loca S. Scripturæ præsertim Æthiop.allegata vel illustrata.

JOBI



INSIGNIA REGIS REGUM ÆTHIOPIÆ
VICIT LEO DE TRIBU JUDA
JOBI LUDOLFI
HABESSINIA Seu ABASSIA
PRESBYTERI JOHANNIS REGIO
perperam dicta
ad exemplum Tab. Chorographicæ
P. BALTH. TELLEZII
quanta fieri potuit diligentia formata
correctis multis nominibus
male scriptis:
plurimisq locis passim insertis
ex GREGORII HABESS:
fidâ relatione,
illorum situ non ubiq æque certo.
ANNO CHRISTI MDCLXXXIII;
Notarum explicatio.
Monasterium
Sedes Pp Societatis Residentiam vocant.
Metropolis s. sedes Proregis
G. Gentis nomen
I. Insula
M. Mons vel Montes
P. Provincia Regio Tractus
R. Regnum
Pronunciatio.
Christianus Ludolfus J. filius delineavit ex autographo Parentis.
SINUS ARABICI seu MARIS ERYTHRÆI aliás RUBRI PARS
NUBIÆ R. PARS
DEQUIN R. PARS
BALOU R. PARS
BEKLA G.
Armentarii Nomades pabulum sequentes
Æthiopes Nomades
SENNÂR R. cujus Rex Muhammedanus
FUND.
Lusitanis FUNGI
Dahalac
Matzua I.
Arkiko
Dafalo.
SHANKALA
Æthiopes Nomades incertis sedibus per deserta vagantes.
DEMBEA
TZANA seu DEMBEA
SHANKALA G.
BURE P.
SACAHALA P.
SHANKALA G.
CONCAS
Dengola
Atefer P.
GOJAM
KOTLA G.
BAGEMDER R.
AMHARA
BELSEN
BORA P.
DOBA G.
BUGNA R.
ANGOT
ENDERTA P.
HANCORRA
DANCALI R.
WALAKA R.
MARRABET P.
GHEDM. R.
Gedmakaten
DAWARO
ADEL R.
IFAT.
GALLA G.
SEWA
SHOA superior
SHOA inferior
BIZAMO R.
BORAN GALLA
GAFAT R.
GANZ R.
GOMBO R.
MUGAR
DAMOT. R.
CONT R.
SHAT P.
ZET P.
GURAGHE R.
ENARYA
CAMBAT
Alamale
Buzama
Had-ya male ADEA
SUGAMO
BAHARGAMO
GUMAR
ZENDERO R.
WED R.
Lacus Zawaja
FATAGAR
BALI R.
ADEL R. PARS
A·LA·BA. finitimum Ethnicorum Regnum.
PARS Regni Adel
GALLANI
Habessinis Galla sæva gens, illisq infensissima hic ortum habuit
Lusitanis male Zeyla a portu sic dictum, metropolis vocatur Auça-gurele
BERTUMA GALLA G.
GALLA G.

Matt
à.

Alfo
ta
Min
Neu
Nic
Phi.
Ad.

Or
Or
M.
Per
Ph
Ph
Ph
Pi
Pl
Ea
Jo
Jo
Pr
Pr

P
L

F

F

1. Sam. 4, 19. quomodo

1, 14, 38. not

JOBI

JOBI LVDOLFI
alias Leut-holf dicti
HISTORIA AETHIOPICA,
Sive
REGNI HABESSINORVM.[a]

REs Habessinorum scripturus sum;
quas multi fusè, pauci verè memoraverunt. (1)
Quippe gens ista, è maritimis sinus Arabici re- *Vide hujus*
gionibus in interiora Africæ digressa, ob rara *hist. l. 2, c.*
cum exteris commercia paucissimis Europæorum cognita 10, *n.* 8.
2 fuit: deinde *Æthiopum* nomen, quô illi gaudent, tot natio- 1, 1, 2.
nibus commune, ambiguam illorum historiam reddidit;
nam multa de Æthiopiâ generaliter dicta, Habessinis specia-
liter imputata fuerunt; neq; ipsi gloriæ suæ defuere, quæcun- 1, 8, 5.
que in sacrâ Scripturâ vel alibi præclara de Æthiopibus dice- 3, 2, 2.
rentur, in se trahendo.

3 Adhæc nonnulli *malè feriati*, (2) cum apologos aut fabu-
las scribere, aut fictam aliquam Rempublicam repræsentare
vellent, Æthiopiam pro argumento sumserunt; *tanquam*
de nullâ aliâ regione jucundiùs fabulari vel tutiùs mentiri li-
4 *ceret*. Inter hos *Ludovicus Vrreta* (3) monachus Valentia-
nus, nugator insignis, ferulam P. Nicolai Godigni meritus
5 est. (b) *Iacobus Baratti* (4) Italus, recentior non melior, con-
fictarum narrationum exscriptor vel repertor, pleraque Ha-
bessinorum in itinerario suo ita refert, non prout revera se ha-
bent, sed prout ille ex ingenio suo se habere, vel ab aliis fieri
6 voluit. Vt alios peregrinationum scriptores (5) taceam, qui
sæpè quoquo modo dicta vel audita pro certis & compertis
narrant: interdum etiam unius alteriúsve privati mores toti
nationi tribuunt. Quo magis opera mihi danda fuit, ut cer-
tius quid posteritati relinquerem.

A Pri-

a) Malumus sic, quàm *Abasseni* vel *Abyssini* scribere, quia pronunciatione ad Arabum حبش *Habesh* & Lusitanorum *Abexins* proximè accedit, ut in Commentario dicemus.

b) In libro de Abassinorum rebus. Lugdun. 1615.

Primam de Habeſſinorum Imperatore notitiam, initio 7
ſuperioris ſeculi, orbi noſtro Luſitani dedere; ſed infrunito
2,1,1. Presbyteri Johannis vocabulo erroneam, nec non valdè con-
fuſam, qualem ipſi ab imperitis duobus Legatis Habeſſinicis,
3,1,2. *Matthæo* mercatore *Armeno:* (6) & *Tzagazaabo*, (7) Bu-
gnæ ignobilis regni præfecto acceperant. Meliora *Franciſc.* 8
Alvarezius (8), & *Iohannes Bermudes*, (9) aliquamdiu in Æ-
B.T.II.c.5. thiopiâ commorati, tradidere; modò præferas ea, quæ ipſi
& II.c.20. viderunt, illis quæ ex aliis audiverunt.

3,1,4. Certiſſima demum ex annuis *Patrum Societ. Ieſu* relatio- 9
nibus (10) & epiſtolis comperimus. Hi enim ſingulari curâ
hoc Regnum complexi, illud ſibi ſedique Romanæ aliquot
B.T.L.I.c.1. annis obnoxium habuere, ita ut illis de Habeſſinorum gente
nihil tectum neque occultum maneret. Igitur cum paucis 10
abhinc annis *P. Balthaſ. Tellezii*, (11) Luſitaniæ Provincialis
hiſtoriam Æthiopicam, (c) florido & amœno ſtylo Luſitani-
cè compoſitam, nactus eſſem, eamque è Patrum Societatis
actis ac documentis, & quidem ex *P. Eman. Almeydæ* com-
mentario in Æthiopiâ conſcripto, nec non Latinâ Patriar-
chæ Æthiopici *Alfonſi Mendezii* hiſtoriâ manuſcriptâ de-
promptam intelligerem, (d) & à *P. Hieronymo Lupo*, teſte 11
jurato, comprobatam viderem, non dubitavi operi pridem
deſignato manum admovere; præſertim quòd animadver-
terem, omnia pulchrè congruere cũ iis, quæ *Gregorius Ha-
besſinus*, ex Regno Amharâ oppido Mecana-Selacê oriun-
dus, mihi prolixè narraverat. Niſi quòd Tellezius religionis 12
Romanæ ſodalitatisq; ſuæ cauſam paſſim agat, & acta Patrũ
Societatis ubique defendat vel extollat, nec non in enarran-
dis rerum geſtarum cauſis atque finibus illorum partes forti-
B.T.I.c.36. ter tueatur: Habeſſinorum verò res acriter perſtringat, atq; 13
& ſeqq. L. de ſacris eorum acerbiſſimè ſentiat, eo tamen candore, eaq;
IV. c.12. ſinceritate, ut non rarò mores bonamque gentis indolem
1,14,3. commendet. (e)

At *mihi* diverſitas religionis, ſtudio veritatis, aut officiis hu- 14
manitatis & charitatis erga quoscunque Chriſtianos nun-
quam

c) Impreſſa extat *Conimbræ* in Luſitania A. C. 1660. Præmiſſæ ſunt approbationes & teſtimonia lectu digna. In prologo nominat autores ſuos.

d) Neuter enim liber impreſſus eſt, nec Manuſcriptos vidi.

e) L.I. c.38. ait: Os Abexins naturalmente ſam pios, h. e. *Habeſſini naturâ pii ſunt.* Plura habet L.I. c.15. p.39. §. *Quaſi todos &c.* & L. III. c.4. p.315. de Enareenſibus ait: Sam homens de ſua palabra & que tratam verdade. h.e. *Sunt homines ſinceræ fidei, qui veritati ſtudent &c*, confer infra cap. XIV.

quam potior erit: nec ulla mihi favoris aut odii, ſive erga Patres Societatis, ſive erga Habeſſinos privatim cauſa, quò minus cuncta, prout ab aliis accepi, religioſè poſteris tradam.
15 Ne verò quenquam lateat unde res meas hauſerim, non tantùm *nomina autorum* (12) in margine libri, vel notis infra ſcriptis paſſim notabo, ſed & illorum propria verba, ubi operæ pretium fuerit, in *commentario*, quem operi meo ipſe annectere paro, cum documentis vel integris vel contractis transſcripturus ſum; additis rationibus cum ab aliis diſſentire
16 neceſſe habuero. Neq; fidem meam ultra obſtrinxerim; ſi quid ab autoribus meis vel malè intellectum, vel perperam poſitum fuerit, quod ipſe corrigere non potui, id poſteritas emendabit: ea verò, quæ ego ut incerta aut incomperta omiſi, ſupplebit.

17 De perſona *Gregorii*, (13) cujus fide res & facta Æthiopica, apud alios vix reperta, narro: quem etiam ſæpiùs nominatu-
18 rus ſum, in commentario noſtro plura dicentur. Id tantùm nunc lectorem non celo, illum contractâ mecum Romæ amicitiâ, noſcendarum rerum Europæarum, Latinæque linguæ diſcendæ deſiderio, in Germaniam me viſitatum veniſſe: mox à Sereniſſimo Principe ERNESTO *Saxoniæ &c. Duce &c.* (de cujus pietate & ſtudiis in rem Chriſtianam, ut dignum eſſet, dici nunc non poteſt) *Gotam* vocatum, inſtitutis cum eo colloquiis, *virum gravem* & *fide dignum* habi-
19 tum fuiſſe. Etenim quinquagenario major, & tunc exul, quòd Patres Societatis Regno emigrantes, contra mandatum Regis in Indiam ſecutus eſſet, adverſis rebus multùm exercitus, *levitatem & jactantiam, fortunatorum juvenum vitia*, du-
20 dum exuerat. Quamvis igitur ab illo edoctus, & Æthiopicæ linguæ peritiâ (qua Tellezius caruit) inſtructus, multa aliter ac veteres prodere jamdudum potuiſſem, nolui tamen unius viri fide aliorum pravè dicta refellere, donec pluribus autoritatibus inſiſterem.

21 Neque etiam arduum hoc opus ideò ſuſcepi, ut confutandis aliorum erroribus: aut referendis tantùm ſine cujusquam utilitate diſcrepantibus autorum ſententiis, bonum
22 otium conſumerem. Ipſa hujus gentis *hiſtoria digna* eſt accuratiori elaboratione. Nam ſive cœli, ſive ſoli ingenium ſpectes, vix alibi plura *naturæ miracula* repereris.

Regio inter tropicum cancri & æquinoctialem lineam 1,2,1.

 ſita

1,5. ſita, mirâ *aeris diverſitate* gaudet. Depreſſa loca æſtum: ex- 23
celſa frigus ſentiunt. Eam ob cauſam tonitrua horrenda, tempeſtates ſimul plures cum tremore hominum & brutorum
1,6. audiuntur. *Montes* altiſſimi ipſas nubes ſuperant; ut mira- 24
culo hîc non ſint Olympus & Athos: ipſeque Atlas, cœli fulcrum priſcis, ne comparandus quidem ad illos ſit. *Rupes* fi- 25
gurâ variâ, naturâ ſic præruptæ ſunt, ut aſcenſu careant & tamen habitentur. *Convalles* confragoſæ & profundiſſimæ
1,7. abyſſum repræſentant. *Metalla* quoque habent, aurum 26
maximè, de quo prima in novis regionibus quæſtio; modò ſcrutari & effodere ſcirent. Ariddiſſima æſtate loca hyeme un- 27
dâ teguntur : & quod alibi pluviæ, hoc *flumina* agris in Æthiopiâ præſtant; eos enim, aliàs ſteriles, inundationibus ſuis
1,8. reddunt fertiliſſimos. Inter ea *Nilus* magnitudine & famâ 28
ſui omnes totius orbis amnes longè poſt ſe relinquit: nec *fon-* 29
tes ejus tantùm, antiquis tam anxiè quæſiti, hîc reperti ſunt, ſed & Nigrin fluviū alveum ejus ſiniſtrum eſſe nunc demum
innotuit. Non autem omnes Habaſſiæ fluvii, ut aliarum 30
terrarum, in mare ſeſe effundunt, ſed quidam arenâ hauriuntur; ut iſtorum oſtia difficiliùs invenias, quàm aliorum fontes.
1,9. *Plantæ* virtutis admirandæ: & beſtiæ omnis generis, pluri- 31
mæque nobis incognitæ dantur. *Quadrupedes* & *volucres* 32
1,10. toto orbe maximæ hîc pariter reperiuntur. *Vnicornis* etiam, celebris illa fera, in omnibus mundi angulis curiosè indagata, hîc primum conſpecta fuit. Boves innumeri & multò noſtris majores. pabulo & feris & pecudibus, per vaſtas ſylvas perpe-
1,14 & seqq. tuò virentes, ſufficiente. Nec minor *gentium* hominumque 33
varietas, qui linguâ, moribus, ſacris adeò inter ſe discrepant, ut partem aliquam orbis, non regnum, deſcribi putes.

2,1. Vni tamen Regi Habeſſinia paret, qui ob ſubjectos quoſ- 34
dam Regulos ንጉሠ:ነገሥት:ዘኢትዮጵያ: *Neguça nagaſt zaitjopja*, hoc eſt, *Regē Regum Æthiopiæ* ſemet vocat, & vetuſtate
2,2. originis multùm gloriatur. A *Salomone* Iſraëlitarum Rege *genus* ſuum ducit. notabili ſed ambiguo commento. Longa 35
Regum ſeries, ſive vera, ſive falſa, antiquitate defenditur. Attamen conſtat *Monarchiam* Habeſſinorum, Regumque 36
2,10. proſapiam *vetuſtate* nulli inter Europæos cedere. Quin & *potentiâ* alios Africæ Reges quondam ſuperaverunt, ſed ea
1,16. ſuperiori ſeculo Adelenſium bellis penè tota concidit: deinde *Gallanorum* vi atque feritate adeò debilitata fuit, ut Habeſ-
ſiniam

ſiniam in ipsâ Habesſiniâ non invenias, ſi eam cum temporibus Alvarezii comparaveris.

37 At longè maximam admirationem meretur *antiquitas* 3,2.
religionis Chriſtianæ, quę, *Frumentio* prædicante, ſub *S. Athanaſio* Patriarcha Alexandrino primùm cœpit; cujus Eccleſiæ 3,5.
dogmata & ritus in hunc usque diem retinentur; ita ut mul- 3,6.
tæ cerimoniæ primitivæ, alibi obſoletæ, hîc adhuc durent.

38 Verùm deplorabile *ſchiſma*, in concilio *Chalcedonenſi* or- 3,8.
tum, (cujus illi alias ac ſcriptores noſtri cauſas afferunt) Habesſinos ſimul à Catholicâ tunc temporis Eccleſiâ abſtraxit; *Jacobitarum* enim Patriarcham ſecuti ſunt, Melchitarum
39 ſpreto. Interim nullam inſignem in cultu ſacro mutatio-
nem per tantum ævi ſenſerunt, niſi ineunte hoc ſeculo, ubi 3,9. & ſeqq.
Patrum Societatis Jeſu ſtudiis in partes diducti, inteſtinos motus & gravia bella civilia perpesſi ſunt; aliis Romanam, aliis Alexandrinam religionem ſectantibus.

40 De quibus atque aliis talibus in hiſtoria noſtra pleniùs, &
41 quidem ſic agere nobis animus eſt, *ut Libro primo*, *Naturalia*, ſitum & nomina regionum, cœli ſoliq; ingenium, plantas & animantia, denique mores & linguas gentium & inco-
42 larum: *Libro ſecundo*, *Regimen politicum*, Regum ſuccesſionem & jura, nec non res geſtas, reditus & ſimilia: *Libro ter-*
43 *tio*, *Res eccleſiaſticas*, initium Chriſtianæ Religionis, ejusque incrementa, disſidia cum Eccleſiâ Græcâ & Latinâ: Denique
44 *Libro quarto res privatas* & œconomicas exponere velimus.

Literæ Latinæ, quibus Æthiopicas voces expreſſimus, quarum aliquas ob valorem peregrinum lineola ſignavimus, pronuntiandæ ſunt ut ſequitur:

	Angl.	*Belg.*	*Gall.*	*Ger.*	*Ital.*	*Hiſp.*	*Pol.*
a	a	ae	ai	å	-	-	-
c	ch	-	tch	tſch	c ante e.i.	ch	ć
	ſed ſono peculiari.						
d	-	-	-	dj.	exacte reſpondet *d* Bohemico.		
e	E ſemimutum ad y Polon. fere accedens, quale eſt in ultimis ſyllabis Germ. haben. Waſſer. & Gallorum *ce, me, te, que.*						
g vel gh	g Gallorum & Italorum ante a, o, u, ut etiam plerique Germanorum, non ut Misſnenſes & Saxones, pronunciant.						
hh	-	ch	-	ch	-	-	ch
k	k Æthiopicum ſoni peculiaris.						
ñ	-	-	gn	-	gn	ñ	ñ
j	y	j	y	j	j	y	j
j	-	-	j	-	-	-	ż
	ſive g Gall. ante e vel i.						

	Angl.	*Belg.*	*Gall.*	*Ger.*	*Ital.*	*Hiſp.*	*Pol.*
p	P. Æthiopicum ſoni peculiaris.						
q	k vulgare vel c. ante a. o. u.						
S.	-	-	ç	-	-	ç	ſ
	ſemper acutum ut Σ Græcorum.						
Sh.	sh	-	ch	ſch	ſc ante e.i.	-	ß
	x Luſitanorum.						
t	t Æthiopicum ſoni peculiaris.						
w	w	ſive hw Suecicum, quod differt à w Germ. & Belgico.					
tz	-	-	-	z	z	-	c
	ſed ſoni peculiaris.						
z	z	z	z	-	-	-	ż
	eſt s lene inter duas vocales ut ζ Græc. genuinè pronunciatum.						
t'	ferè tj German. ac ſi *d* Bohemicum duriùs pronuncies, ſed peculiari ſono.						

LIBER I.
DE NATVRA REGIONIS ET INCOLARVM.
CAP. I.
De variis Habessinorum nominibus & gentis origine.

1. *Origo nominis* Habessinorum *Arabica est.* 3. *Illi verò vocari malunt* Æthiopes, *&* 4. *speciatim* Ag-azjan, *i. e.* Liberi: *ut* 5. Germani *quondam* Franci. *Ex* Arabia felici *in Africam trajecerunt.* 6. *Nam à* Sabæis *seu* Homeritis *orti sunt.* 7. *Convenientia cum Arabibus.* 9. *Græci* Axumitas, 10. *alii* Indos *eos vocant.* 12. *Hinc confusio historiarum.* 13. *erroneè* Chaldæi *appellantur.* 14. Abassiæ *vel* Æthiopiæ *nomen interdum retinebitur.*



A *Nomine gentis* ordiendum nobis est. *Habessini* 1
(14) aliis Abissini vel Abasseni nunc passim no-
minantur; vocabulo ab Arabibus indito, qui-
bus حبش *Habesh*[f] colluviem vel mixturam gen- 2
tium (g) denotat; (15) quam appellationem tan-
quam sibi probrosam diu spreverunt, nec adhuc in libris suis 3
agnoscunt; (16) malunt enim Regnum suum መንግሥት: ኢትዮጵያ:
Manghesta-Itjopja h. e. *Regnum Æthiopiæ* seq; ኢትዮጵያውያን: 4
Itjopjawjan, *Æthiopes* (17) vocari; vocabulo à Græcis acce-
pto, sed nimis generali, & omnibus adusti coloris homini-
bus, olim in Asiâ etiam, communi:[h] Si verò speciale nomen
ab illis exigas, Regnum suum ግዕዝ: *Geez*: item ብሔረ: አግዓዚ:
Regionem Ag-azi, vel ምድረ: አግዓዝያን: *Terram Ag-azjan*, id
est,[i] *Liberorũ* appellant: sive à libertate, sive à transitu & pro- 5
fectione, quia verbum radicale ግዕዘ: *Geeza* (18) utramq; signi-
ficationem admittit.[k]) Fortè quia vetustissimis temporibus
ex Arabiâ in Africam, alias sedes quæsitum, trajicientes, hoc
no-

f) Germanis sonat Chabesch/ alii pronunciant Chabasch. Hhabash. Ital. *Habascia*, Abassia. Gal. Habech. Lus. Abex. Scripturâ diversâ, eloquio eodem; quia horum omnium origo una eademq; est Arabicum حبش. Malè Chabatti pro Chabassi in Prolegom. Bibl. Polyglott. Waltoni c. XV. p. 98.

g) Nam حبش *Habesha* sive Chabasha de turba hominum dicitur *Convenit*, & in II. Conjugatione حبّش. Habbesha *Congregavit*. Hinc vocabula احابيش احبوش حباشة. Turbam hominum ex variis tribubus mixtam significant. Gol. Lex. p. 567. Habessinos igitur Latinè *Convenas* uno vocabulo fortè non incommodè dixeris.

2, 3, 14. & seq. h) Hinc Æthiopia veteribus dividitur in Orientalem & Occidentalem, Africanam & Asiaticam, atq; de ista loca Scripturæ sacræ, quæ de Cusæis agunt, accipienda. Hodiè Africæ populis ferè tantùm tribuitur. Vide Commentar.

i) Sic passim vocatur à Poetâ meo in Encom. XVIII. Decembr. 3. 5. & alibi; nec non à Gregor. Epist. 1. ad me datâ, ut in Commentario docebo.

k) Confer Lexicon meum Æthiop. col. 403.

nomen in ſignum libertatis, ut quondam Germani Rhenum
transgreſsi *Francorum* (19) uſurpaverunt [l]. Indigenæ enim
non ſunt; ſed venerunt ex eâ Arabiæ parte, quæ *felix* voca-
tur, & mari rubro adjacet; unde facilè in Africam transfre-
6 tare potuerunt. *Abaſſenos* enim in Arabia olim habitaſſe,
atque *Sabæis*, (20) ſive (quod idem eſt) *Homeritis* [m] accenſitos
fuiſſe, & veteres Geographi teſtantur [n], & multa alia convin-
7 cunt argumenta. Nam lingua illorum vetus, quam Æthio-
picam vocamus, Arabicæ maximè affinis eſt: mores non- 1,15,11.
nullos, veluti circumciſionem, cum *Arabibus* communes
habent: ingenium & forma corporis atque vultus ad Ara-
bes magis, quàm ad Æthiopes Africanos accedit; quin &
8 *Severus* imperator inter gentes Arabiæ devictas nummis
ſuis etiam Abaſſenos [o] inſcribi curavit. Ipſi Habesſini, dum
Reginam Sabæam ſibi vendicant, originem ſuam produnt;
illam enim è ſtemmate Homeritarum fuiſſe, Arabes uno ore 2,3,20.
9 docent. Græci ſcriptores ignorantiâ proprii nominis à re-
gia urbe Axumâ, *Axumitas* (21) dixerunt [p]. Alii originis ratio- 2,11.
ne cum veteribus Homeritis (22): alii ob vicinitatem cum
10 Nubęis confuderunt. Pleriq; veterum *Indos* (23) vocaverunt, ut
ferè omnes zonæ torridæ nationes, quarum ſpeciale nomen
11 ignorarent. Imo ipſum mare rubrum Indicum [q] à nonnullis
veterum appellatur, quo minus mirum accolas illius Indos
12 nominatos fuiſſe; neq; aliud nomen ſub initium ſuperioris
ſeculi in Luſitaniâ habuerunt. Nam Regem eorum Damia-
nus à Goëz *Magnum Indorũ Imperatorem* vocat [r]. Quę no-
minum diverſitas in hiſtoriâ illorum haud exiguam confu-
ſionem peperit. Nam aliqua de noſtris Habesſinis accipien-
da

l) Ita cenſeo cum autoribus hoc aſſerentibus apud Ioh. Iſaac Pontan. de Francorum origine lib. III. c. I, n. 3. & ſeqq.

m) Sabæi enim & Homeritæ iidem ſunt, è regione Axumitarum, interjacente mari rubro, ait *Procop. Gazæus* in Comm. ad cap. 10. v. 1. Lib. III. Reg. ad verba: *Regina Saba*.

n) Stephanus in libro περὶ πόλεων voce Ἀ Β Α Σ Η Ν Ο Ί, ait. Ἔθνος Ἀραβίας. Abaſſeni gens Arabiæ, & ex Uranii Arabicis refert juxta Sabæos coluiſſe Abaſſenos, &c. Vide quæ infra notavimus L. II. c. 3.

o) Ἀβασηνῶν Abaſſenorum in ejus nummis legitur, notante Scaligero in comput. Eccleſ. Æthiop. de Emendat. temp. Lib. VII.

p) Horum mentionem faciunt *Stephanus*, in voce ἀξωμίτης. *Cedrenus* Anno XV. Juſtiniani. *Ptolemæus* &c. ἈΞΟΥΜΕΙ͂ΤΩΝ extare in numiſmate quodam, notat *Scaliger* in Comput. Eccl. Æth. Malè αὐξωμῖται, *Auxumitæ* apud Nonnoſum in Photii Biblioth. n. 3. Nicephorum Caliſt. L. XVII. c. 32. *Auxomitæ* Procop. in Perſicis.

q) Sic appellat Procopius Gazæus in lib. I. Reg. c. 10. bis. ut & alii, quod etiam obſervavit Scaliger in notis ad Comp. Eccl. Æth.

r) In relatione ſuâ, de Legatione Matthæi Abeſſinorum ad Regem Luſitaniæ Legati.

da veris Indis tributa[f]: nonnulla, de aliâ quâdam Æthiopiæ gente ſcripta, de Habesſinis accepta. Romæ, cùm primùm libri Æthiopici typis ederentur, lingua eorum Chaldaica, illi
1,15,9. verò erroneè modò *Chaldæi*, modò *Indi* dicti fuerunt[t]. Nos 13
Habesſiniæ vel *Abaſſiæ* nomen, jam univerſo orbi notum, interdum & *Æthiopiæ* retinebimus; præſertim cum de Re-
1,15. gibus, linguâ veteri, vel Eccleſiâ ſermo fuerit, quæ Æthiopica inter eruditos audit, & ab ipſis Habesſinis ſic vocitatur. Cur
2,1. autem *Presbyteri Johannis regio* apud Europæos dicatur in loco memorabimus.

CAP. II.

De Habesſiniæ ſitu & finibus.

1. Situs *ſupra* Ægyptum, *& gradus latitudinis.* 2. *error* Jovii, *&* 3. *tabularum vulgarium.* 4. latitudo *vera.* 5. longitudo *conjecturalis.* 7. Fines *verſus* Septentrionem 8. Orientem 14. Meridiem 15. Occidentem.

B.T.I.c.3. & I.c.12 IN Africâ ſupra Ægyptum[u] ultra Nubiam ſita eſt Habasſia 1
inter octavum & decimum ſextum circiter *gradum* latitudinis ſeptentrionalis; Æthiopia ſuperior(24) nonnullis[x] dicta.
Æquinoctialem lineam non attingit, multo minùs transit, 2
quod tamen Geographi & Hiſtorici ferè omnes(25) hucusque aſſeruerunt; ſive quòd aliorum dicta vel ſcripta non rectè in-
Hiſt. L.18. tellexerint: ſive decepti *Pauli Jovii* autoritate, qui ſcribit Regnum Scevæ (ሸዋ: *Sewa* vel Shewa) antarcticum polum, duobus & viginti gradibus elevatum, aſpicere; cum is plane
non videri poſſit eô locô, ubi Shewa jacet. Quod utiq; non 3
ex Habesſinis, utpote talium ignaris, ſed fortè ex veteri quâdam Africæ tabulâ Geographicâ incautè nimis hauſit; cujus autor Habesſiniam eousque dilatavit, donec aliam ſibi notam regionem attingeret; ne ſcilicet, vacuô relictô, ſpatium medium ignorare videretur; quaſi verò turpe eſſet id neſcire, quod aciem humani ingenii fugit, nec niſi experiundo cognoſci poteſt.

B.T.d.l. At Patres Societatis Jeſu ſphæricæ diſciplinæ periti, & 4
aſtrolabio uſi, primi veram, quam diximus, latitudinem à ſeptentrione meridiem verſus docuere: longitudinis gradus haud

f) Id maximè contigit in *hiſtoria converſionis* Habeſſinorum ab Ædeſio & Frumentio factæ, quam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores ferè omnes hucusq; de veris Indis, nempe Aſiaticis acceperunt. Theodoret. in Hiſtor. Eccleſ. L.I. c.22.

t) *Potken* in præf. Pſalt. Æthiop. Edit. Rom. Ambroſ. Theſeus, introd. in ling. Orient. p 13.

u) Sub Ægypto *ſcribunt pleriq;, ſed malè & ſine ratione.*

x) *Sic B. Tellez*: Hiſtoria Geral de Etiopia a alta, *h. e. Hiſtoria generalis Æthiopiæ altæ.*

5 haud æquè certò tradere potuerunt. Quantum verò conjecturâ ex itinerum spatiis ab Oriente Occidentem usque cognoscere licuit, Lusitani regnum istud, quâ latissimum est, *centum & quadraginta Leucarum* suarum intervallô æsti-
6 maverunt. Longissimum autem iter est à mari rubro usque Ibid.
ad fines Dembeæ, si rectà occidentem versus pergas; nam recedentibus in se regionibus, & angustioribus magis magisq; orientis & occidentis finibus, quasi in conum sinuatur, multis provinciis Gallanorum vi avulsis.

7 In *plaga Septentrionali* conterminum habet Regnum ፉንጅ፡ *Fund* (*Fungi Lusitanis*) aliàs ሰናር፡ *Sennâr* dictum, ve-
8 teris Nubiæ partem. Versus Orientem olim mare rubrum terminus fuit; nunc, capto portu *Arkiko* cum insulâ adjacente *Matzuâ*, littus omne Turcis cessit, qui illius maris impe-
9 rio potiuntur. Illud importuosum, nec non ob brevia & syr- Geograph.
tes[26] periculosissimum est; ideoque Europæorum navibus Nub. clim.
minus frequentatum: adhæc insulæ incultæ, & in ipso mari I. p.5.
aquæ penuriâ laborantes, navibus nuspiam securum rece-
10 ptum præbent. Fretum angustum, & crebris naufragiis infame ab Arabibus باب المندب *Bab-elmendeb*,[y] i. e. *porta affli-* Ibid.
11 *ctionis* vocatur. Intrantibus regnum *Dancalè* ad sinistram hujus freti conspicitur. Regulus illius Habessinorum amicus est, & portum *Baylur* habet, ubi Patriarcha Româ missus ap- 3,11.
12 pulit, & salvus in Habessiniam pervenit. Sequitur intror- A.1625.
sum magis *Adelæ* Rex Muhammedanus, Habessinorum in- 2,14.
13 fensissimus hostis, & superiori seculo flagellum. Dehinc regna *Dawarô*, *Bali*, *Fatagar*, *VVed*, *Bizamò*, *Cambata*, cum multis aliis provinciis, à Gallanorum barbarâ gente vel
14 occupatis vel vastatis, occurrunt. Flexis deinde circa octavum gradum in meridiem regionibus, *Alaba* atque *Jendero* 1,16.
(Lusit. *Gingirò*) gentilium regna Habessiniam terminant; donec ad *Enaream*, ultimum regnum, inter nonum & octavum latitudinis gradum versus occasum hybernum situm,
15 perveneris. Postremò flumen *Maleg*, & ipse *Nilus* per ingentes solitudines evolutus, terminum *occidentalem* consti-
16 tuit. Nec ullæ ibi gentes mentione dignæ, præterquam Æthiopes vagi atque palantes, (veteribus *Nomades* vel *Troglodytæ*, Habessinis ሻንቅላ፡ *Shankala* dicti) usque ad *septentrionem*, regnumq; Sennâr supra nominatum, reperiuntur. 1,14,53.

B Cap. III.

y) In tabulis vulgatis, etiam recentibus, malè *Babelmandel*. Interpretes Geographi Nubiensis pronunciant *Bab-almandab*, & reddunt *ostium funestum* p. 20.

CAP. III.

De divisione Habessiniæ in diversa regna & regiones.

1. *Regiones & Regna Æthiopiæ* diversimodè recensentur & 3. numerantur. 4. Mendæ numericæ. 6. *Gregorii* enumeratio & pronunciatio. 7. *Ambaræ* fines & 10. regiones. 11. *Angota.* 12. *Bagemdra* cum suis præfecturis. 14. *Balia, Bizama, Bugna.* 15. *Cambata.* 16. *Conta, Damota, Davvaro.* 17. *Dembeja* ejusq; regiones. 18. *Enarja.* 19. *Fatagara.* 20. *Gafata. Gajghe. Gaña. Ganz. Gedm. Gojam.* 21. *Gombo.* 22. *Gonga, Guraghe,* 23. *Ifât, Samên, Sêt.* 24. *Sevva.* 25. *Shât.* 26. *Tigra.* 27. præfecturæ illius, ut & 29. quæ *Bahrnagasso* parent. 31. *VValaka, VVed.* 33. Plura *Tellezius* refert. 34. contra alia omittit. 35. *Provinciæ insigniores.* 36. Quid hodiè possideat Rex Habessiniæ.

REgiones, quibus Æthiopia constat, non æqualiter, nec 1
eodem numero ab omnibus recensetur. Pleræq; regni nomen (Æthiop. መንግሥት: *Menghest*) obtinent, fortè quia priscis temporibus suos Regulos aut jura propria habuerunt; sicuti Hispaniam multa ejusmodi regna continere novimus.
2,17,6. Cæteræ verò (Amharicè ሹመት: *Shumet*) *præfecturæ* dicuntur; 2
quæ non à Proregibus reguntur, sed peculiares suos præfectos habent; quæ, si cum regnis ita dictis confundantur, in-
Hist.L.18. certum regnorum numerum reddunt. *Paulus Jovius* im- 3
perium Habessinorum in *quadraginta* amplius *regna* distinguit: alii plura addunt; quæ facilius scribuntur, quàm demonstrantur. Matthæus Armenus primus Habessinorum ad 4
In Epil. Ev. Iohann. Lusitanos Legatus *sexaginta*[z]: Tesfa Sionus editor Novi Testamenti Æthiopici ፷ : ወ : ፪ h. e. *sexaginta duo* regna Imperatori suo subjecta esse dicit(27); nisi fortè nota numerica ፷ : LX. mendosè pro ፳ : XX. posita fuerit; cujus generis mendæ [a] in sacris & profanis scriptoribus sunt (28) frequentissimæ.
P. *Nicolaus Godignus* ex relatione Johannis Gabrielis tribu- 5
ni Lusitani, viri celebris & diu in Æthiopiâ versati, scribit:
L. I. c. 4. *Imperium Abassinum viginti sex regna & quatuordecim regiones antiquo jure complecti.*(29) Verum miscet vicina quædã regna, Habessinorum Regi nullo jure subjecta, quædam etiam omittit.[b] Viginti tamen & ultra esse constat, computa- 6
tis

z) Dam. à Goez de Legat. Indorum Imper. ad Emanuel. III. Lus. Reg.

a) Ludov. Capellus in Critic. Sacr. L.I. c 10. Exemplum habet Sam. Bochart in Hieroz. suo L.II. c.27. ad loc. Macchab. I, 6, 37. *de triginta duobus* militibus in *uno* Elephanto.

b) Sanè regnorum enumeratio apud N. Godignum est confusissima, pleraq; pessimè expressa, ut *Leca* pro *Waleka* &c. Et cur in numerum regnorum Abassiæ refert *Adelam* & *Auçagurelè*, quæ metropolis ejus, non regnum est, & *Hawashi* (sic enim scribendum) fluvio irrigatur? cum tamen ipse fateatur, incolas Abassino Imperatori re nullâ subditos.

tis illis quæ Gallani occupaverunt. Gregorius *triginta* mihi
nominavit, additis fortaſſe parvis nonnullis, quæ ab aliis pro
præfecturis habentur. Ea ex ore & ſcripturâ illius recenſebo,[c]
ut lectori de verâ & genuinâ pronunciatione eorum conſtet.
7 Primum quidem, ut & optimum ac fertilisſimum, eſt Re-
gnum *Tigre*, ſed nobilitate præſtat *Amhara*, quam primo
loco ponemus, reliquis literarum Latinarum ordine ſequen-
tibus.
8 I. አምሓራ: AMHARA. Regnum eſt nunc totius Æthio-
piæ nobiliſſimum, ob munitiſſimas illas rupes ግሼን: ወአም
ባሰል: *Gheshen* & *Ambaçel*, ubi quondam Regum filii, regnô
excluſi, cuſtoditi fuerunt; ac ob id Regum hodiernorum, ut
9 & virorum nobilium patria cenſetur. Meditullium ferè
Habesſiniæ eſt, & à *ſeptentrione* Regnum Bagemder: ab
occaſu Nilum, & trans illum Regnum Gojam: à *meridie* Wa-
10 lakam: & ab *oriente* Angotam ſpectat. Regiones illius ſunt
ſequentes:

1.	አቃምባ:	*Akamba.*
2.	አምባሰል:	*Ambaçel.*
3.	አንባሲት:	*Anbaçît.*
4	አርሞንኤም:	*Armon-em.*
5.	አትሮንስ: ማርያም:	*Atronça Marjam.*
6.	በደ: በዷ:	*Bada-bad.*
7.	በራራ:	*Barârâ.*
8.	በቶታ:	*Batata.*
9.	ብደ: ገደል:	*Beda-gadal.*
10.	ደደ:	*Dada.*
11.	ደዷ:	*Dad.*
12.	ዱማሕ:	*Dεmah.*
13.	ኤፍራታ:	*Ephrata.*
14.	ኤወርዛ:	*Ewarzâ.*
15.	ፈረስ: ባሕር:	*Feres-bahr.*
16.	ገነተ: ጊዮርጊስ:	*Ganata Ghiorghis.*
17.	ጌሻ: በር:	*Ghesha-Bar.*
18.	ግሩምጌ:	*Grumghè.*
19.	ግል:	*Ghεl.*
20.	ግሼ:	*Gheshè.*
21.	ግሼን:	*Gheshen.*
22.	ሀገረ: ክርስቶስ:	*Hagara-Chriſtos.*

c) Hoc utique valde neceſſarium fuit, ob variationem & corruptionem horum nominum maximam, quæ apud autores paſſim obvia eſt.

23. ቀርና፡ማርያም፡ *Karna-Marjam.*
24. ቂሣርያ፡ *Kiçarja.*
25. ላይ፡ቈይታ፡ *Lai-Kuejtâ.*
Proœm. n.11 26. መካና፡ሠላሴ፡ *Macana-çelaçê,* Gregorii patria.
27. መልዛ፡ *Malza.*
28. ሽግላ፡ *Shegla.*
29. ታቦር፡ *Tabor.*
30. ተድባበ፡ማርያም፡ *Tadbaba-Marjam.*
31. ታት፡ቈይታ፡ *Tat-kuejta.*
32. ዋልሳ፡ *Walsâ.*
33. ዋሮ፡ *Waro.*
34. ወግዳ፡ *Wagda.*
35. ወንዝ፡እግር፡ *Wanz-Egr.*
36. ዘር፡አምባ፡ *Zar-amba.*

II. አንጎት፡ ANGOT. Regnum; quod & ሐንጎት *Hangot* dicitur. 11

III. በጌምድር፡ BAGEMDER. In tabulis vulgaribus *Bagamidri.* Regnum amplum & fertile est, multisque fluviis irriguum. Gregorius cum Germaniâ nostrâ comparabat, ማይ፡ብዙኅ፡በዝየ፡ከመ፡በበጌምድር፡ inquiens: *Multa hîc aqua est, sicut in Bagêmdra.* Flumen በሽሎ፡ *Bashlo* illud ab Amharâ dirimit. In diversas regiones dividitur, quales sunt: 12 13

1. አንዳቤት፡ *Andabêt.* Buccinatorum hæc regio est.
2. አትካና፡ *Atcana.*
3. ዳብር፡ *Dabr.* Hanc regionem speciatim Germaniæ similem dicebat Gregorius.
4. እስቴ፡ *Estè.*
5. ጉና፡ *Guna.*
6. ቆማ፡ *Koma.*
7. መቄት፡ *Makêt.* Angotæ vicina regio.
8. መሽለምያ፡ *Mashalamja.*
9. ነፋስ፡መውጫ፡ *Nafasmau-ça.*
10. ስማዳ፡ *Smada.*
11. ጸማ፡ *Tzama.*
12. ወይናድጋ፡ *Wainadga* cæde Graini superiori seculo nobilitata.
13. ውዶ፡ *Wudo.*

IV. ባሊ፡ BALI. Regnum maximè orientale, quod Gal- 14
1,16,13. lani primùm occupaverunt, & ex eo tantis postea cladibus Habessiniam affecerunt.

V. ቢዛሞ፡ BIZAMO, Nilo à *Gojamâ* distinguitur.

VI.

VI. ቡግና: BVGNA. In tabulis nonnullis *Abugana*; montoſum atque exiguum Regnum. Proœm. n. 7.

15 VII. ከምባት: CAMBAT; Cujus incolæ vocantur ሰብአ: ሐድያ: *Seb-a-Hadja*, i. e. Hadienſes. Hinc *Adea*, ſive *Hadea* malè pro Regno in tabulis ponitur. Vltimum eſt verſus meridiem Regnum, haud procul Enareâ ſitum, Regulo Chriſtiano ſubjecti ſunt Chriſtiani, Muhammedanis & paganis (immixti.

16 VIII. ኰንች: CON̄T. Luſit. *Conch.*

IX. ዳሞት: DAMOT. Regnum auſtrale, ultra Nilum & Gafatas ſitum.

X. ዳዋሮ: DAWARO. Orientem terminat, auſtrali Baliæ vicinum.

17 XI. ደምብያ: DEMBEJA vel DEMBEA. Regnum ob caſtra regia nunc celebre, quæ ibi diu locata fuerunt. Cujus præfecturæ ſunt:

1. ዐረብያ:	*Arebja.*		9. ሰራኮ:	*Sarakò.*
2. ደኵል: አርዋ:	*Decul-arwa.*		10. ስረ: ቀርን:	*Sεra-karn.*
3. ደኸና:	*Dεhhana.*		11. ጠቈጻ:	*Takueça.*
4. እድን:	*εdn.*		12. ተንቀል:	*Tenqel.*
5. ጋባ:	*Gaba.*		13. ጭልጋ:	*Tshεlga*, ubi fauces ſive pylæ Abaſſiæ ſunt Sεnnâr verſus.
6. ጕንደር:	*Guender.*		14. ወልዋድ:	*Walwad.*
7. ቋራ:	*Kuara.*			
8. ናራ:	*Nara.*			

18 XII. እናርያ: ENARJA[d] à Chriſtianis & gentilibus incolitur. Regnum hoc Melec-Saghedus in ditionem redegit, Regulô ejus ad fidem Chriſtianam converſo. Incolas Gregorius à probitate & integritate valdè laudavit. Solum fertile, & multo auro ferax eſſe dixit, addito: *audiviſſe ſeſe è Luſitanis, Regnum hoc triginta quinque dierum itinere ab Oceano Indico diſtare; ſed id ſe in medio relinquere.* 1, 14, 9.

19 XIII. ፈጠጋር: FATAGAR. Olim à Chriſtianis habitatum fuit hoc Regnum, quà orientem ſpectat, Baliæ vicinum.

20 XIV. ጋፋት: GAFAT. Damotæ finitimum regnum.

XV. ጋዠጌ: GAJGHE. lege ut Galli *Gajegue.*

XVI. ጋን: GAN̄: Luſit. *Ganhe.*

XVII. ጋንዝ: GANZ. Quod nomen cum Baliâ, in ficto Regis titulo, malè in unum vocabulum *Baleganz* contrahitur.

21 XVIII. ገድም: GEDM. Propè Dawarò ad Orientem ſitū.

XIX. ጎዣም: GOJAM.[e] lege cum Gallis *Gojam.* Re-

d) Luſitanis *Narea*, Godigno Nerea. L. I. c. 4.
e) Malè Goyame in tabulis: pejus Goroma apud Godign. L. I. c. 4. p. 15.

1,8,20. gnum hoc, repertis ibi Nili fontibus, nunc celebre eſt, ſitu prorſus mirabile; Nilus enim ferè totum, peninſulæ in modum, ambit. Meroën autem (quod Tellezius putat) nullo modo eſſe poſſe, in commentario docebimus.(30) Viginti tractus i.e. regiones continere Godignus tradit, nomina reticet.

L.I. c.9.

L.I. c. 4.

XX. ጎምቦ : GOMBO. 21
XXI. ጎንጋ : GONGA.
XXII. ጉራጌ : GVRAGHE. 22
XXIII. ኢፋት : IFAT. ab orientali parte *Shεwæ* ſitum.
L.1,4.§.No qual. N.G.d.l. p.16. XXIV. ሰሜን : SAMEN. Tellezio *Cemen*, à quo inter provincias computatur. 23
XXV. ሴት : SET. cujus incolæ Ethnici ſunt.
XXVI. ሴዋ : SEWA. Amhar. ሽዋ : *Shεwa*. Luſit. *Xoa*, vel *Xaoa*. Ampliſſimum & opulentiſſimum regnum; olim à Regibus ſæpe frequentatum, ac tunc Amharâ celebrius. In ſuperius & inferius dividitur. Multa ibi monaſteria & aliquot oppida dantur, ut in tabulâ noſtrâ videre eſt. *Dabra-Libanos*; ſedes *Iεeghi*, ſummi Monachorū antiſtitis, olim hîc fuit. 24

3,3,27.

XXVII. ሻት : SHAT. Luſit. *Xat*. 25
XXVIII. ትግሬ : TEGRE ſive TIGRA. Unum ex præcipuis regnis, idque primum Æthiopiam intrantibus. Priſcorum Regum patria, qui Axumæ degerunt. Pars ejus nobiliſſima mare rubrum ſpectat, & ባሕር : *Bahr*, Mare: vel ምድረ : ባሕር : *Mεdra-Bahr*, *Terra maris*, ſive *provincia maritima* vocatur, quæ tres Toparchias ſub ſe comprehendit.(31) Præſes illius ባሕር : ነጋሽ : *Bahr-nagash* ſedem habet in ደባርዋ : *Dobarwa*.[f] Præfecturæ Tigrenſes ſunt: 26 27

1. አበርጋሌ : *Abargalè*.	12. እንደርታ : *Enderta*.
2. አክሱም : *Acſum*, i.e. Axuma præfectura, Regiæ antiquæ cognominis.	13. ገርዓልታ : *Garalta*.
3. አዴት : *Adêt*.	14. ሀገራይ : *Hagaraj*.
4. አፋ : መኮንን : *Afa-Macuonεn*.	15. መምበርታ : *Memberta*.
5. አጋምያ : *Agamja*.	16. ናዴር : *Nadêr*.
6. አምባ : ሰኔት : *Amba-Sanet*.[g]	17. ሠሐርት : *Sahart*.
7. ቦራ : *Bora*.	18. ሰለዋ : *Salawa*.
8. ቡር : ላዕላይ : *Bura ſuperior*.	19. ሰናፌ : *Sanafe*.
9. ቡር : ታሕታይ : *Bura inferior*.	20. ሲሬ : *Sire*.
10. ቤተ : አባ : ገሪማ : *Beta-Abba Garima*	21. ተዴራር : *Taderar*.
11. ዶባ : *Doba* prope *Angotam*, *Ethnicis habitata*.	22. ተምቤን : *Tambên*.
	23 ቶራት : *Torât*.

24. ጸምዓ

f) In tabulis *Debarua* malè *Barva*, vel pejus *Barna*.
g) Amba çanet Tellezio p.119.

24. ጸመ፡ *Tzam-a.*	26. ዋግ፡ *Wâg.*
25. ጸራ፡ *Tzera-e.*	27. ዋዥራት፡ *Wajrât.*

28 Quæ variis nationibus atque gentibus habitantur. Sed non totidem præfecti sunt ac præfecturæ; quia uni sæpe duæ vel tres parent. Bora enim, Salawa, & Waga unum tantum habent præfectum.

29 Præfecturæ, quæ Bahrnagasso parent, sunt:

1. በቅለ፡ *Bakla*, cujus incolæ omnes armentarii sunt, & alibi æstatis, alibi hyemis tempore commorantur; ut infra dicetur.
2. እገለ፡ *Egala.*

30 3. ሐማሴን፡ *Hamaçen.* Tribus oppidis constat, quæ Regi Habessinorum quidem parent, sed sibimet Rectores præficiunt, ac suis legibus in modum alicujus parvæ Reipublicæ utuntur; sæpe etiam exulibus, atque aliunde profugis asylum præstant.

4. ማርያን፡ *Marjan.*	6. ሰራዌ፡ *Sarawe.*
5. መረታ፡ *Marata.*	7. ዛንገሬን፡ *Zangarên.*

31 XXIX. ወለቃ፡ WALAKA. Lusitan. *Oleca*, vel *Holeca* inter Amharam & Sewam sita.

XXX. ወድ፡ WED. Lusit. *Ogge.*

32 Hæc sunt regna cum præfecturis suis, quæ mihi Gregorius enarravit, atque Æthiopicis literis descripta reliquit, ut ea & genuinè pronunciare, & Latinis literis, quantum fieri potuit,
33 exprimere quiverim. At plura *Tellezius* recenset, neque ta- L.I.c.4.
men majusculis literis, ut cætera regna, in tabulâ suâ expressit; nempe:

Alamale.	*Boxa*, quam tamen regionem quandam Enareæ esse dicit. L.I.c.8.
Aurà.	*Gumar.*
Bahargamo.	*Manz.*
	Marrabet.
Betezamora.	*Mota.*

34 Contrà regna nonnulla omittit, quorum tamen aliqua in tabulam suam Geographicam intulit: aliquorum etiam in historiâ suâ mentionem facit. Ea autem sunt: L.I.c.15.

Fatagâr.	*Gonga.*
Gafât.	*Sêt.*
Gajghè.	*Shât.*
Gombo.	

35 Provinciæ insigniores, quæ peculiares suos præfectos habent, sunt: 1. እምፍራስ፡ *Emfras*, inter Bagemdram & Dembeam sita.

2. መዛጋ : *Mazaga.*
3. ሙጋር : *Mugar*, prope Sewam.
4. ጸገዴ : *Tzagadê.*
5. ወገራ : *Wagara.*
6. ወልቃይት : *Walkajit.*

Reliquas in tabulâ noſtrâ Geographicâ reperies.

Ex quibus regnis & provinciis Habeſſinorum Rex nunc temporis adhuc posſidet:

1. *Ambaram.*
2. *Bagemdram.*
3. *Cambatam.*
4. *Damotam.*
5. *Dembeam.*
6. *Enaream.*
7. *Gojamam.*
8. *Samenam.*
9. *Sewæ partem* cum aliis nonnullis ignobilioribus regnis.

Ut & provincias:

1. *Emfraçam.*
2. *Mazagam.*
3. *Tzagadêam.*
4. *Wagaram.*
5. *Walkajitam.*

quæ regna & regiones optimam quidem, attamen vix dimidiam antiquæ Habasſiæ partem conſtituunt; reliqua Gallari occuparunt, vel deſolarunt; ut in loco memorabimus.

CAP. IV.

De Tabulâ Habeſſiniæ Chorographicâ vulgari, & autoris novâ.

1. *Tabula nova* Habeſſinorum. 2. *vetus* ut erronea taxatur. 5. Gregorio *ridicula* viſa. Cauſa ex *pravâ ſcripturâ.* & 6. malè intellectis vocabulis *Barnagaſſo*, *Tigremahon*, *Ambiancantiva*; quæ 7. declarantur. 13. *Literarum poteſtates* ambiguæ. 17. conſilium concinnandi Alphabeti cujusdam Geographici. 19. autoris de tabulis ſuis conteſtatio.

VT autem cuncta eò meliùs appareant, novam Habesſiniæ tabulam Chorographicam ob oculos ponemus; vetus enim, quæ incerto autore circumfertur, erronea prorſus eſt. Pudebat me apud Gregorium vanitatem & incuriam noſtrorum hominum mihi exprobrantem, qui tam abſurda Orbi literato obtruderent, atque pulcherrima aliàs Geographiæ opera[h] talibus ineptiis fœdarent; ejusmodi tabulas ſine idoneâ autoritate, ſine admonitione ullâ, à cujus nationis viro, quando, quâve linguâ primùm conſcriptæ fuerint, in lucem emittentes; prorſus quaſi lectorem ex profeſſo fallere vellent, ne de veritate rei judicare posſit. Et ſanè multos claros cæteroquin inſigni judiciô præditos viros fefellerunt, qui im-

(margin numbers: 1, 2, 3, 4 beside the lines beginning "VT autem", "ſus eſt. Pudebat", "phiæ opera", "vellent, ne de")

h) Veluti *Ortelii*, & *Ioh. Ianſonii* Theatrum mundi. Atlas Major Gerh. Mercatoris, Guil. Blau, & aliorum.

imperium Habesſinorum totius orbis ampliſſimum, nec multo minus Europâ prædicaverunt, commentis iſtis improvidè nimis fidentes.

5 Cùm primò *tabulam vulgarem* Gregorio proponerem, modò riſum, modò ſtomachum movebam; nam antequam mihi veniſſet in mentem literas Latinas more Luſitanico efferendas eſſe, interrogabam de regno *Xoa*, *Gojame*, aliisq; regionibus, quibus Luſitani literas, *a*, *d*, *do*, tanquam articulos ſuos vel demſerant, vel addiderant, [i] nullâ literæ *h* ratione habitâ, ille verò, quid vellem, neſciebat, donec pro *Xoa* שׁוֹאָה

6 *Shoâ*, pro *Goyam*, *Gojam*, & ita porrò, pronunciarem. At impensè ridebat, cum ſciſcitarer de regnis *Barnagaſſo*, *Tigremahon* [k] & *Ambiancantiva*. Nam poſt brevem dubitationem intelligebat hos eſſe Proregum titulos cum nominibus regionum, quibus præfecti eſſent, conjunctos: nec non

7 Luſitanicâ pronunciatione & ſcripturâ valdè corruptos. Etenim *Barnagaſſo* Amharicum eſt ባሕር : ነጋሽ : *Bahr-nagash*, ex *Bahr* mare & *Nagash* Rector compoſitum, quaſi præfectum maris diceres. *Tigremahon* corruptè pro ትግሬ : መኰንን : *Tigre-Macuonen* h. e. *Regni Tigre Iudex* ſive Præſes. *Ambiancantiva*, pro ደምቢያ : ካንቲባ : *Dambea-cantiba* h.e. *Dembeæ præfectus*. Idem contigit nobiliſſimæ urbi eidemque regiæ, *Axumæ*, nuspiam in tabulis comparenti, quia አክሱም : *Acſum* i.e. *Axum*, Luſitanis ſonuit *Acaſſum*; abjecerunt igitur *A* tanquam articulum, & additâ terminatione ſuâ *O* fecerunt *Casſumo* (32); in quâ urbe diu hæſimus, priusquam id, quod eſ-

8 ſet, cognoſceremus. Prætermitto alia innumera, quæ tabulam vulgatam inutilem mihi planè reddebant. Nec dubium eſt idem in aliis exoticis tabulis crebrò uſuvenire, ut, niſi quis divinaverit nationem & linguam primi autoris, non niſi per-

9 verſiſſimè nomina locorum legere poſſit. Cùm enim hodierni Europæi proprias literas non repererint, ſed Latinas mutuatas ſuis ſonis accommodaverint, factum eſt, ut una eademq; litera à diverſis nationibus diverſimodè efferretur; id

10 quod in literis conjunctis maximè uſu venire ſolet. Ch. *Germanis*, *Belgis*, & *Polonis* eſt aſpiratio aſpera, ſcilicet ח *Hebræorum*, χ *Græcorum*: *Italis* verò *Ch* legitur ut *K*. *Gallis* ut ſibilus fortis ש. At apud *Anglos*, *Hiſpanos* & *Luſitanos*, qui ſoli

 vo-

i) Vt *Abugna*, pro *Bugna*. *Barua* pejus *Barna* pro *Dobarua*. *Amara* pro *Ambara*. *Ambadora* pro *Ambadorho*, &c.

k) In tabulis vulgatis extat etiam *Tigre* & *Tigray*, quaſi diverſa regna eſſent; quod graviter reprehendit *B. Tellez* L. I. c. 4.

vocem *China*⁽³³⁾ genuinè pronunciant; ſibilus eſt quaſi ex T. & ſch. compoſitus, quem *Itali* exprimunt per C ante e & i; *Poloni* per Cz. Sed in nullo major varietas, quàm in ſibilo ሸ 11
nobis Æ. vide Tab. modo dicto occurrit. *Germanis* eſt Sch/ *Anglis* Sh, *Gallis*, Ch, *Italis* Sc ante e, & i; quem *Luſitani* per *X.* ſignificare voluerunt, ne ſcilicet ſupervacanea maneret in Alphabeto illorum iſta litera.

Æquum ergo eſſet, ut editores peregrinarum tabularum 12
docerent, ſecundum quam linguam regionum & urbium nomina legenda eſſent: vel qui univerſale quoddam opus 13
Geographicum parant, ut ſyllabum quendam elementorum certi & conſtantis valoris præmitterent, Latinasq; literas ambiguæ poteſtatis ſigno quodam notarent, quibus æqualiter in toto opere uterentur.⁽³⁴⁾

Specimen poſt procemium dedimus, ſecundùm quod le- 14
ctio nominum Æthiopicorum, Latinis literis expreſſorum, cùm in hoc opere, tùm in tabulâ noſtrâ inſtituenda eſt. Quò minùs autem in legendo peccetur, eandem tabulam Æthiopicè quoq; ex ſcripturâ Gregorii edere voluimus, quò linguæ illius gnari cognoſcant, quo pacto Æthiopes regnorum atq; provinciarum nomina exprimant.

Cæterum tabulam noſtram Chorographicam defecti- 15
bus ſuis laborare libenter fatemur: nam Gregorius etſi nomina ſitumq; locorum ſatis noſſet, graduum ſphæræ atq; elevationis poli ignarus planè erat. Igitur in prioribus, quas conſtruxi, Habeſſiniæ tabulis, latitudinem atq; longitudinem tabularum vulgarium ſecutus ſum; quia autem in eo falſæ videbantur, nullas in publicum edere ſatius viſum fuit. Unum 16
tantùm & alterum exemplar manuſcriptum Magnatibus quibusdam,[1] orto fortè de Æthiopiâ ſermone, cum convenienti excuſatione obtuli; quibus nunc, ſi forte reperiantur, fidem derogare neceſſum habeo. At poſtquam in Tellezii ta- 17
L.I.c.4&5. bulam Chorographicam incidi, quæ à Patribus Societatis ope aſtrolabii ritè facta erat, non dubitavi gradus in eâ poſitos retinere, eamq; publici juris facere; additâ novâ Africæ tabulâ, quò noſcentibus cuncta in aperto ſint. Mediterranea (c) addidimus, ut ut incertisſima, quia ob regionum longinquitatem à mercatoribus Europæis rarisſimè frequentantur.⁽³⁵⁾

CAP.

[1]) Thevenotius illius, quam Electori Moguntino dedi, mentionem facit in ſcripto cui tit. *Remarques ſur l'hiſtoire d'Ethiopie.* Obtuli & Regi Daniæ Friderico III. & Electori Palatino Carolo Ludovico, & aliis, exemplaria mſta.

CAP. V.

De cœli naturâ & aëris temperie, tempestatibus, ventis & similibus meteoris.

1. *Aër* varius. 2. Æſtus mirabiles effectus. 5. *Zona torrida* nihilominus *habitabilis* eſt. 8. *Excelſa* frigent. 13. *Nix* nulla. 15. *Aëris* temperies & *ſalubritas*. 16. *Tonitrua* horrenda. 18. *Hyems* fœda. 19. à Gregorio deſcribitur. 22. diverſitas tempeſtatis *in eodem ſitu*. 24. Geographi taxantur. 27. Quatuor *anni tempora* diverſa ab Europæis. 29. *Veris initium* die 25. Septembris. 31. quid ſit ጸደይ፡ 32. quid ሐጋይ፡ 33. *tria tantùm* anni tempora reverâ habent. 35. *dies & noctes* ferè ſemper æquales; *dilucula* & *crepuſcula* brevia. 38. *Venti* in montibus & in planitie quales? item in Suaqena. 40. Ventus impetuoſiſſimus ዘንዶ፡ *Anguis* dictus. 42. *Typhon* & *preſter* ſæviſſimi & 45. exitioſiſſimi.

1 IN tot tamq; variis regionibus varia *aëris* eſt *conſtitutio*. Ar-
dores Solis intolerabiles ſunt in locis planis atque depreſſis, *N.G.I,11.*
quæ ቆላ: *Kolla* Habeſſinis dicuntur; quales Seneca deſcribit *Natur.*
2 his verbis: *Saxa velut igni ferveſcunt, non tantùm medio ſed* *quæſt.L.IV.*
inclinato quoque die: ardens pulvis, nec humani veſtigii pa- *c.2.*
tiens: argentum replumbatur: ſignorum coagmenta ſolvun-
tur: nullum materiæ ſuperadornatæ manet operimentum.
3 Quo nomine infame eſt utrumq; maris rubri littus, illiusq;
inſulæ; imprimis Suaqena, cujus *æſtum* Gregorius multoties
4 appellabat *infernalem*. Ajebat enim *cuticulam corporis hu-*
mani, quam Epiderma Anatomici vocant, *quaſi deglubi:*
ceram Indicam, cujus in ſigillis uſus, in capſulis liqueſcere: ſo- *B.T. IV.38.*
5 *leas calceorum tanquam in prunis torreri*. Falſi tamen fue-
runt Geographi priſci,[m] qui zonam torridam inhabitabilem *Id.I,12.*
6 crediderunt;[(36)] *Mediam enim terrarum partem, qua ſolis or-*
bita eſt, (ut Plinius loquitur,) *exuſtam flammis & crematam,* *L.II.c.68.*
cominus vapore terreri. At hi non conſideraverunt naturam
illorum, quibus ea patria eſt: multo minus ſecum reputa-
verunt avaris ac dominandi cupidis tantam patientiam in-
eſſe, ut etiam exteri fervores Solis, quamvis immodicos, li-
7 benter tolerent. [n] Scilicet Philoſophi nonnulli incerta & in-
comperta pro certis & veris docent, atq; de aëris, cœli, aſtro-
rumque naturâ ita diſſerunt, quaſi diu iter in æthere feciſſent.
8 [(37)] Neque illis venit in mentem poſſe etiam montes ſub zonâ
torridâ ultra nubes, adeoque ultra æſtum extolli. In monti-
bus enim aërem frigidiorem dari omnes gentes in ſuis regio-
9 nibus experiuntur. *Aërem autem per ſe frigidum eſſe,*[(38)] *nec*

m) Ariſtot. Meteorolog. L.II. c. 2. & alii eum ſecuti.
n) Hiſpani dicunt & obſervant: *El que anda tra ſu interes, non repara en incommodidades.* Qui in utilitatem intentus eſt incommoda non curat.

nisi replicatis inter exhalationes terrenas Solis radiis calefieri, sagaciores Philosophi ° docent. In imâ aëris regione prope 10
terram id densè & confertim: in superiore, ob spatium magis magisque laxius, rariùs contingit; ac ob id humilia loca æstuant, excelsa frigent, gelidâ aëri naturâ, ob caloris alieni defectum, manente.

Igitur statim à littore maris rubri, quò altiùs montes 11
Æthiopiæ ascenderis, eò temperatiorem aërem sentias; ita
L.I.c.12. ut, teste Tellezio, in multis Habessiniæ regionibus mitiores sint æstatis calores quàm in Lusitaniâ, tot gradibus versus septentrionem remotâ. Imò dantur regiones maximè monto- 12
sæ, veluti Samena, in quibus frigus magis timetur quàm æstus. *Nulla* tamen vel paucissima ibi *nix*; (39) grando quæ- 13
dam minutior humum nonnunquam operit, quæ procul aspicientibus nix videtur. Gregorio nota non erat; nam cùm 14
A.C.1652. montes Tirolis sub finem Septembris cum eo transirem, *nivem*, quæ paulò ante ceciderat, videns, ሐሪጽ፡ ሐሪጽ፡ *Haritz, Haritz* exclamans, *farinam* mirabundus vocabat. Talem 15
1,14,36. aëris temperiem salubritas regionum: salubritatem vivacitas incolarum sequitur, quam nonnulli usque in annos centum
B.T.V,1. producunt. In solâ Tigrâ sub initium veris Æthiopici, nimirum mense Septembri & Octobri, febres grassantur.

Ex illâ, quam diximus, aëris varietate tonitrua stupenda 16
oriuntur; quæ, cùm describeret Gregorius, audientes ferè exhorrescebant; coortis enim simul pluribus tempestatibus, cœlum atris nubium globis tegitur; mox fulgura undique continua, & fulmina creberrima atque terribilia, etiam animos firmatos taliumq; assuetos percellunt. Ingruunt *nimbi* 17
densissimi, non guttis, sed quasi rivulis aquam fundentes. (40)
Ruunt *torrentes*, qui saxa, arbores, & obvia quæque per devexa provolvunt. *Flumina* omnia exundant. Viæ vel aquâ 18
opertæ, vel cœno tenaces itinera impediunt. tam fœda illis hyems est, plerumque totos tres menses durans. Gregorius 19
illam his verbis mihi exposuit:

ክረምት፡ ዘኢትዮጵያ፡ ኢኮነ፡	*Hyems Æthiopiæ non consistit tantùm*
ባሕቲቱ። በዝናም፡ ዘይወርድ፡	*in pluviâ, quæ descendit de cœlo, sed*
እምሰማይ፡ አላ፡ ዓዲ፡ ምድ	*insuper terra etiam aperit os suum*
ር፤ ትፈትሕ፡ አፉሃ፡ ኀበ፡ ኵ	*in omnibus locis, & evomit aquam.*
ሉ፡ መካን፡ ወትቄይእ፡ ማየ።	*Imò intra uniuscujusq; ædes scaturit*
ወበውሣጤ፡ ቤቱ፡ ዘ፩፡ ፩፡ ይነ	
ቅዕ፡ ማይ፡ በእመ፡ ኮነ፡ በም	

ድር፡

°) Sen. Natur. quæst. L. II. c. 10.

ድር፡ ትሑት፡ በእንተዝ፡ ኢነ	*aqua, si fuerint in humili loco* (positæ.)
ሐንጽ፡ አብያቲነ፡ በመካን፡	*Hanc ob causam non ædificamus do-*
ትሑት፡ ዘእንበለ፡ በመልዕ	*mus nostras in locis depressis, sed in*
ልት። ብዙኅ፡ አፍላጋትኒ፡ ወአ	*editis. Tot ac tanta flumina & sca-*
ንቅዕታት፡ ማያት፡ ዘምድር፡	*turigines aquarum ex terrâ: & tales*
ወዝናማት፡ ዘአየር፡ አልቦ፡	*pluviæ ex aëre ita non dantur alibi,*
ኀበ፡ ካልእ፡ ከመ፡ በሀገርነ፡	*quemadmodum in patriâ nostrâ.*

20 Talis tempestas exteris tam molesta tamque gravis visa fuit, ut cùm aliquando Ægyptius & Habessinus de præstantiâ suarum regionum inter se disceptarent, & Habessinus *nativam soli fertilitatem, aëris temperiem, æstates amœnas, duplicem messem, aliaq; patriæ suæ bona* extolleret, & *Ægyptios sine Æthiopia vivere non posse* diceret, *quòd Nilus limo Æthiopico Ægyptum fœcundaret, sine quo & pecudes & homi-*
21 *nes interituri essent*: Ægyptius contrà *imbres sævos, torrentes rapidos, montes asperos & præcipites, postremò horrenda tonitrua* Habessino exprobravit, atq; in eo superior evasit.

22 Cæterùm *hyemis*, quamvis in eodem situ, non ubique idem tempus, nec eadem constitutio; quia non solùm alibi mitior, alibi asperior est, sed etiam ipsis mensibus à nostro cli-
23 mate differt; quod jam olim observavit *Nonnosus*[p] Justiniani Imperatoris ad Axumitarum Regem legatus, qui has oras ipse perlustravit, inter alia scribens:

Μέχρι μὲν τῆς Αὔης, ὥσπερ καὶ παρ' ἡμῖν, θέρος τε καὶ ξηρότης διακρατεῖ τὸν ἀέρα. Ἀπὸ δὲ τῆς Αὔης ἐπὶ τὴν Αὔξουμιν, καὶ τὴν ἄλλην Αἰθιοπίαν χειμὼν ἐπίκειται σφοδρός.

(Ab oppido Adulitarum) *usque ad Auen, quemadmodum & apud nos, æstas & siccitas occupat aërem: Ab Aue verò versus Axumam & reliquam Æthiopiam hyems incumbit sæva* &c.

24 Gregorius mihi retulit: *plagam maris rubri, & biduum illud itineris à littore usque ad Æthiopiæ montes, Novembri, Decembri, atque Januario mensibus cum Europâ hyemem habere.* (41) In gradibus tamen latitudinis nihil differunt; ut non ubique verum sit, quod quidam Geographorum[q] tra-
25 dunt: *Periœcos æstatem hyememque eandem habere.* Qualis verò illius littoris hyems sit, ex responsione Gregorii colligi potest, qui calidissimo quodam die interrogatus: *Annon gravem æstum sentiret in Germaniâ?* respondit:

p) in historiâ legationis suæ, cujus excerpta habentur in Bibliothecâ Photii n. 3. p. m. 2.
q) Vide not. in Phil. Cluver. Introd. in Geograph. L. I. c. 5. Idq; ex Aristot. L. II. Meteorologicorum; qui sine experientiâ scribit; *æstum & frigus non excedere ratione longitudinis, sed ratione latitudinis.*

ሐዴጕ፡ ቀዊ፡ ዮም ። ዘክረምት፡ ዘሰዋኪን፡ ውእቱ ።	*Hodiè parrumper caluit; talis est hyems Suaqenæ.* 26

quæ ſcilicet inſula in illâ plagâ ſita eſt. Nullum itaque frigus ſentitur, calor intenſus tantùm remittit; interdum etiam pluvia modica cœlo cadit.

De anni temporibus interrogatus reſpondit:

ዘመን፡ መፀው፡ ብሂል፡ Prima vera፡ ወዘመን፡ ጽጌያት፡ ውእቱ ።	*Tempus Matzau*, h.e. (Italicè) prima vera, *Tempus florum eſt.*
ዘመን፡ ጸደይ፡ ብሂል፡ Autonno፡ ወዘመን፡ ማእረር፡ ውእቱ፡	*Tempus Tzadai*, h.e. (Ital.) Autonno, *tempus meſſis eſt.*
ዘመን፡ ሐጋይ፡ ብሂል፡ Eſtate.	*Tempus Hagai*, h.e. (Ital.) Eſtate.
ዘመን፡ ክረምት፡ ብሂል፡ Inverno.	*Tempus Cramt*, h.e. (Ital.) Inverno, i.e. *hyems.*

Sic ille quatuor quidem tempora recenſuit. Verùm non eadem illorum ratio, nec eadem bona, ut apud nos: neque ea cum noſtris conciliare potuit Gregorius. 27

መፀው፡ *Matzau Ver* quidem meritò appellatur, quia hyemem proximè inſequitur, & campos gramine ac floribus complet. Incipit certo menſis die, ut quidem illi ſcribunt, nimirum die 25. Sept. Sic enim *Poëta* noſter *Encom. d.l.* 28 29

ድኅረ፡ ኀለፈ፡ ክረምት፡ ወገብአ፡ ዝናም፡
አንተ፡ አስተርአይከ፡ እግዚኦ፡ ጽጌያተ፡ ገዳም፡
አፈው፡ ሀይማኖት፡ ንሠልይ፡ ምስለ፡ ፍሬ፡ ምግባር፡ ጥዑም፡
አትግሀነ፡ ለስብሐቲከ፡ ከመ፡ ትጋሆሙ፡ አደም፡
ለጽብስት፡ ንህብ፡ ወሁካይ፡ ቃሁም ።

Poſtquam præteriit hyems, & transiit pluvia,
Qui oſtendiſti, ô Domine! flores campi, 30
Flores flagrantes fidei fac ut colligamus, cum fructibus operum jucundis (bonorum operum)
Sedulos redde nos ad laudem tuam, ſicut (eſt) *opus gratum*
Infirmarum apum, & ignavorum fucorum. (42)

At Æthiopum ጸደይ፡ *Tzadai, Autumnus* dici nequit, ut quidem *Gregorius* putavit; nam & ſecunda anni pars eſt, quæ ver proximè ſequitur: & maturitate frugum colonos exhilarat; quare æſtatem juſtiùs nominaveris. Quomodo verò ሐጋይ፡ *Hagai* reddendum ſit ambigere licet. Tertia quidem anni pars eſt, nec tamen autumni nomen meretur, utpote cujus bona Habeſſini ignorant; neque enim tunc temporis pyra, poma, aut olivas, ut in Europâ, decerpunt: ac propterea 31 32

nec vindemiam agunt, ſed contrà acerrimo æſtu aduruntur; ac propterea hoc anni tempus calidiſſimum hyemi frigidiſſimæ opponunt.

33 Veriùs dixeris *tria* tantùm anni *tempora* Habeſſinis eſſe: nempe *Ver*; quod xxv. Septemb. ut modo diximus, incipit:
34 deinde *Æſtatem*; ſed eam dividi in duas partes; priorem & meliorem, nempe *Tzadai* incipere xxv. Decembris: poſteriorem verò & deteriorem, nimirum *Hagai* xxv. Martii: tandem xxv. Junii[r] ineunte *hyeme*, tertiâ ſcilicet anni Æthiopici parte, terminari.

35 *Spatia* dierum atque noctium, ob ſphæram climatis illius rectam, ferè ſemper ſunt æqualia. *Dilucula* atque *cre-*
36 *puſcula* longè quàm apud nos breviora. Mirabatur *Gregorius* luceſcere, neque tamen Solem comparere: & illo rurſus
37 occidente, crepuſculum tamdiu durare. Illic enim ſtatim poſt Solis occaſum nocteſcit; ſimulque *ſtellæ* omnes, abſente Lunâ, viſuntur.

38 *Venti*, in montibus crebri & jucundi, aërem ſalubrem & temperatum reddunt: in profundis verò & planis locis aër piger, eoque fervidus & inſalubris eſt, maximè in maris Ery-
39 thræi inſulis. Hoc teſtabatur mercator quidam, pulchras merces Indicas è Suaqenæ portu in aulam ferens, interrogatus à filiâ Regis mirabundâ: *Quid obſecro venale non eſſet in Suaqenâ?* reſpondit: *Ventum; hunc enim ſolum non proſtare, aliàs fortunatam fore inſulam.*

40 Sed non omnes venti æquè grati & utiles ſunt in Æthiopiâ, dantur enim etiam impetuoſiſſimi, & inter eos ሰንዶ: *Sendo*; quæ vox Amharicè *Anguem*(43) ſignificat. Turbo tam vehemens & ſævus eſt, ut domos, robora & ſaxa, denique
41 obvia quæque proſternat, & ſæpe in aëra ſecum ferat. *Belgæ* Hooß(44) vocant, & in Aſiâ maximè ſævire, interdum &
42 navigia evertere, ſcribunt. τυφών *Typhon* Græcis eſt, de quo *Plinius* ſic: *Præcipua navigantium peſtis, non antennas modò, verùm ipſa navigia contorta frangit.* Et paulò poſt: L.II.c.48. *Idem repercuſſus, correpta ſecum in cœlum refert, ſorbetque*
43 *in excelſum.* Cerni poſſe, & figuram anguis repræſentare, *Gregorius* ajebat, cujus craſſior pars, tanquam caput, humi hærens, corpus veluti ſpiris quibusdam in ſublime extollat.
44 Nec ab eo differre puto ventum, quem Græci πρηστῆρα vocant, ſimili

r) Gregorius differt à Poetâ uno die; nam XXVI. diem menſium in textu nominatorum mihi indicavit, vide Commentar.

ſimili æquivocatione; *Preſter* [s] enim etiam genus ſerpentis
eſt. [t] Veneti *Biſſa bova* eâdem fortaſſis ratione vocant. Talis 45
A.1679. turbo autumno prĉterito in Illyrico ortus, homines, jumenta,
equos cum plauſtris fœno onuſtis, imò campanas ĉneas (ſi re-
lationi fides) per aërem procul abſtulit, multisq; domibus,
templis, turribus atque palatiis deſtructis, deplorandam ſtra-
A.1568. gem edidit. (45) *P. Organtinus Brixianus* Goâ ſcripſit: *Typho-* 46
nem naves non oneratas, ab undis in aëra elevatas, ultra lit-
tus tuliſſe. Quæ cùm ita ſint, *lapidum, ferri, & laterum cocto-* 47
Plin.II.c.56 *rum prodigioſas pluvias* non miraberis, ſi cùm vulgò dicas,
hominibus, campanis, atq; navibus, quòd ex aëre deciderint,
aliquando pluiſſe.

CAP. VI.

De Habesſiniæ montibus celſiſſimis, & mirabilis figuræ rupibus.

1. *Montes* celſiſſimi. 2. *Lamalmonus* periculoſiſſimus. 4. Amhara & Samena *gibbus* Habeſſiniæ. 5. altiores ſunt *Alpibus* & *Pyrenæis*. 6. *Rupes* præruptæ, variâ mirabilique figurâ. 7. *Scalis* & *funibus* opus aſcendentibus. 8. *Supercilia* ſpatioſa habent. 10. Rupes, in qua olim filii Regum, deſcribitur. 15. *Petra* in *Gojama ſpeculi* inſtar cavata. 16. *Voragines* & *eluvies* profundiſſimæ. 17. Rara aliàs *planities*, maxima in Dembea datur. 18. *commoda* montium; 19. *aër temperatus*: 20. *ſecuritas*: & 21. *fontium amœnitas*.

OMnis Habesſinia enormiter montoſa eſt; ubi duorum 1
modò dierum itinere à mari rubro proceſſeris, confe-
B.T.1,12. p.32.b. ſtim ſcandendi ſunt celſiſſimi *Tigræ* montes. Inter quos ſum- 2
mum extollit jugum *Lamalmonus*, (46) quem in *Dembeam*
ad caſtra Regia pergentes tranſire coguntur; tam periculoſis
gradibus, & tramite tam anguſto, ut, ſi proficiſcentium tur-
mæ obviam ſibi fiant, homines atque jumenta, dum invicem
ſubeunt aut cedunt, in tantam abyſſum præcipitentur, ubi
ne conſpici quidem ampliùs poſſint. Sed non ſola iſta regio 3
montibus quaſi conſita eſt; *Bagemdra*, *Gojama*, *Waleka*,
Shewa, & cæteræ regiones, ſi *Dembeam* excipias, perpetuis
jugis continuantur. Cumprimis *Amharæ* & *Samenæ mon-* 4
tes, in immenſum editi, veluti *gibbum* Habesſiniæ repræſen-
tant.

s) Sic dicitur *ob ardorem inexſtinctæ ſitis, quem morſu cauſatur*, ait *Dioſcor. L. VII. c. 14.* vel, *quod morſus ejus* (ut puto) *inſtar ignis urat.* Eſt enim à verbo Πρήθω *Inflammo.* Quod autem *ventus* iſte *cum igne ſpiret, & flammam ſecum vehat, ut propterea accenſus turbo* dicendus ſit: *Typhonem* autem vocari, *ſi nihil prorſus ignis conceperit*; ea gratis & ſine experientiâ ſcribi putaverim; quamvis *Ariſtoteles* tales differentias faciat. *Lib. de Mundo. cap. 3.* vide Commentar.

t) *Biſſa* enim ſive *Biſcia* Italis *Colubrum* ſignificat.

5 tant. Multi hîc ſunt Aorni,[u] incredibilis plerique altitudinis
& aſperitatis; ut, ſcribente Tellezio, *metum incutiant aſpicien-* d.l.
tibus, nedum transeuntibus: & *Alpes atque montes Pyrenæi,*
ſi cum Habeſſinicis compararentur, humiles videantur colles.
Idem addit: *Luſitaniæ montes, etſi prealtos, cum illis compa-*
ratos ludum atque jocum cenſeri.

6 Inter illos montes, & ſæpe in ipsâ planitie, ac in mediis N.G.I,11.
campis exſurgunt *rupes* undique præcipites & abruptæ, *figu-*
ra varia, ut procul ſpectantibus modò excelſæ turres, modò
pyramides: aut metæ maximæ: aut arces quadratæ, humanâ
arte conſtructæ, videantur; lateribus ex parte utrâque ita di-
rectis, ut quaſi dolabris aut manu opificis abſciſſæ videantur.
7 Non rarò ſemita ſcandentes, ubi paululum progreſſi fuerint,
deficit, nec locus datur amplius veſtigio humano. Vt igitur
habitari poſſint, *ſcalæ* tanquam muro aut parieti applicandæ:
& pecudes atque jumenta *funibus* in altum trahenda ſunt.
8 *Supercilia* earum, ut plurimum tam ſpatioſa ſunt, ut arva,
ſylvas, prata, fontes perennis aquæ, aliaque ad vitam neceſſa-
ria contineant; imò, quod mireris, etiam piſcinæ in illis ca-
9 vantur. Hujuſcemodi rupes አምባ: *Ambas* vocant; ut አምባ:
ደርሆ: *Amba dorho,*[x] &c.

10 Res nos admonet, ut celeberrimam Amharæ rupem
Geshen, cujus, ut & contigui montis *Ambaçel* ſupra memi- 1,3,8.
11 nimus, *Tellezii* verbis deſcribamus. *In confinibus Amharæ,* L.I.c.17.
Shewam verſus, ſita *eſt Amba Geshèn; mons eſt penè inexpu-*
gnabilis, circumquaque præruptus atque prealtus, in modum
12 *caſtelli è ſaxo vivo exſculpti. Summum illius ad dimidiũ leu-*
cæ Luſitanicæ extenditur, imum verò non niſi ſemidie circum-
13 *iri poteſt. Aſcenſus primò clemens, mox difficilis & aſper, ut*
boves Habeſſinici, qui aliàs rupicaprarum more per ardua ni-
14 *tuntur, hîc funibus attrahendi, & demittendi ſint.*(47) Cætero-
quin locis minimè amœnis, in humilibus caſis, inter arbuſta
& ſylveſtres cedros, terrâ & aëre tantùm non interdicti, dege-
bant olim miſeri illi Æthiopici Principes; prorſus *quaſi excel-*
ſo loco nati, etiam excelſo exilio coërcendi fuerint; ut infra di- 2,8,24.
15 cemus. In *Gojama* narrante Kirchero[y] *ex P. Payzii relatio-*

u) Petra Indiæ *Aornos* dicta, quòd avium volatum ſuperet. Curt. 8, 11, 2. Dantur & *Lacus* hujus nominis, ſed ex aliâ cauſâ, quòd ob peſtiferam exhalationem aves non ſupervolitent, Plin. II, 4 in princ. Latinis propterea *Averni* dicti.

x) h. e. *Rupes Gallinæ,* Henneberg. in tab. malè *Ambadora.*

y) Athan. Kircher in *Muſurgia* ſua Vniverſ. T.III. L. 9. c. 6. in Corollar. ubi pro *Ioannes* Pays ſcribe *Petrus Pays.*

ne, *petra* eſt naturâ ſic *excavata*, ut procul contuentibus ſpeculum repræſentare videatur. Contra quam alia, in cujus cacumine nihil tam ſubmiſsè dici poteſt quod non procul audiatur: clamor verò inſtar celeuſmatis reſonat.

Inter hujusmodi montes, *voragines* immenſas, & elu- 16
vies profundiſſimas dari facilè credideris; pleræque ſic com-
d.c.12. paratæ ſunt, ut imam abyſſum (*centrum terræ ait Tellezius*)
te conſpicere putes; nec illas aliter *Gregorius*, quàm ut formi-
doloſos & valde horribiles locos deſcribebat. Rara igitur 17
ſunt loca plana. Maxima *planities* cenſetur in Dembea, juxta lacum Tzanicum, viginti circiter leucarum Luſitanicarum longitudine: & quatuor vel quinque latitudine.

Tam montoſa regio, Helvetiæ ſimillima, certè horrida 18
atque inculta plerisque videbitur; at ſi contrà reputes quanta
commoda Habeſſinis afferat, providentiam divinam mira-
beris. Etenim celſitudo montium, in inſolitam altitudinem 19
porrecta, nimium calorem aſpernatur; ut habitare patriam
ſuam posſint: quia in ſublimi *auram temperatiorem* liberiùs
1,5,10. ſpirare antea docuimus. Deinde *ſecuritati* illorum proſpe- 20
N.G.1,11. ctum; quia tot inacceſſi montes caſtellorum vice ſunt, atq;
receptum illis præbent, ut ſe contra tot hoſtes tutari posſint.
1,16,11. Adelenſium enim & Gallanorum vi, niſi naturalibus hiſce
munitionib⁹ defenſi, dudum periiſſent. Præterea per omnes 21
iſtos montes *ſcaturigines* pasſim manant amœnisſimæ, qui-
1,8,3. bus plana zonæ torridæ loca carent; cauſam mox exponemus.

CAP. VII.

De metallis & mineralibus.

1. *Metallorum* & *Mineralium* Abaſſia ferax. 2. *auri* præcipuè, quod 3. in fluminum arenâ, 4. in *Damotâ* vero & *Enareâ*, in ſuperficie terræ legitur. 5. *Argento*, non autem *plumbo* deſtituuntur. 6. *Artem metallicam* nec ſciunt nec amant. 9. *Sal foſſilis* copioſus. 11. pro pecuniâ eſt. 12. *Gemmis* carent. 14. Mineralia magis æſtimant; privatim ſtibium. 16. quo cilia illinunt.

IN tottantisque montibus *metallorum* ac *mineralium* co- 1
N.G.1,11. piam ſuppetere, teſtantur Patres Societatis. Credibile ſanè 2
eſt hanc terræ partem, fervidisſimis Solis radiis ſubjacentem,
illorum fœcundisſimam eſſe, *auri* præcipuè, quia in flu-
minum ramentis [48] perpolitum & purum largiter reperitur;
ervi ferè vel viciæ magnitudine. Hinc fides, in monti- 3
bus vicinis gigni, atque vi fluminum avulſum, ſimul cum

arenâ

arenâ vehi. Tale aurum abſolutisſimum eſſe *Plinius* tradit. *L.33.c.4.*
4 *Damota*, ſed maximè *Enarea*, hoc beneficio gaudet, cujus
id vectigal eſt. In radicibus arborum, imo in ſummâ tellure
5 & ibi & alibi locorum nonnunquam invenitur. *Argento* de-
ſtituuntur; ſive quòd natura illud negaverit: ſive quòd erue-
re & coquere neſciant; *plumbum* enim habent, cui argentum
perſæpe connaſcitur.
6 Artis autem metallicæ imperiti prorſus ſunt; nam pu-
teos fodere, montes cavare: aut ſuſpenſo ligneis columnis
tellure cuniculos agere, latera tabulis claudere: ſilices prope
inexpugnabiles cuneis ferreis, & malleis frangere, vel igni
rumpere: aliquot dies vel horas diem non cernere: vapore
ac fumo ſtrangulari:[z] deniq; venas terrarum ſaxorumque ri-
7 mari ab Habeſſinorum ingenio prorſus eſt alienum. Quin
ſtultum putant ingemere metallis, & parare divitias, quibus
8 avaros Turcarum animos ad bellum accendant. *Ferro* tu-
tiores ſe cenſent, utpote quo & aurum parare poſſis; id verò
non effodi, ſed in ſuperficiei terræ obvium legi *P. Antonius* *N.G.d.l.*
Fernandes autor eſt.(49)
9 Porro *Sal foſſilis*(50) in confinibus Tigræ & Angotæ ab-
undè gignitur, in loco *terra ſalis* dicto; ibi montes nativi ſa-
lis[a] ſunt, qui in lateres ſciſſus egeritur, albus, probatus &
10 durus, copiâ inexhauſtâ. Intus eſt mollis, & nullo labore cæ-
ditur: in lucem autem prolatus dureſcit, & ingenti jumento-
rum copiâ à turmis mercatorum (quas *Caſilas* ſeu *Carova-
nas* vocant) per vicina regna & provincias, ubi rariſſimus
11 eſt, distribuitur. Alphonſus Mendezius Patriarcha ſcribit:
dari etiam quodam in loco montem ſalis rubri *ad medicamina
utiliſſimi*. Propitium numen inopiam pecuniæ ſale penſavit,
quo æquè ac alibi ære ſignato merces omnes tanquam em-
12 tione acquiri poſſunt. Igitur ſale abundant, quo vita huma-
na carere nequit: illis verò rebus carent, quibus vita beatior
non redditur: neque id, cujus fulgorem coloremque igno-
rant, concupiſcunt; *gemmas* puto, hucusque in Æthiopiâ
13 raro viſas; quicquid etiam gerro ille Valentianus nugetur. Ne *L. Vrreta,*
Regium quidem diadema niſi adulterinis gemmis coruſcat: *L.I.c.11.*
nec ob eas ſalem, vel aurum ſuum ad externas & barbaras
gentes mittunt: & nos tam inſanos eſſe, noſtramque pecu-
14 niam earum cauſa profundere mirantur. Magis æſtimant
mineralia, quæ ſanitati atque corporis ſaluti conducunt; in-

z) Sic *Plin.* de metallis loquitur loco ſup. cit.
a) de tali ſale confer Plin. L.XXXI. c.7.

ter ea *ſtibium*, quod alii *ſtimmi*, illi ኵሕል : *Cuehel* (aliàs *Cohol*[b])
appellant, atque oculis mederi cenſent; quin & pro ſingulari 15
ornamento habent, ac venuſtatem faciei conciliare putant;
Solitâ hominibus vanitate, neceſſitati reperta ad luxum transferendi. Etenim contuſum madidâ fuligine miſcent, ac ſpe- 16
cillo, (quod illi ብሌን : *Blên* vocant) cilia illinunt, frequenti & perantiquo Orientalium more.(51)

CAP. VIII.

De fluminibus Habesſiniæ, ſpeciatim de Nilo, ejusque fontibus & curſu: ut & de Lacu Tzanâ.

1. *Flumina* illic multa, pretioſiora metallis. 2. *Origo* fontium ex aquâ pluviâ. 4. *Nili* encomium. 5. In S. Scripturâ fluvius κατ᾽ ἐξοχὴν & שיחור i.e. *Niger* vocatur. 6. Veteribus quibusdam *Aſtapus* & *Aſtaboras*. 8. Habeſſinis Amharicè *Abavvi*, q.d. flufluminum parens; cùm 9. Dux ſit. 10. minus benè Æthiopicè *Gejon*, à Græc. γηὼν & Hebr. גיחון. 11. Non in *Paradiſo* ſcaturit. 12. quod *Patribus* quibusdam viſum. 14. Admiratio deſiderium ſciendæ originis ejus excitavit. 16. eam veteres in Lunæ montibus locarunt. 18 *veros fontes* Luſitani detexerunt. 19. eorum *deſcriptio* ex *P. Pays*. 23. non discrepat à *Gregorii* relatione. 24. Scaturigo in *Sicût*. 25. *quinq;* *fontes* habet. 26. *Lacum Dembeæ* immixtus permeat. 27. præcipua Habeſſiniæ regna præterlabitur. 28. *Gojamam* circuli in modum ambit. 29. Tandem *Ægyptum* petit, ubi in mare ſe exonerat. 30. *Gregorii* deſcriptio Æthiopica. 33. Omnia Abasſiæ flumina in Nilum fluere dicit. 47. Sed id mox limitat. 50. Quædam in Oceanum intrant. 52. *Exundationis* Nili vera *cauſſa* ſunt *imbres*: non 54. *Eteſiæ*: nec 55. nives. 56. *P. Jovius* notatur. 57. *duplex* Nili *alveus* narratur. 58. ex *Herodoto* 59. *Geographo Nubienſi*. 66. *Leone Africano*. 67. *Gregorio*. 72. *Nigrin* alterum alveum ejus eſſe, ex *Plinio*. 73. nec abludit nomen. 74. Vetus relatio in *Herodoto* explicatur. 75. *Bocharti* aſſenſus. 76. An Rex Habeſſ. Nilum divertere poſſit, ne in Ægyptum fluat? 79. Affirm. ex *Elmacino*, cujus verba negantes non expenderunt. 80. ea ipſa ponuntur. 86. Clara ſunt & bonæ fidei. 88. *Kircheri* aſſenſus. 89. *Gregorii* relatio de ea re. 93. Rationes dubitandi & decidendi. 101. non deſunt exempla fluminum in rivos diductorum. 103. fluvii *Tacazè*, *Maleg*, &c. 106. *Havvash* & 108. *Mareb* ab arena ſorbentur. 110. at *Zebæus* à mari Indico. 111. Navigationis expertes ſunt Habeſſini. 112. *Lacus Tzanicus* cum Inſulis ſuis. 115. *Judæorum* fabuloſus fluvius *Sambation*.

OPtima verò, & metallis longè pretioſiora naturæ dona 1
ex Habeſſiniæ montibus promanant; *flumina* ſcilicet *perennia*, plus utilitatis & indigenis & vicinis gentibus afferentia, quàm ipſum aurum, tantâ cupiditate hominibus expetitum. Etenim aqua pluvia per terræ poros & ſaxo- 2
rum

b) Vox eſt in omnibus Orientalibus linguis nota ab Hebr. כחל. Quare & Græcum κολλύριον *Collyrium* (cujus derivatione torquentur Grammatici) primitùs inde dictum putaverim, quaſi *Cohollyrium*. Arabicum الكحل *Elcohhl* in Hiſpanicâ linguâ remanſit; in qua proverbium: *El polvo de las ovejas alcohol es para el Lobo.* Pulvis, quem oves excitant, *cohol* (*collyrium*) eſt Lupo: Proverbium Æthiopicum de hoc minerali vide infrà L.IV. c.1.

rum rimas ſeſe inſinuans, in intimis montium cavernis colli-
gitur, donec per occultos & ſæpe longos meatus, hiante ali-
quo loco, in fontes erumpat: interdum etiam, pondere ſuo
alicubi preſſa, rurſum aſcendit, & in ſummitate alicujus mon-
3 tis locum ſaliendi quærit. In illis igitur regionibus ubi nulla
aut rara pluvia, ibi etiam nulli vel rari fontes: ubi autem illa
frequens, ibi flumina larga naſci videmus. (52) effectu cauſam
4 demonſtrante.[c] At Nilus, ortum ſuum Abaſſiæ debens,
longinquitate curſus, aquarum copiâ, earumque dulcedine,
ſalubritate & fœcunditate, cætera Orbis flumina antecellit.
5 (53) In ſacris literis ob excellentiam interdum fluvius abſolu-
tè: ſpecialiter שיחור *Shihhor* à nigredine: Græcis μέλας, i.e. *Niger* *Eſa.23,3.*
eodem ſenſu dicitur; quia aquam limo turbidam ex Æthio-
6 piæ campis provehit. Veteres quidam *Aſtapum* ab Æthio- *Plin.V,9.*
pibus cognominatum, lævumq; ejus apud Meroën alveum *& VII,3.*
Aſtaboram dictum ſcripſere; hoc alii de aliis fluminibus in
7 Nilum influentibus interpretati ſunt. Nos iſtud, ut incertum
& obſcurum, neq; de Nilo noſtrisq; Æthiopibus accipiendũ,
8 transmittimus. Habeſſini enim illum linguâ vulgari non ali-
ter quàm አባዊ: *Abawi* vocant; idque à nomine አብ: *Ab, Pa-
ter* deductum cenſent: quaſi omnium fluminum Æthiopiæ
9 parens eſſet. Sed derivatio hæc nec Grammaticæ ſatis con-
veniens eſt:[d] nec አባዊ: *Abawi* ſimpliciter Parentem ſignifi-
cat: nec, ſi rectè perpendas, bene quadrat. (54) Non enim cæ-
tera flumina ex ſe gignit, ſed in ſe recipit & colligit, (55) ut
Princeps & Dux rectiùs, quàm Pater eorum dici mereatur.
Ægyptii quidem vanâ ſuperſtitione *ſervatorem*, imo *Solem*
& *Deum*, interdum & Poëtarum more Patrem vocaverunt.
10 Æthiopicâ noſtrâ ſeu librorum linguâ vocatur ግዮን: *Gεjôn*,
vel ግዎን: *Gεwôn*, errore pervetuſto[e] ex Græco γεὼν: hoc autem
ex Hebræo גיחון *Gihon*; quia optimè illi quadrare putant deſcri-
ptionem Gen. 2.13. ዘየዐውዶ፡ ኵሎ፡ ምድረ፡ ኢትዮጵያ፡ *Qui ambit
totam terram Æthiopiæ* cum tamen ſolam Gojamam am-
biat; cætera verò Æthiopiæ regna prætereundo tantùm al-
11 luat. At ſi objicias *Gihonem* in Paradiſo terreſtri ſcaturire, pa-

c) Nulla verior de origine fontium ſententia. *Ariſtoteles* eam refert Meteorolog. L.I. S.4.c.1. Sed ſine cauſa diſſentit. Neoterici pleriq; illam defendunt. Vide *Iſaac. Voſſ.* de Nilo & flum. origine cap. V. & alios de quibus in Comment.

d) eſt enim forma adjectivi ሰማያዊ፡ *Cæleſtis.* ወርቃዊ፡ *Aureus* ſic አባዊ፡ ſignificat *Paternus.*

e) Jam enim temporibus LXX. interpretum ſic vocatus fuit; qui שיחור Jerem.2,18. ubi manifeſtè de Nilo agitur, reddiderunt γεὼν. Idem reperies in Syracide c.24,38.

rum abest, quin suam patriam pro Paradiso celebrent. Sed 12
scias multos ex Patribus Ecclesiæ[f] in eâdem fuisse sententiâ,
quam ut defenderent, Nilum subter terras & maria, gnari sci-
licet eò neminem secuturum, in Ægyptum derivaverunt; in-
vestigationem viæ lectori relinquentes.

Certè nullius fluminis naturam & ortum veteres curio-
siùs investigarunt, nec in ullo magis decepti fuerunt. Nam 13
inundatio, ferventissimo anni tempore, aliis Orbis cogniti
fluviis insolita: tam salutaris, quam quæstuosa Ægypto: &
ignorantia causæ, tantam admirationem veterum animis in-
jecerat, ut privati pariter ac Principes nihil æquè in votis ha- 14
berent, quàm ut tàm insignis boni initium, nimirum tanti
fluminis caput cognoscerent. Repertique sunt Imperatores 15
& Reges (57) qui missâ armatorum manu id explorare, sed fru-
stra, conati sunt.[g] Veteres Geographi plerique longè ultra 16
æquinoctialem terminum in Lunæ montibus, (58) nescio qui-
bus, fontes ejus ex merâ conjecturâ locaverunt, ut scil. pluviis
illarum regionum hyemalibus incrementum capessere pos-
set; non enim persuaserant sibi, Sole in signis septentrionali- 17
bus existente, hyemem & pluvias tam prope dari, ut tantum
flumen ex iis augesceret,[h] quamvis non deessent, qui id clarè
satis docerent, quibus tamen fides habita non fuit.[i] Nunc 18
autem Lusitanorū in Habessiniam profectionibus Patrum-
que Societatis solertiâ cogniti fuerunt isti fontes, antiquitati
tamdiu sollicitè inquisiti. Descripsit eos *Athanasius Kirche-* 19
A.C.1618. *rus* ex relatione *P. Petri Pays*, qui suis oculis illos lustravit.
In Regno Gojam & quidem parte ejus occidentali in provin- 20
ciâ Sabala, quam Agawi inhabitant, *reperiri* dicit *duos ro-*
tundos fontes valde profundos, in editiore loco, humo circum
tremulâ & paludosâ, aquam tamen ibi non redundare, sed
in montis radice exitum habere. Primum ergo rivum ad 21
ictum bombardæ Orientem versus fluere: mox in Septentrio-
nem flexum, quarta leucæ parte, alium rivum accedere, pau-
lo post duos alios ex Oriente venientes se illi jungere, mox aliis
supervenientibus augeri. Post diurni itineris spatium, refe- 22
rente eodem Petro, *Jemam fluvium recipit. Deinde versus*
Occidentem viginti quinque leucas flexus, Orientem repetit,
atque

f) *Theodoret.* in c. 2. Gen. q. 19. *Augustin.* L. VIII. de Gen. c. 7. *Abulens.* in cap. 2. Gen. q. 15. & c. 26. q. 2.
g) veluti *Cambyses. Alexand. M. Ptolemæus Philadelph. J. Cæsar. Nero* &c.
h) Sic enim Plin. L. XVII. c. 18. *Ubicunque imbres æstivi non sunt, ut in Indiâ & Æthiopiâ.*
i) *Phot.* in Bibl. n. 249. in Vita Pythag. *Agatharchides, Strabo* & alii; quos vid. ap. *Voss.* d. l. c. 20.

23 *atq; lacum ingentem ingreditur.*(59) Iſta & ſequentia non diſcrepant ab iis, quæ Gregorius diſſeruit, alia duntaxat regionum nomina protulit, quæ forte ſunt ſpecialiſſima illorum
24 locorum, cùm *Sabalæ* nomen ſit generalius. Nam, ut ille mihi narravit, *ſcaturigo ejus eſt in terrâ quadam Secût dictâ,*
25 *in ſummitate Denglæ*, quod fortè montis nomen eſt. *Quinque etiam fontes habere* dixit; ſcilicet computatis fontibus illorum rivorum, qui ſpeciali nomine carent, ac ob id Nilo ac-
26 cenſentur[k]. Transit autem *lacum Tzanicum* ſervato undarum ſuarum colore; ſicut lacum Lemanum Rhodanus, & A-
27 cronium Rhenus. Dein curſu in meridiem flexo præcipua Habesſiniæ Regna: *Bagemdram, Amharam, Walekam, Shewam, Damotam*, à ſiniſtrâ parte præterlabitur, eorumq; flumina *Bashlo, Tzohha, Keçem, Jema, Roma, Won-eit* colligit:
28 à dextra verò parte ambitu ſuo Gojamam, ceu patriam, circuli ferè in modum complexus, illiusque fluviis *Mugâ, Abaja, Aswari, Temei, Gult, Tzûl* auctus, occaſum, quaſi vale
29 fontibus ſuis dicturus, repetit; cum immenſâ aquarum mole, ex magnis illis fluviis collectâ, Habeſſiniam à dextrâ relinquens, per ſiticuloſas gentes, & arenis ſqualentia loca verſus Septentrionem pergit, Ægyptum inundatione ſuâ irrigatu-
30 rus; ibique aliquot oſtiis in mare effunditur. Ipſius Gregorii deſcriptionem, fortè primam ab Æthiope editam, inſerere operæ pretium nobis viſum fuit. *Epiſt. d. 20. Octob. 1657*

31 ጸታ፡ ሑረቱስ፡ ለአባዊ፡ አምሳለ፡
ሕልቀት፡ ወእቱ፡ እንዘ፡ የዐውድ፡ ለ
ጎዣም፡ ላሕቱ፡ ዘእንበለ፡ ይብጻሕ፡
ኀበ፡ ነቅዐ፡ ዚአሁ፡ የሐውር፡ መንገለ፡
ስናር። በእንተዝ፡ ምድረ፡ ጎዣም፡
32 ትከውን፡ ወትረ፡ በየማኑ፡ ለአባዊ።
ካልእንስ፡ መንግሥታት፡ ዘኢትዮጵ
ያ፡ እለ፡ ርሑቃን፡ ወቅሩባን፡ ይት
ረፉ፡ ወትረ፡ በፀጋሙ፡ ለአባዊ። ወበ
33 እንተዝ፡ ኵሎሙ፡ አፍላጋት፡ ዐቢ
ያን፡ ወንኡሳን፡ ወውሒዛት፡ ብዙ
ኃን፡ ዘአፍአ፡ ወዘእንተ፡ ውስጦ፡ ይት

Modus ſive ratio curſus Nili inſtar circuli eſt. Ambit enim Gojamam, verùm ita ut non perveniat rurſus ad fontem ſuum, pergens verſus Sennar. Itaque regio Gojam ſemper ad dextram Nili eſt. Cætera verò Regna Æthiopiæ, & longinqua & propinqua remanent ſemper ad ſiniſtram Nili. Propterea omnia flumina magna & parva, multique torrentes, tam exteriùs quam interiùs, colligun-

ጋብኡ፡

k) *Flumini alicui magno tot fonteseſſe, quot rivos*, ſine ratione à viro claro dicitur. Quicunque enim rivi vel fluvii ſuum peculiare nomen habent, ii etiam habent ſuos peculiares fontes, qui flumini principali attribui minimè poſſunt; ut in Commentar. fuſiùs docebitur.

ጋብኡ : ኀቤሁ : ወያርእዩ : ከመ :
ንጉሦሙ : ውእቱ ። ወአስተጋቢኦ :
ኵሉ : ማያት : ዘኢትዮጵያ : ይወፅእ :
በፍሥሐ : እንዘ : ይሜርድ : ፍኖቶ :
አምሳለ : ያርብሕ : በትእዛዘ : ፈጣ
ሪሁ : ከመ : ይሠቅያ : ለምድረ : ግብጽ :
እንተ : አልባቲ : ዝናመ ። መፅኡስ :
ለአባዊ : ፩ ምድር : ውእቱ : ዘይሰመ
ይ : ስኩት : ዘሀሉ : በርእሰ : ደንገላ :
ቅሩብ : ውእቱ : ለጎዣም : ወመንገ
ለ : ምዕራቢሆሙ : ለበጌምድር : ለ
ደራ : ለባሕር : ወለበድ : ወዕቂዶ : አ
ምህየ : ያረትዕ : ሐዊረ : እንዘ : ይኔጽ
ር : መንገለ : ምሥራቅ : ወእንዘ : ይ
ውሕዝ : ከመዝ : ይበጽሕ : ኀበ : ባሕ
ር : ዘደራ : ወበድ : ወየኀልፍ : ተጸ
ዒኖ : ላዕሌሁ ። ወእምድኅረ : ኀለፈ
እምኔሁ : ይውሕዝ : በማእከለ :
ጎዣም : ወበጌምድር : እንዘ : ይረስ
ዮሙ : በየማን : ወፀጋም : ወያረትዕ :
ሐዊረ : መንገለ : አምሓራ ። ወሶበ :
ገሰሰ : እጋረ : አምሓራ : ይመይጥ :
ገጾ : ዳግመ : መንገለ : ምዕራብ :
እንዘ : የዐውድ : አምሳለ : ሕልቀ
ት : ጎዣምስ : ወትረ : ትሄሉ : በየ
ማኑ : በከመ : እቤ : በመልዕልት :
እምድኅረ : ኀለፈ : በእጋረ : አም
ሓራ : ይገስስ : እጋረ : ወለቃ : ወእም
ድኅረ : ኀለፈ : እምወለቃ : ይጐድ
ዕ : እጋረሆሙ : ለሙጋር : ወሸዋ ።
ወእምዝ : የኀልፍ : በማእከለ :
ቢዛሞ : ወጎንጋ : ወይወርድ : ምድረ :
ሸንቅላ : ወእንዘ : ይጸንን : መንገለ :
የማን : በበ : ንስቲት : የኀድጎ : ለገጸ :
ምዕራብ : መንገለ : ፀጋም : ለሐ
ዊር : ሀገረ : ሰናር : ወዘእንበለ : ይብ

tur ad eum, & monstrant quod
Rex eorum sit. Ille autem, con- 34
gregans omnes aquas Æthio-
piæ, exit lætus, proficiscens iter
suum instar herois, secundùm
mandatum creatoris sui; quò ir-
riget terram Ægypti pluviâ ca-
rentem. (60) *Est autem* ortus 35
Nili *in terra quadam quæ vo-*
catur Secut: *in summitate* Den-
glæ, *prope Gojamam ab occi-*
dentali parte Bagêmdræ, Daræ,
Lacus (sc. Tzana*) & Badæ. Sic* 36
scaturiens dehinc recto cursu
pergit, semper respiciens versus
Orientem, & ita manans ingre-
ditur in lacum Daræ & Bed;
transitque innatans quasi super
illum. Postquam exinde trans- 37
iit, fluit inter Gojamam *&* Ba-
gemdram, *at relinquens illas à*
dextrâ & à sinistrâ; & rectâ
pergit versus Amharam. Post- 38
quam attigit extremitatē Am-
haræ, *convertit faciem suam de-*
nuo versus Occidentem, circum-
iens instar circuli. *Gojama au-*
tem semper manet ad dextram
ejus, sicuti supra dixi. Postquam 39
ergo præteriit extremitatem
Amharæ, attingit extremita-
tem Walakæ; *& postquam præ-*
teriit, W*alakam pulsat extremi-*
tatem Mugaræ *&* Shεwæ. *De-*
inde transit inter Bizamam *&*
Gongam, *& descendit in regio-*
nem Shankelarum. *Cùm autem* 40
declinat dextrorsum, paulatim
relinquit occidentalem plagam
à parte sinistrâ, ut pergat in Re-

ጸሕ:

41 ጸሕ፡ ኀቤሁ፡ ይረክቦሙ፡ ለ፪ አፍ
ላጋት፡ ዐቢያን፡ እለ፡ ይትዌሰኩ፡
ዮቱ፡ መጺኦሙ፡ እመንገለ፡ ምሥ
ራቅ፡ ፩፡ ይሰመይ፡ ተከዜ፡ ዘይመጽ
እ፡ እምትግሬ፡ ወካልኡ፡ ጓንጉ፡
ዘይወርድ፡ እምደምብያ፡ ወበ
ጺሖ፡ ሀገረ፡ ስናር፡ የሐውር፡ በም
42 ድረ፡ ድንጉላ፡ ወይበጽሕ፡ ሀገረ፡
ኖባ፡ ወእምነሁ፡ ይጸንን፡ ዳግመ፡
መንገለ፡ የማን፡ ለወሪድ፡ እስክንድ
ርያ፡ ወይበጽሕ፡ ኀበ፡ አሐዱ፡ ሀገ
ር፡ ዘይሰመይ፡ አብሪም፡ ዘእም
43 ነሁ፡ ኢይትከሀል፡ ይኅልፉ፡ መርከ
ብ፡ መንገለ፡ ላዕል፡ እስመ፡ ምድ
ረ፡ ዐቀብ፡ ወአድባራት፡ ውእቱ፡ ወ
እምዝ፡ ይበውእ፡ ምድረ፡ ግብጽ።
44 ሀገረ፡ ስናርሰ፡ ወኖባ፡ ይሄልዉ፡ በ
አፉሁ፡ ለአባዊ፡ መንገለ፡ ምዕራ
ብ፡ እንዘ፡ ይሰትዩ፡ እምነሁ፡ ወከመ፡
ጥቅም፡ ውእቱ፡ ሎሙ፡ እመንገለ፡
45 ፩፡ ገጽ፡ ዘምሥራቅ። ሰብአ፡ ሀገር
ነ፡ ወነጋድያን፡ ዘስናር፡ እምድኅ
ረ፡ ኀለፉ፡ እምኖባ፡ የኀድግዎ፡ ለ
አባዊ፡ እስመ፡ ይገድፍዎ፡ በየማን፡
መንገለ፡ ምሥራቅ፡ ወየሐውሩ፡ ም
ድረ፡ በድው፡ ዘአልቦ፡ ዕፀ፡ ወማይ፡
ዘእንበለ፡ ኆፃ፡ መጠነ፡ ፲ወ፭ ዕለታ
46 ት፡ በገመል። ወእምዝ፡ ይረክብዎ፡
በሀገረ፡ ሪፍ፡ ዘውእቱ፡ ላዕላይ፡ ግብ
ጽ፡ ወእምዝ፡ ይወርዱ፡ በመርከብ፡
አው፡ በእግር፡ እንዘ፡ ይሰትዩ፡
እምነሁ።

gnum Sennar. *Priusquam autem perveniat ad illud, reperit duos magnos fluvios, qui effunduntur in illum, venientes ab Oriente, unus vocatur* Tacazè, *qui venit ex Tigra: alter vocatur* Guangue, *qui descendit ex Dembea. Et postquam pervenit ad Regnum Sennar, pergit in regionem* Dengula, *& ita pervenit ad Regnum* Nubiæ; *& exinde declinat iterùm versus dextrã, ut descendat Alexandriam; & venit ad quandam regionem, quæ vocatur* Abrim; *ex qua nullæ possunt naves sursum ascendere, quoniã clivosa & petrosa est regio; postea ingreditur* Ægyptum. *Sennar autem & Nubia sita sunt ad oram Nili versus occidentem, ita ut possint bibere ex eo: & instar munimenti est illis ab aliqua parte Orientis. Homines autẽ nostri, ut & peregrinantes ex Sennâr, postquam transierunt Nubiam, deserunt Nilum, relinquentes eum à dextra Orientem versus, & permeant* desertum quindecim dierum *in camelis, ubi neque arbor neq; aqua est, sed tantùm arena. Deinde reperiunt eum rursus in regione* Rif, *quæ est superior Ægyptus, & porrò descendunt vel navibus, vel pedibus, bibentes ex eo.*

47 Mox tamen limitat ea, quæ de magnorum & parvorum fluminum influxu in Nilum scripserat, his verbis: *dict. Epist.*

48 ኵሎሙ፡ አፍላጋት፡ ዐቢያን፡ ወወ
ሐይዝት፡ ንኡሳን፡ ይበውኡ፡ ኀበ፡
አባዊ፡ ወኢይተርፉ፡ ዘእንበለ፡ ክ
ልኤቱ፡ አፍላጋት፡ ፩፡ ይሰመይ፡ ሐ

Omnia flumina magna & fluenta parva intrant in Nilum, & non remanent nisi duo fluvii; Unus vocatur Hanazo, *qui reperitur*

ናዘ: ዘሀሎ: በሐንጎት: ወካልኡ: ይሰመይ: ሐዋሽ: ዘይውሕዝ: ቅሩብ: ደዋሮ: ወፈጠጋር::

in Hangota: & alter vocatur Hawash, *qui fluit prope Dawaram & Fatagaram.*

Quæ in epiſtolâ ſequente declarat hoc modo: 49

ዘእቤለከሙ: በመጽሐፍ: ዘአባዊ: ከመ: ኵሎሙ: ማያት: ዘኢትዮጵያ: ይበውኡ: ኀቤሁ: ዘእንበለ: ክልኤቱ: አኮ: ዘኵለንታሁ: እስመ: ማያት: እለ: ይሄልዉ: በጽንፈ: ዐውደ: ለኢትዮጵያ: እለ: ቅሩባን: ለባሕረ: ውቅያኖስ: ኢይበውኡ: ኀበ: አባዋ:: አላ: ይበውኡ: ውስተ: ባሕር: በበ: በሐውርቲሆሙ: አህጉራትስ: እለ: ሀለዉ: ቅሩበ: ውቅያኖስ: እለ: ውእቶሙ: ከመባት: ጉራጌ: እናርያ: ዝንጀሮ: ወጅ: ዋሲ: ጋሲ: ወካልአንሂ: እለ: ከማሁሙ::

Quod autem dixi tibi in deſcriptione Nili, quòd omnes fluvii Æthiopiæ influant in illum, exceptis duobus. Non de universâ (ſcil. Æthiopiâ *intelligendum eſt.*) *Quoniam* 50 flumina, *quæ exiſtunt in finibus ambitus Æthiopiæ, quæ ſcil.* vicina *ſunt* Mari Oceano, *non intrant in Nilum, ſed intrant in mare, ſingula in regionibus ſuis.* Regna *au-* 51 *tem quæ* vicina *ſunt* Oceano *iſta ſunt: Cambât, Guraghê, Enarja, Zendero, Wed, Waçi, Gaçi & alia hujuſcemodi.* Additionem vide ſub ♀

in fine hujus cap. poſt n. 119.

Cognitâ jam Nili patriâ, *exundationis cauſa* (61) in pro- 52
patulo eſt; nam pleræque zonæ torridæ regiones, Sole in hy-
1,5,17. berna ſigna remeante, immodicis imbribus rigari diximus.
Immenſa autem aquarum vis, undique concurrens, ſolito 53
ejus alveo contineri nequit, ideò, cum ad plana Ægypti venerit, ſuperſtagnat. Parum vel nihil incrementum ejus ju- 54
vant *aquilones*, ab anniverſario flatu Ἐτησίαι *Eteſiæ* (62) dicti. Etſi quidam ſcripſerint, quòd, fluctus maris in oſtia propellendo, undas Nili quodammodò reverberent, ita ut propriè non creſcat, ſed exitu prohibitus reſiſtat. Cùm tamen omnium ſint temperatiſſimi, & interdiu tantùm ſpirent, noctu verò quieſcant. Id ſolùm efficere poſſunt, ut inæqualiter creſcat, prout fortiùs vel debiliùs flaverint, quod experientia teſtatur.
Fruſtra ergò multi veterum credidêre, ex Æthiopiæ jugis ſo- 55
lutas nives ad Nilum usque decurrere; quos ſolidè refutavit callentiſſimus naturæ indagator[1] *Seneca* (63). Quo magis mi- 56
d.l.18. rum *Paulum Jovium* idem tradere, (64) tanquam ex certis Habeſſinorum conjecturis perceptum; qui aliàs de totâ hac re loquitur, tanquam *de naturæ quodam arcano, quod nemo rimatus ſit unquam; imo imbecillitatis eſſe* ait, *ſuperbâ ingeniorum vanitate talia perſcrutari.*

Cæterum cognitis licet Nili fontibus, curſus ejus non 57
æquè

1) Natural. Quæſtionum Lib. IV. c. 2.

æquè notus eſt Habeſſinis, poſtquam illos deſeruit. Antiqua tamen & conſtans fama eſt, [p] non integrum in Ægyptum delabi, ſed in *duos alveos* dividi, & *dextrum* quidem ſeptentrionem verſus, uti notum: *ſiniſtrum* verò occidentem verſus longo tractu *Nigritarum regionem* findere, donec Ocea-
58 no accipiatur. Sciverunt id jam olim Ægyptiorum ſacerdotes; nam *Herodotus*, hiſtoricorum antiquiſſimus, poſtquam de fontibus Nili diſſeruit, diſertè tradit: *Audiviſſe ſeſe ex ſcriba ſacrarum Minervæ pecuniarum inter alia:* τὸ ἥμισυ τοῦ ὕδατος ἐπ' Αἰγύπτου ῥέειν πρὸς βορέην ἄνεμον: τὸ δ' ἕτερον ἥμισυ ἐπ' Αἰθιοπίης τε καὶ νότου. *Dimidium aquæ* (ejus) *in Ægyptum fluere, ad Boream ventum: alterum dimidium verò Æthiopiam verſus & Auſtrum.*
59 Quod quidem nullus Geographorum vel obſervavit vel curavit. Sed dubitare me non ſinit *Geograph⁹ Nub.* ſic ſcribens: Clim. 1. Part. 4.

60 وفي هذا الجز افتراق
النيلين اعني نيل مصر
الذي يشق ارضنا
وجريه من الجنوب الي
الشمال واكثر مدن
مصر علي ضفتيه معا
وفي جزايره ايضا
61 والقسم الثاني من
النيل يمر من جهة
المشرق الي اقصي المغرب
وعلي هذا القسم من
النيل جميع بلاد
السودان او اكثرها

Atque in hac (ſcil. Æthiopiæ) *parte ſeparantur* duo Nili: *nimirum* Nilus *qui irrigat terram noſtram* (ſcil. Nubiam autoris patriam) *& fluxus ejus eſt à meridie verſus Septentrionem, & pleræque urbes Ægypti in utrâque ripa ejus ſitæ ſunt, & in inſulis ejus quoque*: Pars *verò* altera Nili *fluit ex tractu Orientis in plagam Occidentis, & juxta hanc partem Nili* (ſita eſt) *univerſa* regio Nigritarum, *vel* (ſaltem) *major pars ejus.*

62 Paulo poſt addit de monte quodam:

فيخرج معه ذراع واحد
من النيل فيمر في جهة
المغرب وهو نيل بلاد
السودان الذي عليه
63 اكثر بلادها ويخرج
مع شق الجبل الشر
في الذراع الثاني فيمر
64 ايضا الي الشمال فيشق
بلاد النوبه وبلاد
ارض مصر وينقسم في
اسفل ارض مصر علي
اربعة اقسام فثلثة
اقسام تشق في البحر الشامي وقسم واحد يصب في البحيرة المالحة التي
تنتهي الي قرب الاسكندريه ۞

Et exit juxta eum brachium unum *Nili, & fluit in tractum Occidentis, & iſte eſt* Nilus regionis Nigritarum, *juxta quem ſitæ ſunt plurimæ regiones illorum: Et egreditur juxta latus montis Orientale* brachium alterum, *& fluit viciſſim verſus plagam Septentrionalem & irrigat regionem* Nubiæ, *& regionem terræ* Ægypti; *& dividitur in inferiore terra Ægypti in quatuor partes, quarum tres influunt in mare Syriacum; at pars una fluit in lacum ſalſum, qui propinquus eſt Alexandriæ.*

p) Jul. Solin. in Polyhiſt. c.43. *Æthiopes & Atlanticæ gentes Nigri flumine dividuntur, quem partem putant Nili.*

Verba ubique ſunt clariſſima ; veriſimile verò eſt ſeparatio- 65
nem utriusque Nili objectu montis cujusdam effici. Huc 66
accedunt verba *Leonis Africani* : [q] Nigritarum regio *per*
quam Nilus fluere dicitur; quæ innuunt, quòd de *alveo* hoc
ſiniſtro, aliquid fando acceperit. (65) Nec parum me confir- 67
mat judicium *Gregorii*, qui hiſce verbis ad me ſcripſit:

በእንተ፡አላዊስ፡ከመ፡ኢይበው
እ፡በመልኡ፡ምድረ፡ግብጽ፡ወ
ይትበፈል፡ኀበ፡ካልእ፡አማን፡ይ
ቤሉኒ፡እለ፡ተስእልክዎሙ፡ሰብ
እ፡አነሂ፡አአምን፡ዘንተ። እስ
መ፡ለእመ፡ይወርድ፡በመልኡ፡
በዘመነ፡ክረምት፡እምኢኀደገ፡
ዘእንበለ፡ይባእ፡ውስተ፡ቤቶሙ፡
ለሰብአ፡ግብጽ፡ጸታ፡ተከፍሎቱኒ፡
ይብሉ፡እምድኅረ፡ኀለፈ፡እመ
ስናር፡በምድረ፡ድንጉላ፡ዘእን
በለ፡ይብጻሕ፡ኖባ። ባሕቱ፡ይብሉ፡
ማይ፡ዘይበዝኃ፡ይውሕዝ፡ምድረ፡
ግብጽ። ዝኩሰ፡ዘተከፍለ፡ያረት
ዕ፡ሐዊረ፡መንገለ፡ምዕራብ፡ወ
ዘእንበለ፡ይብጻሕ፡ባርባርያ፡ይ
ወርድ፡መንገለ፡ሀገረ፡እልዋሕ፡
ወይበውእ፡ውስተ፡ባሕር፡ዐቢይ።

Quòd autem ajunt Nilum to-
tum non influere in terram Ægy-
pti, ſed dividi alio verſum, *id ve-*
rum eſſe dixerunt mihi, quos in-
terrogavi, homines. Ego quoque 68
credo iſtud, quia ſi deſcenderet il-
luc integer tempore hyemis, ſane
fieri aliter non poſſet, quin intra-
ret in domos Ægyptiorum. Sed 69
quod ad diviſionem ejus attinet,
ajunt (illam contingere) *poſtquã*
tranſiit Regnum Sennar in regio-
ne Dengula *priusquam perveniat*
in Nubiam. Veruntamen dicunt 70
maximam aquæ partem *defluere*
in Ægyptum. Illa autem pars quæ 71
ſeparatur, rectâ viâ pergit verſus
occidentem. ita tamen ut non per-
veniat in Barbariam, deſcendit
enim verſus regionem Elwah, &
ſic illabitur in mare magnum, i. e.
Oceanum occidentalem.

Nigrin verò fluvium, ſiniſtrum illum alveum eſſe, credibile 72
L.V.c.8. quoque fit ex eo, *quòd*, ut *Plinius* ſcribit, & experientia con-
firmat: *eadem illi natura quæ Nilo, colore & ſapore convenit*
cum illo, calamum & papyrum & easdem gignit animantes,
iisdemque temporibus augeſcit. Nec nomen abludit, cùm & 73
Nilus ipſe, ut diximus, Hebræis & Græcis *Niger* nominetur.
Quod autem Ægyptius ille *Herodoto* narravit, alveum ſini- 74
ſtrum auſtrum verſus fluere, id fortè primò per tractum ali-
quem fit, ita tamen ut poſtea *curſum ſuum* verſus occiden-
tem *flectat*. Quam ſententiam, poſtquam cum clariſſimo 75
Bocharto, Geographiæ antiquæ & recentis ad miraculum pe-
rito, & optimo talium judice, communicaſſem, reſcripſit
mihi:

q) in deſcript. Africæ L.I.c.7.

mihi: *Il est tres vray, que le Niger est une partie du Nil*, h. e. *Certissimum est Nigrin esse partem Nili.*

76 Sequitur quæstio non minus mira, quàm momentosa: *Num Rex Habessinorum Nilum divertere possit, ne in Ægyptũ fluat?* Multi scriptores id asserunt, (66) subnixi partim famâ, partim relatione, quam ex *Georgio Elmacino* jam jam afferemus; addito: *Turcas Habessinis propterea tributum pendere.*
77 Quidam etiam (*ex aspectu fortassis Tabulæ Geographicæ*,) factu facilè putant, ut Nilus in Mare rubrum derivetur; idque *Albuquerquium, magnanimum illum Lusitanorum in Indiâ*
78 *Proregem, animo agitasse*[r]. *Tellezius* verò negat, *tam immensam aquarum vim, tam longo spatio, per asperrimos & confragosos montes, in mare hoc verti: neque cursum à Principe naturæ datum ullo modo mutari posse.* Idem censet *Hornius*[s] L. 1. c. 7.
79 & alii. Verùm illi nullam Elmacini mentionem faciunt; fortè etiam ejus verba non legerunt vel expenderunt, quæ nos ex *Historia Saracenicâ* lectoris judicio exponemus:

80 وفي ايامه نقص النيل
كثيرا فارسله
المستنصر الي بلاد
الحبشه بهدايا وتحف
81 كثيرة فتلقاه
ملكها وسجد بين
يديه وساله عن سبب
قدومه فعرفه ان نيل
82 مصر قد نقص واضر
بالبلاد وباهلها. فامر
ان يفتح السد الذي
83 يجري منه لماء الي
الديار المصر لاجل قدوم
البطرك وزاد النيل في
84 ليلة واحدة ثلاثة اذرع
وتكامل النيل ورويت
ديار مصر وزرعت وعاد
85 البطرك بكرامة
عظيمة الي مصر
واحسن اليه الامام
المستنصر واجلع
عليه ✲

In diebus ejus (*scil.* Michaëlis Patriarchæ) *Circa A. C. 1089.* defecit Nilus valdè; *igitur misit eum Mustansirus* (Princeps Ægypti Muhammedanꝰ) *in regionem Habessinorum cum muneribus, & rebus egregiis plurimis. Et obviam venit ei Rex illius* (scil. regionis) *& veneratus est eum Patriarcha coram publicè. Et interrogavit eum* Rex *de causa adventꝰ ejus. Et exposuit illi* (Patriarcha) *quòd Nilus Ægypti jam deficeret, idque noceret regioni & incolis ejus. Igitur* jussit aperiri alveum obstructum *per quem fluit aqua ad campos Ægyptiacos propter adventum Patriarchæ.* *Et* crevit Nilus *in nocte unâ tria brachia: & impletus est Nilus, ita ut rigarentur campi Ægypti, & consererentur. Et reversus est Patriarcha cum honore magno in Ægyptum. Et benefecit illi Princeps Mustansirus, & donavit illi talarem vestem.*

86 Optassem utique audire judicia negantium de hoc loco.

 Verba

r) Alf. d' Albuquerque in Comment. ejusd. 4. part. c. 7. allegante Tellez. p. 20.
s) In Orbe imperante, tit. Africa. Period. 2. §. 2.

Verba per ſe clara ſunt, *quòd Rex Habeſſiniæ alveum Nili ob-
ſtructum aperiri juſſerit :* Hiſtoricus ipſe fide dignus habe-
tur: in Ægypto natus & educatus: nec non Principum Mu-
hammedanorum Ægypti notarius (*ſive ſecretarius, ut nunc
vocant*) fuit, ut rem bene ſcire potuerit. Hiſtoriam ſuam au- 87
tem centum viginti circiter annis poſt, quàm ea res contige-
rat, compoſuit; ita ut ille ſcribere auſus non fuiſſet, quod
multi incolarum ex parentibus ſuis aliter poterant audiviſſe.
Sed objici poteſt, *hiſtoricum non memorare, à quo Nilus fue-
rit obſtructus; id enim & naturaliter fieri potuiſſe, curſu flu-
minis, arboribus & ſaxis in anguſtiis, ſuâ ſponte præpedito.* At
objectio iſta nodum non ſolvit; iſtud enim in magnis flumi-
nibus vel rariſſimè vel planè non contingit: vel ſi natura id ef-
ficere poteſt, quidni per artem tentaretur? *P. Athanaſius* 88
Kircherus ſanè, cui res Ægyptiacæ & ſpeciatim Niloticæ non
malè cognitæ fuerunt, in catalogo Patriarcharum [t] Ægypti
Michaëlem in Æthiopiam profectum eſſe dicit, *ad Nilum,*
QVEM ÆTHIOPES DIVERTERANT, *ſuo alveo reſtituendum;*
quamvis doctiſſimus iſte vir multùm quàm accuratè ſcribe-
re magis amet, nec ſemper autores ſuos laudet. *Gregorius*, 89
de eâ re interrogatus, non quidem meminerat hiſtoriæ Mi-
chaëlis, ajebat tamen: *Se à fide dignis hominibus accepiſſe,
haud procul ab eo loco, ubi cataractæ Nili ſunt, terram omnē
Orientem verſus declivem eſſe; & niſi mons unicus obſtaret,
Nilum potius illuc, quàm in Ægyptum, aut mare ſeptentrio-
nale fluxurum. Igitur monte illo, labore non adeò difficili,* 90
perfoſſo, flumen omne averti, & in mare Orientale (i. e. ru-
brum) *derivari poſſe. Gnarum id Turcis, multisque Lu-* 91
*ſitanorum; & Imperatorem Æthiopiæ hanc ob cauſam olim
ſæpe præclaras conditiones à Saracenis obtinuiſſe: imo id illum* 92
*ſemel effectui dare voluiſſe, atque laborem ſuis imperaſſe, ſed
à Chriſtianis Ægypti exoratum fuiſſe, quos ſimul omnes peri-
turos conſtiterit.*

Fateor ſanè cauſam hanc me diu multumque ſuſpen- 93
ſum habuiſſe; non enim facilè contemnendas putabam ra-
tiones contrarias, *& ſive agger ſaxis præſtruendus: ſive rur-
ſus amoliendus fuiſſet, utrobiq; ſummæ difficultatis opus erat,
cui Habeſſini pares non videbantur: neq; tantus amnis, aliam
proniorem viam nactus, ullâ humanâ operâ ad priorem al-
veum reduci potuiſſet.* Reputabam etiam mecum, *ſi Rex* 94
Ha-

t) in ſupplem. Prodr. & Lex. Copt. c. 2. p. 524. Fuit autem *Michaël* iſte Jacobitarum Patriarcha ſexageſimus octavus, mortuus circa A. C. 1110.

Habeſſiniæ Nilum hoc pacto in ſua poteſtate haberet, illum &
perpetuum Ægypti arbitrum futurum: & nihil non à Turcis
impetraturum: neque unquam paſſurum fuiſſe, ut Chriſtiani
ſuæ religionis, cum Patriarchâ Eccleſiæ ſuæ capite, ad tantas
95 *incitas, uti nunc ſit, redigerentur.* Denique mirabar, *cur non*
tempore Patrum Societatis hac poteſtate, à natura ſibi con-
ceſſa, uti: & minis magis quàm precibus aut præmiis obtinere
voluerit, quod à Baſſis Turcarum, portus maris rubri tenen-
96 *tibus, petere neceſſum habebat.* Cæterùm, rebus omnibus
ponderatis, & hiſtoriâ Elmacini in medio relictâ, *Tellezio* ex
Gregorii relatione forte reſpondendum: *non ex Habeſſinia,*
quà Nilo adjacet, tot paraſangis à mari rubro remotâ, ſed ex
loco cataractis illi⁹ vicino, ad Nubiam fortè olim ſpectante, al-
veum novum in mare Erythræum deduci poſſe, ibi enim unum
ſolummodò montem obſtare, juxta quem foſſa deprimi poſſit.
97 Olim quidem opinabar nullibi faciliùs Nilum averti poſſe,
quàm ubi in duos alveos dividitur. Illuc enim, veluti naturâ
viam monſtrante, aggere facto, totus verteretur, quò pars
98 ejus jam ſponte ſuâ fluit. Quamvis enim alii fluvii, infra hanc
ſeparationem in Nilum ſeſe exonerantes, in Ægyptum ma-
narent, inundationi neceſſariæ tamen non ſufficerent; quæ
res perniciem Ægypto, & eapropter Turcarum potentiæ al-
99 latura eſſet. Verùm enim verò, utcunque ſe ea res habeat, id
demum certum eſſe puto, Regem Habeſſiniæ illorum lo-
corum, ubi Nilus Ægypti obſtrui poteſt, vel aliquando
obſtructus fuit, nunc ampliùs dominum non eſſe: aut Re-
gulos illorum eum non, ut olim, pro Imperatore ſuo revereri:
neque etiam incolas Chriſtianos nunc eſſe, ſed ad Iſlami-
ſmum, proh dolor! defeciſſe; eos ergo hodiè obſequentes
habiturus non eſſet. Quamobrem, quod olim fortaſſis fieri
potuit, nunc effici non poteſt; non quòd natura locorum
100 obſtet, ſed quòd *Negus* eorum nunc potens non ſit. Alio-
quin non abſurdum nec improbabile putaverim, fluvios
nonnullos, qui in præaltis Habeſſiniæ campis vagantur, per
prona montium aliorſum, & in ſubjectas arenas verti, atq;
ſic Nilum diminui poſſe; modo periti Hydrometræ adhi-
beantur, qui, exploratâ locorum declivitate, renuntient, ubi
101 commodiſſimè fieri poſſit. Quanquam arduum ſit curſum
& fines, quos natura fluminibus dedit, immutare, non ta-
102 men deſunt exempla. Legimus enim apud *Herodotum:*[u]
Nito-

u) Lib. I. hiſt. qui *Clio* vocatur.

Nitocrin *Babyloniorum Reginam Euphratis cursum, depressis plurimis fossis, variè mutavisse. Et* Cyrum *Persarum Regem* Gyndem *fluvium, cui ob unum è sacris albis equis in eo submersum excanduerat, in trecentos & sexaginta rivulos diduxisse; exercitu ejus labore hoc integram æstatem absumente.*

Præter Nilum alii quoque insignes dantur amnes, qui 103
in Habessiniâ ortum suum habent. Inter eos præcellit *Tacazè*; qui in *Angotâ*, haud procul Bagemdrâ, è monte Ashguaguâ ortus, mediam interfluit *Tigram*, & *Walkajitam*, dein *Nomades* Æthiopes Regnumque *Dequin* permeans, tandem Nilo miscetur. *Malegi* scaturiginem Tellezius in Damota 104
ponit, eumque per occidentalem Habessiniæ plagam in Nilum deducit. Reliquos fluvios sat magnos, quos ex omni- 105
bus Abassiæ regnis Nilus suscipit, in Tabulâ nostrâ Chorographicâ expressimus; ideoque hîc eos nominare supersedemus. Hi omnes æquè ac Nilus tempore hyemis ita crescunt, ut ripis suis continere se nequeant.

B.T.I.8. *in Tab. Chorogr.*

Sed reticenda non est mirabilis duorum fluviorum na- 106
tura; quorum alter *Hawash*, in confinibus *Shewæ* & *Wedæ* ortus, Regnum *Adel* cursu petit, solo illius siticuloso subventurus. Nec desunt sibi incolæ, venientem læti excipiunt, 107
agrisque suis irrigandis in plures rivulos dividunt. Sic ubique interceptus, & paulatim consumtus, quasi illum puderet residuam aquæ suæ portiunculam Oceano inferre, arenâ se totum abscondit. Hunc imitatur *Mareb*, in Tigrâ haud 108
procul Fremonâ oriundus, qui magnam illius regni partem circumluit; dein Cafrorum agris receptus, quasi gentem aversaretur, sat longo spatio humi se condens, ex oculis eorum aufertur; ita tamen, ut aquam piscesque suos, octo vel decem palmos fodientibus, largiatur; mox, ut patriam valere jubeat, prope fontes suos rursus erumpit, tandemque in 109
squalentibus *Dequini* campis undas suas spargit & relinquit.
(67) De fluminibus, quæ vicinum Oceanum intrant, Grego- 110
rius plura non narravit quàm suprà retulimus. *Zebæus* in Enarea ortus, & finitimum Regnum *Zendero* instar Nili in modum peninsulæ ambiens, in meridiem decurrit, & juxta *Mombaçam* mari Indico misceri creditur.

B.T. d.l.

Navigationis autem omnis expertes sunt Habessini; 111
eam enim flumina scopulosa, crebris catadupis & passim occur-

curſantibus cautibus infeſta, non admitterent: nec ullum, ut
112 diximus, in mari rubro portum tenent. Solum *lacum Tzanicum*, quem & *mare Dembea* vocant, monoxylis lintribus, 1, 2, 8.
ex typhâ præcraſsâ confectis, magno ſuo periculo navigant.
113 Situs eſt cis lineam æquinoctialem, in decimo tertio & dimidio latitudinis gradu. Longitudo ejus triginta: latitudo *B.7.1, 6.*
114 duodecim, plus minus, leucis Luſitanicis [x] æſtimatur. Inſulas multas continet, quarum maxima eſt:

1. ጻና: *Tzana*; quæ lacui nomen dedit; Ab ea enim ባሕር: ጻና: *Bahr-Tzana* [y] dicitur.
2. ብርጊዳ: *Berghida*.
3. ደብረ: አንጦንስ: *Dabra-Antons*, Monaſterium Antonii.
4. ደብረ: ማርያም: *Dabra-Marjam*.
5. ዳጋ: *Daga*.
6. ዴቅ: *Dek*, magnorum virorum exiliis famoſa.
7. ገሊላ: *Galila*.
8. ምጥራሓ: *Meerahha*.
9. ምጽሌ: *Metzlè*.
10. ክብራን: *Qebran*.
11. ሪማ: *Rima*.

Quæ inſulæ omnes, *Dekâ* exceptâ, à monachis poſsidentur. Præter hunc & alii lacus in Habesſinia dantur. Sed eos hîc
115 nominare nihil attinet. Poſtquam veros narravimus fluvios, ad fabuloſum transimus, inter Judæorum commenta repertum, qui illum inter Presbyterum Johannem & tribules ſuos fluere autumant. סמבטיון *Sambation*, (68) id eſt, *ſabbaticum* vocant [z] quòd ſabbato tantùm quieſcat: cæteris verò hebdomadis diebus, ſaxa ingentia & arenam provolvat; itaque religione prohiberi ſeſe ajunt, quò minus populares ſuos,
116 trans illum rerum potientes, viſitare posſint. Quaſi non alterius cujusdam ſectæ hominem, nova ex illâ regione allatum, mittere poſſent; ſi columbæ, quæ olim literas hinc inde tulerunt, (*ut ipſi fabulantur*) non amplius tabellariorum
117 munere fungi vellent. Tam frivolo nugamento amisſi regni ſolatium quærunt; neſcii ubi incipiat, ubive deſinat Judaicus iſte rivus: in Aſiáne, an in Africâ, vel denique in Vtopiâ decurrat: neque etiam ſolliciti, quo pacto miſeri illi eò venerint: vel quomodo inde rurſus exituri ſint, ſi infelix
118 iſtud flumen tranquillo die ſine piaculo navigari nequit. Antiquam tamen narrationem eſſe ſcias, non de extremæ Aſiæ, multò minùs Æthiopiæ, ſed de Judææ quodam flumine accipien-

F

x) *B.7.loc.cit.* ubi longiſſimus, xxxv. leucas longitudinis: at *P. Pet. Pays* xiv. latitudinis illi tribuit. Latiùs deſcribitur in *Ath. Kirch. Oedipo* Synt. I. c. 7. p. 57.

y) in Tabulis nonnullis *Barcena*, ſed loco minimè congruo ponitur.

z Confer Buxtorfii Lex. Talmud. de hoc vocabulo.

L.31.c.2. cipiendam. Plinius enim *in Judæa rivum sabbatis omnibus siccari* scribit. *Josephus*[a] quoque mentionem ejus facit, sed ni emendetur, contrario planè sensu. Eum à Tito Imperatore Romano in itinere conspectum tradit. At posteriores Ju- 119
dæi, fabulandi artifices, veriti ne nullibi reperiatur, in eos mundi angulos eum transposuere, ubi non facilè ab aliquo quæreretur. Nunc ad seria pergimus.

♀ *Additio ad n. 51. hujus capitis.*

l,8,35. *L.I.c.5.* Quæ Gregorius de fontibus Nili breviter dicit, ea Tellezius ex Patrum Soc. fide dignis relationibus prolixè narrat, congruentia iis, quæ ex P. Petro Paysio supra retulimus: *Duodecimo latitudinis septentrionalis gradu, ab occidente Gojamæ, in regione* Sacahala[m], *campum quendam, & in eo lacum exiguum dari*, ait; *qui è duobus fontibus, jactu lapidis inter se dissitis, colligatur. Exinde alveo subterraneo, quem tamen viridantes herbæ prodant, aquam ad ictum bombardæ orientem versus fluere; sed mox in septentrionem flecti, & semileucâ circiter Lusitanicâ in fluvium erumpere, eumq; mox aliis rivis augeri, donec post quindecim Leucarum intervallum flumen* Gema, *ipso Nilo majus, amisso nomine, aquas suas illi largiatur. Dehinc in Orientem sensim declinare & duos fluvios* Kelty & Branty *dictos recipere, & sic rectà mare Dembeæ*[n] *petere atque transire, servatis aquis suis;*[o] *quasi illas, tanquam nobiliores, vilioribus miscere nollet.* Hæc consensu traduntur, ut in posterum de fontibus Nili ambigendum amplius non sit.

CAP. IX.

De fertilitate Soli in genere, atque de vegetabilibus & plantis in specie.

1. In Habessiniâ *duplex*, alicubi *triplex messis.* 2. Ignotum nobis frumentum *Tef.* 3. *Arincâ* carent. 4. *Avenam* spernunt; hordeo equos pascunt. 5. *Gramen* perpetuum 7. *Fœnum* nullum. 9. *Herbæ* variæ. 10. *Amadmagda* fracta ossa curat. 11. *Assazoe* serpentes sopit. 14. *Psylli* hâc fortassis herbâ tuti. 16. *Cnici* oleum. 18. *Lupulo* carent. 19. *Vvas*, non vinum habent. 20. *Sacharo* abundant: *aromatibus* destituuntur. 21. Ficus Indica *Mauz*; forte 23. Hebræorum *Dudaim.* 28. *Pyra & mala* nostratia non: *Citrea, Medica* &c. habent. 29. *Arbores.* 30. *Ensete* pro olere est. 31. Alia arbor *lumbricos ventris* necat.

F*Ertilitas* Soli in Habessiniâ admiranda; terra enim, ubi coli potest, omnis generis frugum ferax est. tam longâ

æstate

a) De bello Jud. L. VII. c. in Græc. 13. in Lat. 24. Nic. Fuller. Miscell. sac. L. I. c. 9.
m) sic scribe pro *Sabala* s. n. 20. & 23. n) Lacus est, aliàs *Tzanicus* dictus.
o) in Summariis hujus capitis n. 26. post *Lacum Dembeæ* adde *non*.

æſtate ubertatem maximam præſtante, ut eodem loci & ſatio ſit & meſſis; quæ alicubi duplex: alicubi triplex datur.
2 *Frumenta* & *legumina* Habesſini habent, non cognita modò nobis, veluti *triticum*, *hordeum*, *milium* & ſimilia; ſed & ignotum nobis ጤፍ: *Tef*, pani conficiendo perutile. Seminium minutisſimum eſt, ipſo papavere minus, ſed longius-
3 culum.(69) *Arinca* ſive *ſecali* noſtrate carent. Panem ex iſto factum cùm olfaceret Gregorius, አማናዊ: ጤፍ: *Verum tefum*
4 eſſe, & ipſisſimum *tefi odorem* olere ajebat. *Avenam* ſatione indignam cenſebat, & pro lolio à ſuis ſperni dicebat. *Hordeum* enim, vel gramen ſimpliciter, equorum ibi pabulum
5 eſt. Quadrupedum causâ nîl quicquam ſerunt, nec metunt; abundante in locis temperatioribus gramine, ob calorem perpetuum, & uliginem ſubter humum de montibus continuò deſtillantem, atque radices herbarum humectantem; quia petræ ſolidæ aquam pluviam non recipiunt, quæ in illis ſub terrâ fertili ſenſim delabens, plantas mirè lætificat: con-
6 trà in ſolo cavernoſo ſidit, & colles ſteriles relinquit. Lætisſima igitur & ſemper virentia prata dantur, floribus refertisſima. Hinc uberrimo apibus alimento ſuperfluens copia mel-
7 lis. In tantâ frugum abundantia nihil in ſequentes annos neque reponunt, neque condunt Habesſini; ſive ubertate ſoli confiſi: ſive horreis deſtituti. Neque *fœnum* convehere ſolent, quanquam id locuſtarum causâ multoties neceſſarium 1, 12, 26.
eſſet; Ea enim peſtis ſegetes pabulumque depaſcens, fame
8 homines & pecudes interimit. Gregorius vehes fœni, antea nunquam ſibi viſas, è longinquo cernens, Elephantis procul
9 euntibus comparabat. *Herbæ* omnis generis in hac tellure gignuntur; non tantùm odoratæ & medicinales Europæ,
10 ſed etiam peculiares quædam, virtutis admirandæ. *Amadmagda*, ut *Tellezius* ait, fracta aut luxata hominis oſſa ſanat: L. I, 13.
contraria planè *oſſifragæ*, quæ in *Norwegiâ* oſſa pecudum in-
11 ſiſtentium quaſi attritu quodam frangit. Sed omnia herbarum miracula ſuperat *Aſſazoë*, tam efficax contra aſpidum venena, ut nocentiſſima ſerpentum genera hâc herbâ tacta ſopiantur, & ceu mortua jaceant: quin & umbra illius ſtu-
12 porem viperis inducit, ut eas innoxiè tollere posſis. Qui radicem hujus herbæ comederit, inter ipſos hydros & cherſydros ſine metu ambulare poterit, imo multos annos ab illis
13 tutus erit. Viſique fuerunt Habesſini, his radicibus uſi, an-

F 2 gues

gues venenatiſſimos inſtar anguillarum manu tractare: col-
lo inſtar collaris circumdare: eosque, cùm liberet, impunè
occidere. ita providum numen, ubi venena ſunt præſentiſſi-
ma, ibi remedia reddidit efficaciſſima. Nec ingenitam fuiſſe 14
Plin.VII.c.2. crediderim *Pſyllis*, Africæ genti olim percelebri, virtutem
morſibus ſerpentum medendi, ſed herbæ illius remedio par-
tam: eam verò, ne vileſceret, ſecretò habitam. Quæſtuoſum 15
Idem. XI. c.25. enim illis olim erat, venenata animalia, per diverſas Orbis re-
giones, ſine noxâ ad ſpectaculum circumferre.(70) *Cnicus* 16
(Æthiop. ደንጉላት: *Denguelat*) Habeſſinis valdè familiaris eſt.
Grana illius *Gregorius*, ceu rem quandam raram, nobis
oſtendebat: oleum ex illis expreſſum contra malum hypo-
chondriacum, & obſtructiones lienis utile prædicans. *Lu-* 17
pulo carent. Cereviſiam ſine illo coquunt. Quamobrem 18
Gregorius, audito, noſtratem illius virtute durare, ſemen ejus
ſecum curioſè aſportavit. Vites & uvas præſtantiſſimas ha- 19
bent, *vinum* tamen ex iis conficere non ſolent; ſive inſcitiâ:
ſive quia æſtate matureſcunt, ubi fermentatio nimio æſtu
præpropera muſtum acore corrumpit.(71) *Sacchharo* abun- 20
dant. At *pipere*, *zingibere* atque aliis talibus aromatibus de-
ſtituuntur; magis incuriâ plantandi, ut puto, quàm terreni
vitio; quod in tantâ aëris varietate, & aſſiduo nonnullorum
locorum calore, etiam aromatum culturæ idoneum videtur.
Ficus Indica quoque, quæ موز *Mûz* vel *Mauz* Arabibus di- 21
citur, in Habeſſiniâ creſcit. Præcellentisſimus fruct⁹ eſt; quin-
quaginta enim ficus cucumeris magnitudine & formâ de
uno caule dependent; ſuaviſſimi odoris & ſaporis. Menſe Ju- 22
nio matureſcunt, ut ex itinerario Principis Radzevillii didici,
qui eas vidit haud procul Damaſco, ubi raræ ſunt; nam ca-
lidius clima poſcunt. Quæ circumſtantiæ mihi conjectu- 23
Gen.30,14. ram fecerunt, haud alium fructum דודאים *Dudaim* fuiſſe,
ſuper quo Jacobi uxores altercatæ ſunt. Paulo poſt & alios 24
viros doctos idem conjeciſſe animadverti, tametſi non addi-
tis rationibus. Vt quidem mihi videtur, fructum oportuit 25
fuiſſe rarum & jucundum, qui puerum moveret, ut eum de-
cerperet: (neque enim graveolentem *Mandragoram* Ruben
domum deferre operæ pretium putaſſet) qui etiam rixâ di-
Jun. & Tremel. gnus: nec obvius cuilibet eſſet. Nam flores amabiles, *(ut* 26
alii reddunt) lilia, violas & ſimiles, miſſâ ancillâ, Rahel æquè
facilè legere potuiſſet. Ipſum denique vocabulum Hebrai- 27
cum

HERBA ET FRUCTUS Hebr. דודאים DUDAIM Gen. XXX. 14. et Cant. VII. 13.

Arab موز Mauz. Muza.
Lat. Ficus Indica.



cum

cum huc optimè quadrat; *cognationem* enim *plurium*, ex
communi quâdam ſtipite profectorum, inferre videtur.
Quas rationes in *commentario* noſtro[72] fuſiùs declarabimus.
28 *Mala* atque *pyra* noſtratia non fert terra Habesſinica.
Nam quo tempore apud nos matureſcunt, tempeſtates atq;
procellæ in Habesſinia ſæviunt. *Arbores* enim (ut Habes-
ſinos dicentes audivi) cum noſtro Orbe faciunt: iisdemque
menſibus ac noſtræ, folia promittunt & linquunt; *herbæ* ſe-
cus, quæ hyeme noſtrâ ibi florent. *Mala* tamen *Citrea, Me-*
29 *dica, Perſica* atque *Punica* habent. *Piceas* & *abietes* ſeptua-
ginta vel octoginta pedum proceritate in ſylvis noſtris mira-
batur Gregorius, & ſæpe ቡሩክት: ዕፀ: *benedictas arbores* voca- *N.G. l.11.*
bat; præſertim cum intelligeret tam magnum in navibus &
domibus ædificandis uſum habere. Neque tamen Æthio-
piam proceris arboribus deſtitui ex itinerum narrationibus
30 liquet. Sed non ſine admiratione dicenda eſt arbor *Enſete*, *1, 12, 16.*
Indicæ ficui ſimilis, duarum orgyiarum crasſitie. Nam trun-
cata innumeris ſtolonibus ſponte renaſcitur; qui omnes
eſui ſunt, ut arbor hæc alium fructum proferre opus non
habeat, tota enim pro olere eſt; nam conciſa & cocta vilio-
rum hominum famem ſedat, qui & folia contuſa cum farinâ
31 elixant, ac pultis inſtar mandunt. Aliam arborem N. Godi- *L.1.c.11.*
gnus laudat, contra ventris lumbricos valde proficuam; hos
enim ex eſu carnis crudæ gigni: at Habesſinos ſingulis men-
ſibus fructu hujus arboris alvum purgare, atque ſic vermes
illos necare memorat.

CAP. X.

De animalibus quadrupedibus.

1. *Boves* magnitudinis ſtupendæ. 2. ejus rei cauſa. 3. *Taurelephantes.* 4. eorum *cornua.* 5. *Armenta* Africæ. 6. armentarii *Beklenſes.* 7. *Equi* generoſi. 8. variorum colorum; 10. illis in bello: 11. *Mulis* ad alias res utuntur. 12. *Gradarii* arte fiunt. 13. *Cameli* in planis tantùm locis utiles. 14. Ovium *adipoſa cauda* 16. in S. Scriptura אליה *Alja.* 18. *Elephantorum* greges 20. omnia vaſtant. 21. *Viam Regiam* efficiunt. 22. Arbores illorum *pabulum*; 23. dociles ſunt. 24. *Jus hoſpitii* obſervaverunt. 29. *Cornua* Habeſſini rectiùs vocant, quæ nos *dentes.* 30. Hominem non appetunt. 31. *Proboſcidi* metuunt. 32. In Æthiopiâ nulli cicures. 33. *Camelopardalis* 35. cur ſic vocetur? 36. *Nomen* ejus Amharicè, Ital. Arabicè. 37. *Zecora*, quadrupedum pulcherrimum, 39. deſcribitur. 41. Ingens ejus pretium. 42. *Leo* magnanimus, 43. terror animantium. 46. *Tigrides* & *Pardi* truculentiores. 47. quomodo differant. 49. *Lupi* inertes. 50. *Hyæna* ſæva. 52. *Simiarum* greges 53. *formicas* avidè vorant. 54. Fruges depaſcunt, ſed cautè: 56. feris prædæ ſunt. 57. Mirè ſe defendunt. 58. *Cercopithecus*, 59. de quo rythmus triplici linguâ. 64. An *Callitrix* veterum? 65. *Animalia* Habeſſiniæ Æthiop. Amharicè. 78. *Arvvê Harîs* Monoceros 80. viſus à

Joh. Gabriele & 83. aliis Luſitanis, 84. ejus deſcriptiones veterum confuſæ. 85. *Vnicornia* multa dantur. 87. Nulli ibi *Vrſi*; at apri, cervi & capreæ.

OB graminis ubertatem, & perpetuum hujus tractus ca- 1
lorem, magna quoque animalia dari mirum non eſt.
Boves inuſitatæ magnitudinis, Hungaricis atque Rufficis
multò majores, hîc conſpiciuntur. Maximos, quos Gregorio
oſtendebam, ille ማእከላውያን፡ *medios* dicebat. Nam ubi lac 2
& pabulum ſufficit, corpus poſt partum facilè creſcit, & ca-
lore magis extenditur; quod in frigidioribus plagis contra
eſt. Hinc conſtat falſa non eſſe, quæ de tauris Æthiopicis, no-
L. XVII. c. 45. ſtris duplo majoribus, Ælianus tradidit. Eosq; ταυρελέφαντας *Tau-* 3
L. III. 11. *relephantes* eſſe putaverim; de quibus Philoſtorgus ſcribit,
quòd eos Romæ è meridianis locis advectos ipſe viderit.
Nam boves duplo majores à magnitudine elephantum haut
L. VIII. c. 45 procul abeſſe, veriſimile. Quæque *Plinius* de Bubus Indicis
camelorum altitudine refert, ego de Habeſſinicis intellexe-
1, 1, 10. rim; Indiæ enim nomine, ut ſupra monui, Habeſſinia multis
veterum venit. Tantos boves ingentibus cornibus præditos 4
creditu facile, quaternorum pedum latitudine; ut idem *Pli-
nius* ibidem tradit.

Armenta Africæ utique & olim celebria fuêre; [73] & 5
adhuc ibi dantur gentes quæ ſolâ re pecuariâ victitant. Tales 6
armentarii ſunt ሰብአ፡ በቅለ፡ *Beklenſes*, haud procul Suaqenâ;
qui æſtate montes incolunt, hyeme verò in plana deſcen-
dunt, &, pabulum ſequendo, ſedes cum tempeſtatibus anni
mutant.

Equorum hîc generoſa & valida eſt natura, non enim 7
equitantur niſi in præliis, vel equeſtri decurſu; ideò nec ungu-
las eorum ſoleis ferreis muniunt; [74] ſi per aſpera & ſalebro-
ſa loca eundum ſit, eos ducunt, ipſi mulis inſidentes. Vario- 8
rum colorum ſunt, ut apud nos, ſpadices, glauci, ſcutulati, fu-
ſci & plurimi nigri. Centum mille equites nigros in centum 9
Boch. Phaleg. L. II. c. 23 millibus equis nigris Cyriacum Nubiæ Regem, quem aliqui
ſimul in Habeſſiniâ regnaſſe autumant, contra Saracenos in
L. I. c. 17. Ægyptum duxiſſe, *Elmacinus* memoriæ prodidit. [75] Miſe- 10
rebatur *Gregorium* equorum noſtrorum, cum illos videret
ingentia plauſtra trahere, illorum patientiam, noſtram verò
inclementiam miratus; quaſi bellicoſo & nobili hoc animali
ad labores ſerviles abuteremur. Mulorum ergo mularumq; 11
hîc frequentisſimus uſus; onera per aſperos montes geſtant:
iti-


ELEPHANTORUM GREGES QUI SILVAS VASTANT
Libr. 10. n. 2.
a. Ager consitus ab Elephanta defenditur.
a
J. Roos. Delt.
Ph. Ph. Aubry. fecit.

L. I. c. 1

L. X.
c. 45
L. II.

L. V.

I, I,

B.
le
L

ad labores serviles ab[illegible]
hîc frequentissimus usus; onera per asperos montes gestant:
iti-

OVIS ORIENTALIS
caudam adiposam XL. et amplius librarum
in plostello trahens.

ALIA SPECIES OVIUM
gvibus cauda obesa sat gravis est, qvalis
intelligenda Exod. XXIX. 22. Lev. VII. 3. et IX. 19.

J. Roos Deli.

Joh. Ph. Aubry fecit.

L.I.

L.
c.
L.

L.

1,

iti-

itinera longinqua illis conficiuntur; nullum enim jumentū
12 tutiùs per prærupta incedit. Quò molliùs autem rectorem
suum ferant, gradarii arte fiunt. Molesta nimis videbatur
Gregorio iter facienti equitatio in equis, quòd ut plurimum
tollutim incederent: vel cursu asperiore rectorem lassarent;
idque se in itinere Germanico satis expertum esse querebatur.

13 *Cameli* non nisi in planis locis dantur; arenam enim
quamvis æstu fervidam, sine noxa pedum calcant, in monti-
bus aut saxosis viis inutiles.

14 Mirabile illud genus *Ovium*, in Oriente atque Africâ satis
notum, hîc quoque frequens est. *Caudas* tam *obesas* ha-
bent, ut minimæ decem, vel duodecim libras: maximæ
15 interdum ultra quadraginta pendant.(76) Igitur necesse est
plostellum supponere, quò tantum onus eò commodius post
se trahere possint: neque humi laceretur, aut corrumpatur.
16 De his caudis accipienda sunt, quæ in sacrificiis Hebræorum
inter alia pinguia cremari jubentur; quin & speciale nomen
apud illos extat; אַלְיָה *Alja* enim dicitur: vulgaris verò & ma- *Exod.29,22*
cilenta illa, tàm nostrarum ovium, quàm aliorum anima- *Lev.7.3.&*
lium cauda, זָנָב *zanab* vocatur.[b] Alia animalia domestica hîc *9,19.*
æquè ac in nostro Orbe inveniuntur.

17 At *feras* multò plures & majores Habessinia quàm ulla
alia terra alit, quas brevibus persequemur, à belluis initio fa-
18 cto, quarum grandissimæ hîc dantur. Inprimis *Elephanti*(77)
& ingenio & mole corporis conspicui, in planis atque sylvo-
19 sis locis magno numero gregatim ingrediuntur. Centum
circiter diversæ magnitudinis simul in Tigrâ vidit *P. Ludovi-
cus Azevedus*: totidem ferè paulo ante præcessisse, idem te-
20 statur.[c] Sed incredibile dictu est, quantam hi boves Lucæ
stragem in sylvis & campis edant; arbores grandiores tamdiu
mole corporis quatiunt, donec vel scapus frangatur, vel tota
arbor cum radicibus velut quodam terræ motu evellatur:
mediocres manu paulò altius prehensas flectunt, & confrin-
21 gunt, atque sic ramos cum foliis vorant. Frutices & dumos,
fruges denique omnes, vel absumunt, vel obterunt. ፍኖተ፡
ንጉሥ፡ *Viam Regiam* illos efficere, eamque, ceu minus impe-
22 ditam, iter facientes libenter sequi, Gregorius ajebat. Ne ve-
rò pabulum tantis belluis desit, providentiâ Dei cautum.

Ar-

b) Bochart in Hierozoico. L. II. c. 45. p. 494.

c) Hunc numerum facilè credet, qui apud Nonnosum in Bibl. Photii n.3. legit, quod viderit ἐλεφάντων πλῆθος οὐκ ὀλίγον, ἀλλὰ σχεδὸν ὅσον χιλιάδων πέντε. Elephantorum haud exiguam multitudinem, sed ferè quinque millia.

Arbores enim illic crescunt cerasorum magnitudine, nobis
ignotæ, instar sambuci medullâ plenæ, ligno molliori; quas
graminis instar depascunt. Animal istud inter cætera muta 23
ad ingenium humanum proximè accedit; solum laude ac-
cenditur, & contumeliâ angitur. Exempla apud scripto-
res historiæ naturalis passim sunt obvia. *Jus hospitii*, dum 24
illo fruebatur, elephantem observasse *Gregorius* retulit, etsi
hospiti sub discessum malam gratiam referre voluerit. Vi- 25
tulum enim pepererat in agro consito; colonus puerperam
hanc, hospitem sibi ingratam, amoliturus, interficere consti-
tuerat. Dissuadent vicini; non enim inultam mansuram 26
cædem, sineret potiùs fœtum adolescere, certus, elephantem
messem maturam contra alios defensuram; id modò ope-
ram daret, ut, finito puerperio, fruges extemplo demeteret.
Secutus consilium herus intactam servavit segetem, nullam 27
aliam nisi semitæ, quam fecerat, servitutem passus. Digres-
sâ matre cum partu suo, herus vicinorum auxilio agrum fe-
stinanter demessuit. Nocte sequente catervatim venerunt 28
elephanti, apud hospitem suum ante discessum cænaturi; sed
vacuum penarium & inanes mensas repererunt. *Cornua* 29
non dentes esse, ex quibus ebur fit, apud populos illos non
ambigitur: & ipsa materia & situs id docent; ex cranio enim
non ex maxillâ proveniunt: solisque maribus competunt,
fœminæ, ut cervæ, illis carent. Homines non appetit barrus 30
nisi lacessitus, si fortè obviam venerit, modò restites & bacu-
lo mineris, proboscidem sub ventrem occulit, & barriens
abit; facillimè enim amputari posse novit. Nervosissima est 31
extrema illius pars ac tenerrima, (cujus percussionem valdè
metuit) tribus velut apicibus prædita, quibus minutissimas
res, tanquam digitis comprehendere potest. Cicures hîc 32
non fiunt: nec ullus eorum sive in bello, sive in pace inter tot
montes usus est.

At *Camelopardalis* non quidem crassitie corporis, at- 33
tamen proceritate elephanto longè antistat; tantæ enim al-
titudinis est, ut homo justæ staturæ ad genua ejus tantùm per-
tingat. Sic credibile fit, quod ajunt, equitem erecto corpo- 34
re equo insidentem, ventrem illius subire posse. Nomen 35
illi inditum ex eo, quòd prælongo collo atque capite camelo
non absimilis est; maculis verò albis rutilum colorem distin-
guentibus, Pardalis cutem refert. Romani cùm eam primùm
vide-

viderent; *Ovem feram* vocaverunt; quod aſpectu magis,
36 quàm feritate conſpicua eſſet, ut *Plinius* loquitur. Habesſi- *L.VIII.c.18*
nis à tenui cauda ዠራት: ቀጢን: *Jiratakaein*, i.e. *cauda tenuis:*
Italis autem *Giraffa* appellatur ab Arabico زرافة *zurafa.*
37 Cæterum pulchritudine omnia totius orbis quadrupedia
38 præcellit *Zecora*; Congenſibus *Zebra* dicta.(79) Animal
iſtud, muli magnitudine, ex ſylvis ultra Habesſiniam, & terras à Gallanis poſſeſſas adducitur, & facilè cicuratur; in domis Regum Habesſiniæ frequens, & præcipuum eſſe ſolet.
39 Illud paucis ex Tellezio deſcribemus. *Lumbos ambit circu-* *L.I.c.14.*
lus coloris nigri in morem cinguli, quem utrinq; plures ſequuntur, pro corporis portione, modo latiores, modo arctiores, tàm nigri, quàm cineritii coloris nitidiſſimi; tantâ elegantiâ atque ordine, ut cujuslibet etiam egregii pictoris artem ſuperare
40 *videantur. Solis auribus dehoneſtatur, eas enim paulò longiores habet; ob quam cauſam à Luſitanis* Burro do matto *h.*
41 *e.* aſinus ſylveſtris, *ſed immeritò, cognominatur.* Quantæ autem elegantiæ ſit, vel ex pretio illius intelligi poteſt. Donaverat enim *Suſneus* Rex tale animal Turcico Suaqenæ Præfecto, qui illud bis mille Venetianis cuidam Indo vendidit, munus magno Mogori Indorum Regi.

42 *Leo*, quamvis ferociâ & immanitate cæteras feras vincat, tamen magnanimitate quadam erga hominem utitur; eum enim, niſi famelicus ſit, non lædit, modò intrepidus incedat.[d]
43 Sed vix animal datur, quod audito vel viſo leone non expaveſcat. *Tauros* maximos tantus terror invadit, ut toti tremant, nec urinam continere poſſint; Habesſini tamen illũ aggredi
44 audent. De paſtore quodam refert *Tellezius*, quòd prægran- *L.I.c.14.*
dem leonem, à capite usque ad caudam octo cubitorum lon-
45 gitudine, non niſi duabus haſtis armatus, confecerit. Catulos eorum etiam cicurare ſolent, non ſemper fidâ manſuefactione.

46 *Tigrides* verò & *Pardi* ſive *Pantheræ*(80) leonibus multò ſunt truculentiores, nunquam enim homini parcunt. Æthiopes tamen, ceu notius pabulum, magis quàm albos
47 homines appetunt. Solo colore inter ſe differunt; hi enim latas nigras maculas fuſco colore: Tigrides fulvum colorem quinque parvis nigris maculis tanquam pentaphyllo diſtinguunt.

G

d) Solin. in Polyhiſt. c. 27. al. 40. ait: Clementiæ indicia multa ſunt; proſtratis parcunt. In viros potiùs quàm in fœminas ſæviunt. Infantes non niſi in magnâ fame perimunt. Alvar. c. 23. in fin.

L.I.c.10.
guunt [e]. Bestiæ tremendæ celeritatis & audaciæ; noctu in vil- 48
las irrumpunt: pecudes atque jumenta laniant; id verò in
c.43. *Midra-bahrâ* non fieri, testatur *Alvarezius*.
Lupos quoque habent, sed parvos & inertes; tales enim 49
L.VIII.c.22 Africam & Ægyptum gignere *Plinius* jam olim testatus est.
ib.c.21 & 30 Tanto sævior ibi est *Hyæna*, sive congener illi *Crocuta*, [f] be- 50
stiarum voracissima; quæ non noctu modò, nec furtim, ut lu-
pi, sed apertâ vi in homines pecudesque grassatur; & vel pa-
rietes perrumpit: vel limina stabulorum molitur. ተኵላ : Æ- 51
thiopes vocant: albis atque nigris maculis interstinctam di-
cebat *Gregorius*.
Alvar.c.17. At *Simiarum* ingentes greges (*mille & amplius ajunt*) in 52
montibus obambulant; nullus ibi lapis immotus manet; si
quod saxum majus à duabus vel tribus moveri non possit,
plures, quotquot locum habent, illud aggrediuntur, &, si pos-
sint, invertunt, ut vermiculis sub iis latentibus fruantur; id
enim præcipuum illarum pabulum est. Formicas avidè ex- 53
petunt, tumulo earum, quotcunque accedere possunt, aver-
sas manus imponunt, atque illas volæ irrepentes, tamdiu do-
nec omnes defecerint, delambunt. Sed *exitiabiles sunt* fru- 54
gibus atque pomis; agros enim & hortos, nisi custodiveris,
penitus vastant. Astutè tamen agunt, nec eos ingrediuntur
Gregorius. nisi exploratoribus præmissis; qui ubi tuta omnia sociis signi-
Idem tradit ficaverint, toto agmine irrumpunt, nihil prorsus reliqui faci-
Marmol in *suâ Africâ,* entes. Igitur primò quietæ atque silentes ad prædam eunt, 55
P.1.L.I.c.23 & catulos ætate incautiores, si fortè vocem edant, alapis ca-
stigant; at ubi nullus ex hominibus metus, dissonis clamori-
bus lætitiam suam testantur. Fœcunditati earum resisti ne- 56
quiret, nisi à tot feris laniarentur; contra quas non nisi fugâ,
& cavis rupium inaccessis, sibi consulunt. Quòd si fugæ lo- 57
cus non sit, audaciores pulvere vel arenâ manus implent, &
in feræ insilientis oculos conjiciunt, ne fugientes persequi
possit.
Verùm etiam innoxium quodpiam simulque lepidissi- 58
mum

e) *Panthera & Tigris* macularum varietate prope solæ bestiarum spectantur, ait *Plin.* VIII, 17. quo loco Panthera de Pardo accipitur. Cùm verò Panther τῷ παρδάλει apud Græcos: vel Pardo apud Latinos opponitur, tunc de Tigri accipiendum est; Veteres enim has feras, utpote valde inter se similes, non accuratè satis distinxerunt; quia in Europâ tardè admodum, nunquam autem vel raro simul visæ fuerunt. Duplex earum genus esse sciverunt, cui verò alterutrum nomen tribuendum, vel ignoratum, vel dubitatum fuit.

f) Ex Hyæna & Leæna progenitum animal, Æthiopiæ familiare, autores sic vocant. Vide Solinum c.65. & in eum doctiss. Salmasii Exercitationes Plinianas.



Æth: ፈንቅስ፡ Fonkes Amhar: ጉሬዛ። Guereza.

Animalculum
é genere eorum quæ Hollandi Sanguinen vocant
Callithrix veterum ut videtur
Nobis Cercopitheculum vel Galeopitheculum
appellare visum fuit.

Joh. Ph. Aübry fecit

f) Ex Hyæna & Leæna progenitum animal, Æthiopiæ familiare, autores sic vocant. Vide Solinum c.65. & in eum doctiss. Salmasii Exercitationes Plinianas.


Lib. 1. c. 10. n. 52
IMAGO SIMIARUM GUAE
1 Per montes oberrant
2 Lapides, tametsi magnos moliuntur ut, vermibus fruantur.
3 Tumulo formicarum assident, easq vorant.
4 Arenam vel pulverem in oculos ferarum irruentium conjiciunt.
1
4
2
J. Roos. Deli.
Joh. Ph. Aubry fecit

f) Ex Hyæna & Leæna progen[illegible]
Solinum c.65. & in eum doctiss. Salmasii Exercitationes Plinianas.

mum animalculum natura, quaſi in ſolatium tot noxiorum, dedit. Æthiopicè ፈንቅስ፡ Amharicè verò ጉሬዛ፡ vocatur. *Cercopitheculum* vel *Galeopitheculum* nominaveris; eam enim
59 ſpeciem habet. Elegans *Rhythmus lingua Gafatica* de eo extat, quem Æthiopicè & Amharicè expoſitum hîc damus; ut eruditus lector ſimul differentiam dialectorum inde cognoſcat:

60 *Gafaticè.*	61. *Æthiopicè*	62. *Amharicè.*
ሰቦች፡ ተልጸላም፡	ሰብአ፡ ኢይጸልእ፡	ሰብም፡ አልጸላኹ፡
ብሌች፡ ተልበላም፡	እክለኒ፡ ኢይበልዕ፡	እኽልም፡ አልበላሁ፡
ይጼለች፡ አማም።	ይጸልኡኒ፡ በከንቱ፡	ይጸሉኛል፡ ዝንላሉ፡

Hoc eſt: Hominem non lædo.
Frumentum non edo.
Oderunt me fruſtra.

63 Varii & ferè cæſii coloris eſt. Albos India gignit bellisſimos, ſed adeò teneros, ut, niſi amiculo pelliceo foveantur: aut ſinu
64 geſtentur, ad nos vehi non posſint. Num Callitriches veterum ſint, aliis judicandum relinquo. De iis Plinius, poſtquam de ſimiis diſſeruit: *Callitriches toto penè aſpectu differunt; barba eſt in facie, cauda latè fuſa primori parte. Hoc animal negatur vivere in alio, quam in Æthiopia, quo gignitur cælo.*† Eadem Solinus habet; addito: *Has*[g] *capere non arduũ, ſed proferre rarum.* Fortasſis quia neſciebant calore perpetuo fovendas eſſe.

L. VIII. c. 54

† *al. ſolo. in Polyh. c.* 40. *al.* 27.

65 Nomenclationem quorundam animalium, quam mihi Gregorius duplici linguâ deſcripſit, cum lectore hîc communicabo:

እንስሳ፡ ዘቤት፡ i. e. *Domeſtica animalia* ſunt:

66 *Æthiopicè.*	*Amharicè.*	
ላህም፡	ላም፡	Bos.
ዲኩቦና፡	ጎሽ፡	Bubalus.
በግዕ፡	በግ፡	Ovis.
ኪሮግርልዮስ፡	ሐሣማ፡	Porcus.

67 At prior vox non eſt Æthiopica, ſed Græca χοιρογρύλλιος, *Chœrogryllius*, quam malè pro *Porco* accipiunt; *Arctomus* enim eſt, muris Ægyptii genus.

Bochart. Hieroz. III. c. 33.

ጠሊ፡	ፍየል፡	Capra.
68 ፈረስ፡	Idem.	Equus pul-

cher & bello aptus; at equus ad alia ſervitia idoneus vocatur ሙጋዝ፡

g) Callithrix. Καλλίθριξ *pulchros pilos habens.* Adjectivum ergò eſt, ſubſtantivè acceptum, & ſubintelligitur πίθηκος id eſt, *ſimia*; *Pithecus* autem maſculinum eſt. Ergò potius *Hos* ſcribendum fuiſſet, niſi Latinam vocem reſpicere voluit Solinus.

Æthiopicè.	*Amharicè.*	*Latinè.*	
- - -	ባዝራ፡	Pulchra equa.	69
ገመል፡	Idem.	Camelus.	
በቅል፡	በቅሎ፡	Mulus.	
አድግ፡	አኅያ፡	Asinus.	
ከልብ፡	ውሻ፡	Canis.	
ድመት፡	Idem.	Felis.	
	አንስሳ፡ገዳም፡ i.e. *Animalia fera.*		70
ነጌ፡	ዝኆን፡	Elephantus.	
ዘራት፡	ዚራት፡ቀጪኔ፡	Camelopardalis.	
ቶራ፡ *Torâ.*	አጋዘን፡ *Agazen.*	Magna sunt animalia,	71
- - -	ዶፋሳ፡ *Dofâsa.*	boum similitudine.	
ኀየል፡	ዋላ፡	Cervus.	
- - -	ሳሳ፡ *Saça.*	Animal cervi similitudine	72
& colore, sed caprâ majus; fortè *Dama* vel *Tragelaphus.*			
ወዐላ፡	ሶኅር፡	Capreolus.	
ወይጠል፡	ፌቆ፡	Caprea.	
ጣሌ፡በድው፡	የበዳ፡ፍዬል፡	Caper sylvestris.	
ኦርና፡ *Orna.*	መዳቋ፡ *Madakua.*	Animalia; quæ capris assi-	73
- - -	ድኩላ፡ *Decula.*	milabat Gregorius. *Ru-*	
		picapræ vel *Ibices* esse videntur.	
አድግ፡ገዳም፡	የበዳ፡አኅያ፡	Asinus sylvestris, i.e. *Onager.*	
ሐራውያ፡ሐቅል፡	ሕርያ፡	Porcus sylvestris, i.e. *Aper.*	
ሐለስትዮ፡	ጦጣ፡	Simia major. Ein Pavian/	74
		Cephus vel *Orang outang* Indis, ni fallor.	
ሀገይ፡	ዝንጆር፡	Simia.	
ቀንፈዝ፡	ዠርት፡	Hystrix.	
ቍንጸል፡	ቀበሮ፡	Vulpes.	
- - -	ዋልጋ፡	Animal vulpi simile, sed ma-jus.	75
አንከሶ፡	ጥርኝ፡	Civeta.	
መንተሌ፡	ፀንቸል፡	Lepus.	
ገሔ፡	ኧሽኮኮ፡	Cuniculus.	
ፈንቅስ፡	ጉሬዛ፡	Galeopitheculus.	
	አራዊተ፡ሐቅል፡ i.e. *Animalia sylvæ*, h.e. *ferocia*, seu *carnivora.*		76
አንበሳ፡	Idem.	Leo.	
ነምር፡	ነብር፡	Tigris.	
- - -	ግሥላ፡	Pardus, *ut videtur.*	
ተኵላ፡	Idem.	Hyæna.	
ዝእብ፡	ዝብ፡	Lupus.	

Videt

77 Videt ſtudioſus lector animalia quędam, à Gregorio nominata, Latinè non vel dubiè reddita eſſe. At non dubito eſſe inter illa quædam veteribus memorata, *Lycaonem*, *Catoblepam*, *Thoa*, *Chaum*, *Manticoram*: *Boves unicornes*, *tricornesque*: *Tauros ſylveſtres* atrociſſimos, aliaque multa, *monſtris*, quorum Africa ferax,[h] non abſimilia.

78 Præterea animal mihi nominavit *Gregorius*, quod validum & ſævum eſſe dicebat; አርዌ፡ሐሪስ፡ *Arwêharis*. Amhar: አውሬ፡ ሐርስ፡ idque procul dubio eſt Arabum حريش *Harish* vel حرشن *Harshan*, quod *Unicorne* eſt, capri ſpecie, & perni-
79 citate pedum valens. Num forte ſit antiquorum *Monoceros*, (81) qui, teſte *P. Hieronymo Lupo*,[i] in Habeſſiniâ reperitur, aliorum indagationi relinquimus. Pro fabuloſo habitum fuit iſtud quadrupes à peritioribus pleriſque. Nimirum ineptæ deſcriptiones, quaſi vivum capi non poſſet: ambigua & ex plane disparibus animalibus conficta forma: tanquam de quodam errore naturæ auctores fabularentur, omnem fidem demſerant; famam tamen non prorſus vanam fuiſſe Lu- Proœm.n.12
80 ſitani tradidêre. Viſum enim fuit à *Joanne Gabriele*, quem ſupra nominavimus, apud *Agawos* in Regno *Damotâ*, *animal pulchro in fronte cornu, quinque palmos longo, & albicante præditum: mediocris equi magnitudine, & formâ: coloris ſpadicei: jubis atque cauda nigris, ſed brevibus & tenui-* 1,3,5.
81 *bus*. (alibi tamen viſum craſſioribus & longioribus) *In denſiſſimis ſylvis ſolitarium vivere, & rarò in campos progredi,*
82 incolæ dixerunt. Quo minùs autem de veritate rei dubitaretur, pullus allatus fuit Patri cuidam Societatis, qui illum
83 oculis ſuis vidit. Porro *Luſitani*, in rupem quandam excelſam regionis Naninæ, quæ Gojamæ pars eſt, ab *Adamas-Saghedo Imperatore* relegati, teſtati ſunt: *Se plurimos tales monocerotes in ſubjacentibus ſylvis paſcentes vidiſſe*; ex quorum relatione profecta ſunt, quæ *Johannes Bermudes* & *Ludovicus Marmolius*[k] de hoc animali memoriæ prodidêre. P.I.L.I.c.23
84 Deſcriptio Luſitanorum veritati magis congruere videtur; quæ enim veteres recenteſque auctores[l] de unicornibus ſcripſerunt, tam confuſa reperias, ut quædam de *Rhinocerote*,[m] quædam de *Oryge*, quædam de *aſinis Indicis*, quædam

h) Plin. L.VIII.c.19.21. Solin. in Polyhiſt.c.30.al.43.
i) In relatione illius Anglicè translatâ; tit. A short relation of the river Nile &c. 1673.
k) allegantur à Bocharto in Hierozoico. L.III. c.26.
l) Quos vide latè apud Bochart. dicto loco.
m) De hoc intelligenda eſt M. Pauli Veneti relatio de Unicorni in Javâ minore. L.III.c.15.

etiam de *ceto Gronlandico* Nahrwhal accipienda ſint. tot ani-
malibus ad Chimæram hanc formandam opus fuit. Cæte- 85
roquin ambigendum non eſt, multas unicornes animantes
hîc & illic dari; id tantùm ſummè dubium erat, de quibus ſa-
*Num.*23,22. cra Scriptura ageret; quandoquidem interpretes, poſt LXX. Se-
& 24,8. *& alibi.* niores, ferè omnes, Hebræum רים *Rim* vel ראם *Reem*, *Mono-
cerotem*, animal Iſraëlitis planè incognitum, reddiderunt.
Æthiopicus interpres, ſive ignorans id animalis in Æthiopiâ
dari: ſive aliud intelligi putans, Græcum τῷ ὁ. Μονόκερως ubique
reddidit ዘአሐዱ፡ቀርን፡ (Beſtia) *cui unum cornu*. At clariſſi- 86
*L.III.c.*27. mus *Bochartus* Arabum رئم *Rim*, è caprearum genere: vel,
&*L.VI.c.*12 quod veriſimilius mihi videtur, *Orygem* eſſe docuit.(84) *Vrſi* 87
nomen ድብ፡ *Deb*, ex Arabicâ & Hebr. linguâ habent; animal
*L.VIII.c.*36 ipſum non norunt. In Africâ enim urſos non gigni, Plinius
in fin. *L.IX.c.* 58. pridem ſcripſit; at *apri*, *cervi* & *capreæ* dantur, ſecus ac ille
in fin. putat, niſi fortè de Africâ propriè dictâ locutus ſit.

CAP. XI.

De amphibiis & aquatilibus.

1. *Hippopotamus.* 2. Vnde illi hoc nomen. 3. Jobi *Behemoth* 4. Segetibus. 5. ſcaphis & hominibus pernicioſus eſt. 6. Igne fugatur; quare capiatur. 7. *Crocodilus* 8. Jobo *Leviathan* eſt. 9. *Lacerta* aquatica, 10. *Angueg* כח: Hebr. 11. à *Gregorio* deſcribitur. 13. *Piſces* multi. 14. *Torpedinis* admiranda natura. 15. *Febrim* curat, 16. fortè & *podagram*. 17. per haſtam corpus afficit.

NVnc ad *amphibia & aquatilia* deſcendimus; inter quæ 1
horribilis bellua, ἱπποπόταμος *Hippopotamus*,(85) i. e. equus
fluviatilis: Æthiopicè ቢሀት፡ *Bihat*, Amharicè autem ጎማሪ፡
Gomari [n] dictus, vaſtâ corporis mole, & roboris ſtupendi, fa-
cilè primas tenet. Græci, cùm id nominis reperirent, caput 2
tantùm ex undis exſertum viderunt; roſtro enim, oculis, &
maximè auribus equo perſimilis: [o] corporis verò & pedum
formâ prorſus diſſimilis eſt, ac jubâ caret [p]; ut ex effigie hîc de-
pictâ apparet; breves enim pedes & perbrevem caudam, cu-
tem glabram, & lævem ſine ullis pilis habet, bove autem du-
plo major perhibetur. [q] Neque aliud animal eſt בהמות *Behe-* 3
*c.*40,10. *moth*, quod Jobus deſcribit, antiquo Ægyptiaco vocabulo
uſus, quorum aliquam multa ſingulari numero in ωθ *oth* deſi-
nunt;

n) Sic corrige apud Bochartum in Hieroz. L.V. c. 15. in fin. pro *Bicht* & *Gomar*.
*L. I. c.*8. o) Hinc B. Tellez ſcribit: *Bene quadrat in illos nomen equorum, quia reverâ roſtro illis ſimillimi ſunt, & adhuc magis auribus.*
p) ſecus ac Plinius putat, qui illi etiam hinnitum tribuit, L.VIII. c. 25. in fin.
q) Itali vaſtum corpus reſpicientes *Bomarin* i. e. *Bovem marinum* vocant.

BEHEMOTH Der Behemoth Job. XL. 10. Æth: ብሐት: Bihât Amhar: ጎማሪ: Gomari. Lib. 1. c. 11. n. 1.

ΙΠΠΟΠΟΤΑΜΟϹ. HIPPOPOTAMUS i. e. Equus fluviatilis

BOMARINO Ital: i. e. Bos marinus

Flußpferd

Meer Ochs

Joh. Ph. Aubrij fecit.

HIPPOPOTAMUS caput undis exserens, ex quo nomen equi fluviatilis à Græcis accepit.



nunt; idque primus *Bochartus* in Hierozoico ſuo Orbem *L.V.c.15.*
4 eruditum ſcitè docuit; illius enim *deſcriptio* cum Hippopotamo collata bellè quadrat. Multi reperiuntur in lacu Tzanico, qui agros vicinos magno ſegetum damno depaſcuntur. *B.T.1,6.*
5 Lembunculos ſubvertunt, & ob id navigationem inſularium in illo lacu intutam reddunt, quia hominibus etiam inſidian-
6 tur. Ignem pavent, ut feræ pleræque, [r] eoq; ſolo etiam à puero in fugam agi poſſunt. Dantur tamen qui venatione illorum ſe ſuſtentant, & carne veſcuntur: corium autem craſſiſſimum ad varios uſus, inprimis ad ſcuta adhibent. *N.God.I.11.*
7 Socius ejus *Crocodilus* multo nocentior eſt, qui quidem non in dicto lacu, ſed in flumine *Tacazè*, quem in Nilum flu- *1,8,103.*
8 ere diximus, reperitur. *Leviathan* à Jobo vocari, viri quidam docti [s] jam pridem obſervaverunt, quibus clarisſimus *Bochartus* meritò adſtipulatur.(86) *c.41.* *d.l.c.16.*
9 *Lacertæ aquaticæ* paſſim dantur prægrandes, atque inter eas quædam ዐንጉጕ ፡ *Angueg* dicta, aſpectu fœda, caudâ acutâ, atq; tam forti, ut homini crus ferè incidere poſſit; quare
10 ab Italis *Caudiverbera* vocatur.(87) Mihi ورل *Waril* Arabum: כֹּחַ *Coahh* Hebræorum eſſe, & à robore nomen accepiſſe videtur. Illius deſcriptionem uberiorem *Bochartus* habet. Sequentem *Gregorius* dedit: *L.IV.c.3.*

11 ዐንጉጕ ፡ ይነብር ፡ በባሕር ፡ ወወፂኦ ፡ እምኔ ፡ ማይ ፡ ይበልዕ ፡ ሣዕረ ፡፡ ዘ፬ ለእገሪሁ ፡ አርአያሁ ፡ ፀዋግ ፡ ወክነ ፡
12 መልክኡ ፡ ይመስል ፡ ከይሲ ፡፡ ዘእንበለ ፡ ጸጉር ፡ ወጕእቱ ፡ ወዘነቡ ፡ በሊሕ ፡ ከመ ፡ መጥባሕት ፡ ወይመትር ፡ ሰብአ ፡ ወአካሉ ፡ ይከውን ፡ ከመ ፡ ድመት ፡ ላሕቱ ፡ ቀጢን ፡፡

Angueg *exiſtit in fluminibus, & cùm ex aquâ egreditur herbam depaſcit. Quadrupes eſt. Aſpectus ejus fœdus, & forma draconis eſt; pilis caret. Cauda ejus acuta eſt inſtar gladii, ita ut incidat hominem* (ſeu crus hominis) *Magnitudine feli ferè ſimilis, ſed tenuior eſt.*

13 Aliàs lacus & flumina *piſcibus* abundant, etiam illa, quæ terrâ ſe condunt; ut de *Marebo* ſupra diximus. *B.T.1,6.* *1,8,108.*
14 Sed inter cæteros maximè notabilis eſt *Torpedo* Africæ familiaris. Hollandi Drilviß i. e. Zitterfiſch *piſcem tremulum* [t] vocant; ejus enim tam ſtupenda natura eſt, ut, manu tactus, horrorem membris incutiat prorſus intolerabilem, idque expertus eſt, ſed vix momento ſuſtinuit, *P. Almeyda* Je-

r) Etiam Leones. Solin. in Polyhiſt. c.27. al. 40. Propterea Habeſſini ignem juxta villarum portas noctu faciunt. Alvar. c. 25.
s) Beza & Deodatius. allegante Bocharto L. V. c.15.
t) O. Dapperus in Deſcriptione Africæ ſub Regno Benin.

Greg. Jesuita.[u] *Febrem tertianam* & *quartanam* illo curant Ha- 15
bessini, sed validè in tabula ligandus est ægrotus; sic piscis
artubus applicatus, cruciatum atrocissimum omnibus mem-
bris inducit, post quem paroxismus febrilis non redit. Acer- 16
bum remedium, fortassis etiam podagricis non inutile futu-
rum; quia id genus morbi tormentis curari quidam dicunt.
Credent id inter Æthiopes illi, qui ipsum Cacodæmonem
N.G.I, 11. hoc pisce ex homine exigi posse pro certo habent. Quin etsi 17
hastâ virgâve attingatur, quamvis prævalidos lacertos tor-
pescere, & quamlibet veloces ad cursum alligari pedes, ait
L.32. c.1. & 10. *Plinius*.[x] Quod falsum non esse etiam recentiores historici
testantur. (88)

CAP. XII.

De avibus.

1. *Struthiocamelus* & *Casuarius*. 3. *Ille* pernicitate cursus equos vincit. 4. in *Africa* frequens: 5. *Hic Æthiopicè* malè ቀቀኖ: 6. Canibus infestus est. 7. *Caro* ejus alexipharmacum. 8. *Ibes* & 9. *Ophiomachi*, serpentes conficiunt. 12. *Pipi* venatoribus feras prodit. 16. In *Guineâ* etiam reperitur. 17. *Anseres domesticos* non habent; eos *Gregorius* 18. beatos prædicavit: 19. miratus inprimis *plumâ* inflatos lectos: 20. eosque viris non convenire putavit. 23. Nulli illic *cuculi*, nec *aquila*. 24. *Ruch* & *Condora* aves fabulosæ.

VTi quadrupedum maxima tàm terrâ quàm Mari in Ha- 1
bessiniâ reperiuntur: ita & volatiliũ. Tametsi volucres 2
non sint, nec à terrâ tollantur *Struthiocamelus*, &, qui maxi-
mũ corpore pondus post illum implet, *Casuarius*. Cursu nihi- 3
Plin. X, 1. lominus adeò valent, ut etiam equum celeritate vincere di-
cantur, defectum alarum pernicitate pedum pensante natu-
râ. Cæterum *Struthiocamelus* nostris hominibus notior jam
est, quàm ut longâ descriptione egeat. (89) *Casuarius* ales 4
Africæ, illo tractu frequens, Guineensibus *Eme* dicitur: Ha-
bessinis, & peculiariter Tigrensibus ለገ: ጉንባሕ: vocatur, qua
voce magnum ejus corpus significant; خنبج enim Arabicè
procerum, & magni corporis hominem denotat. Vocabu- 5
lum ቀቀኖ: quod *Deut. 14. 16.* reperitur, Habessini de hac ave
malè accipiunt; est enim Græcum κύκνος *Cygnus*, quem fortè
audiverant reliquas aves magnitudine corporis superare.
Inimicitia illi cum canibus, quos insectatur, sed cum vitæ pe- 6
riculo. Pullum mihi ex India missum molossus interemit;
(exu-

L. I. c. 8. u) B. Tellez Monstraverunt ei (*Almeidæ*) piscem, qui Latinè ab effectu *Torpedo* dicitur, quem ubi manu comprehendisset, illicò in ipsa manu, & brachio tantum attulit cruciatum, ut festinanter eum abjecerit, nolens tam dolorificam experientiam continuare. Plura de eo habet N. Godign. L. I. c. 11. Vide Comm.

x) Hunc vide, quia plura miranda de illo scribit L. 9, 42.

7 exuvias ejus adhuc habeo. Caro ejus, ſive recens, ſive fuma-
ta, in medicaminibus contra venena ſerpentum habetur; id
8 ex eo intellectum, quod eos ſine noxâ avidè voraret. Sed
non unum hoſtem ſerpentibus ſapientisſimum Numen de-
dit; nam maximam eorum copiam *Ibes*, aves in Ægypto no- *Cic. de nat.*
9 tisſimæ, conficiunt: (90) nec non ὀφιομάχος *Ophiomachus*, qui *Deorum.*
à pugnâ cum ſerpentibus nomen accepit. Amharicè ሀገበ:
10 መለጥ: *Serpentes deglutiens* vocatur. Sic Africa, quæ malefici
generis permulta animalia gignit, etiam remedia plurima
11 ſuppeditat, prout ſupra de herbâ Aſſazoë diximus. Aves au- 1, 9, 11.
tem hîc homini à naturâ extirpandis beſtiis conceſſæ viden-
tur; quippe quas ipſæ vincere nequeunt, illas hominibus
12 produnt. Etenim *avicula*, quæ Tigrenſibus, ubi frequens
eſt, ጲጲ: *Pipi* à voce vocatur, (mirum dictu) venatores eò
ducit, ubi feras latere animadvertit; tamdiu *Pipi Pipi* ſuum
13 ingeminans, donec ſequantur, easq; occidant. Retulit mihi
Gregorius: *deambulanti ſibi cum Tigrenſi quodam amico
auditam hanc avem; ſeque, intellecto ex comite ſuo quid vel-
let, experiri voluiſſe num vera diceret; deductos autem fuiſſe
ad frondoſam arborem, in qua ingens anguis ſpiris ſuis circa
ramos convolutus hærebat; quo viſo, multò citiùs, quàm ve-*
15 *nerant, regreſſos.* Intutum enim eſt avem hanc ſequi, niſi te-
lis & venabulis bene ſis armatus. Sed magis ſuâ quàm ho-
minum causâ id facere videtur; non enim gratis hoc offi-
cium homini præſtat, carnis fruſtulis in loco cædis repertis
16 vivit, & ſic partem prædæ capit. Nec in Habesſiniâ tantùm,
ſed & in *Guineâ*, in regno *Quoja*, ubi *Fonton* illi nomen eſt, *O. Dap. A-*
reperitur, magnitudine alaudæ. Prodere verò illic dicitur non *fric.* 395.
feras tantùm, & ſerpentes, ſed etiam apes. (91)
17 Anſeres domeſticos non habent. Illos à paſtore agi vi-
dens ſtupebat *Gregorius*; facetè me interrogans: *obtempe-
rarentne hæ alites huic ſuo paſtori?* cum affirmarem; *quid ſi*
18 *volant*, inquit, *prævolátne vel ſequitur volando?* Cùm uti-
litatem earum enarrarem, ብርክት: ወፍ: *beatas* prædicabat plu-
migeras has *aves*, maximè cùm in *arce Gotanâ* Friedenſtein
19 in molli earum plumâ cubaret. Nam priusquam in Germa-
niam veniſſet in plumis nunquam dormiverat: & lectos
Germanicos, levi plumâ tumentes, vento inflatos putaverat.
20 Impensè autem mirabatur eò deliciarum Germanos veniſſe,
ut non puerperis ſolùm aut infantibus, ſed & virorum cor-

poribus ſubſternerentur. Etenim ægrè in bellum profectu- 21
ros cenſebat, quos tam molle ſtratum non ſequeretur. Cæ- 22
teras Europæ alites plerasque habent; de aquaticis nihil ſcri-
ptu dignum accepi. At *nulli* ibi *cuculi* audiuntur: *nec aquilæ* 23
viſuntur; propterea de iſtarum magnitudine & vi haud ſecus
ac Arabes de ſuâ *Ruch*[y] decempedales narrant fabulas; nam
ovum ejus magnitudine ſuâ montem exæquare dicunt(92). Vt
taceam nunc Monomotapenſium *Condoram*,[z] *equos pen-*
natos, aliaque ambigua avium & quadrupedum monſtra, in
Africâ veteribus nec non recentioribus autoribus credita: vel
ſaltem audita.

CAP. XIII.

De ſerpentibus & inſectis.

1. *Dracones* morſu tantùm valent; 2. maximi in Indiâ. 3. Illorum *ſquama & color.* 4. *Boa.* 5. *Salamandra.* 6. *Hydri*, qui & *Cherſydri*, venenatiſſimi. 7. *Gregorii* deſcriptio. 8. Ab *excrementis humanis remedium:* 9. quod *Panthera* fortè docuit. 12. Baculo *arcuato* necantur. 14. Torrida loca ob ſerpentes ferè invia. 15. Boves eorum ova conculcant. 16. *Locuſtæ* perniciofiſſimæ, ſed 21. eſu ſalubres. 22. *S. Johannis Baptiſtæ* cibus. 24. *Apes.* 25. Quædam nobis ignotæ: 26. aculeo carent. 27. *Formicæ* diverſorum generum. 28. Quædam *agminales* magnæ, 29. mediæ, 30. parvæ, 31. volatiles.

TRansimus ad animalia malefica, quorum innumeræ 1
ſunt ſpecies. *Dracones* in hoc genere maximi, morſu
tantùm valent, veneno carent; ne dupliciter humano generi
nocere poſſint. In tantam autem magnitudinem adole- 2
ſcunt, ut facilè crederet *Gregorius* in Indiâ reperiri, qui ſolidos
infantes, porcellos, agnos, atque hædos haurirent. Squamo- 3
ſos eſſe, & annoſæ arboris corticem colore referre, ajebat, ut
à ramis majoribus vix diſcerni poſſint. De *Boa* autem, quæ 4
boves glutiret,[a] nihil audiverat, neque ego quenquam un-
quam auditurum putaverim.(93) Nihil de *Salamandra* mihi 5
narravit *Gregorius*, cujus inter omnia venenata maximum
L.29.c.4. ſcelus, ut Plinius loquitur. Eam in Java majore *Jeko*(94) à vo-
ce, quam edit, dici, ob exitiabile iſtius virus, nonnulli cen-
ſent.

y) De qua *Bochartus* in ſuo Hieroz. L. VI. c. 14. n. 10.

z) *P. Bolivar* Jeſuita ait: *Se pennam illius avis vidiſſe è mediocribus longitudine viginti octo palmorum, latitudine trium. Calamum ipſum longitudine quinque palmorum, brachii modici craſſitie.* Allegatur à Nobiliſſ. Thevenotio in ſuis Obſervationibus. *Remarques ſur les relations d'Ethiopie.* Relationem integram lectori in Commentario dabo.

a) Hieronym. in vita Hilarionis ideo *Boas* dictas putat.

6 ſent.[b] Sunt tamen in Habesſiniâ alii angues veneni rapidis-
ſimi. Tales ſunt Hydri, nullis ſerpentium veneno inferiores. *Idem d.l.*
In paluſtribus locis vivunt, quibus æſtate areſcentibus, ſi in
ſicco conſpiciantur, à Græcis *Cherſydri*[c] dicuntur; tunc verò
longè nocentiores ſunt, ſiti enim & æſtu magis accenduntur. *Salluſt. de*
7 (95) De his, niſi valde fallor, accipienda *Gregorii* deſcriptio. *Bel. Iug.*
Serpens datur apud nos, inquiebat, *brachii longitudine &* *c. 89.*
craſſitie, colore puniceo, ſed ſubfuſco, ſub fruticibus aut herbis
latens; illuc ſi acceſſerit homo vel brutum, forti halitu, tam pe-
ſtilens ac fœdè olens virus exſpirat,[d] *ut animali brevi pereun-*
8 *dum ſit, niſi maturè remedium afferatur.* Id verò non diffi-
cile natura dedit, ubi tam facile eſt malum; *nam excrementis*
9 *humanis in aqua ſumtis curari*, dicebat. Quod remedium
Panthera fortè homines docuit, quę, ſi carnem à venatoribus
aconito perfricatam voraverit, merdâ humanâ ſibi medetur.
10 Multa enim à brutis adhibita hominibus quoque utilia de- *Plin. VIII,*
prehenſa fuerunt. Alias ſerpentum ſpecies paſſim notas re- *27.*
11 ferre ſuperſedeo. Vulgares adeò ſpernunt, ut ſine metu inter
illos ambulent, eosq; intrepidè occidant. Igitur quoties rus
12 eunt, baculum incurvum ſecum geſtant; rectus enim pun-
ctum duntaxat tangit, arcuatus verò & laxiùs ferit, & cer-
13 tiùs. Gregorius, cùm audiret Heldburgi (Ducis Saxo-Gota-
ni caſtellum in Franconiâ eſt) copiam ſerpentum dari, talem
ſibi faciebat, & primi obvii non caput, ſed medium certiore
ictu percutiebat; ſic illum, fractâ ſpinâ dorſi, cum ultra ſerpe-
14 re nequiret, interficiebat. Torrida Africæ loca ſerpentibus
infeſtiſſima ſunt: multa quoque propterea inculta; per quæ
15 iter periculoſiſſimum eſt. Ideò viſis ocreis noſtris *Gregorius*
ajebat: *bonas illas fore contra aſpidum morſus.* Interdum bo-
ves agunt (*Aſſazoë munitos credo*) in loca ovis eorum con- *1, 9, 11.*
ſita, quô illa conculcent; aliàs fœcunditate ſuâ in immenſum
multiplicarentur.

16 Sed longè exitioſiores ſunt *locuſtæ*, (96) quæ non deſerta
& arenoſa loca quærunt, ut ſerpentes; ſed arboribus conſita
17 atque frugibus culta. Ineffabili multitudine inſtar denſæ nu- *Alv. c. 32*
bis Solem obumbrant; non herbæ, non frutices, non arbo- *& 33.*

 res

b) Videatur inter alia Itinerarium *Volcardi Iverſen* L. I. c. 7. in fin. Stellioni ſimilis eſt. Confer *Bocharti Hieroz.* P. I. L. 4. c. 4.

c) q. d. ὕδρος ἐν χέρσῳ. Ætius L. XIII. c. 35.

d) Hæc circumſtantia me induxit, ut Gregorium de hydris ſive Cherſydris (quæ nomina ille ignorabat) locutum eſſe crediderim; nam peſtilentem halitum autores illis tribuunt. Virg. L. III. Georg. Ælian. Hiſt. L. VIII. c. 13. Kimchi ſub rad. שרף.

res intactæ manent: quidquid herbidum aut frondoſum, arroditur; quaſi igne toſtum eſſet. Etiam cortices arborum 18
dentibus mandunt, & ſic non in unum tantùm annum nocent. Sequuntur hominum pecudumque mortes, & vaſtitas 19
regionum per aliquot annos; [e] quia tantæ calamitati tolerandæ neque fœnum neque frumentum, ut ſupra diximus, (1,9,7.)
convehere aut coacervare ſolent. Aliquamdiu quidem ipſis 20
locuſtis ſuſtentare ſe poſſunt; quibus avidè veſcuntur, *in ſatietatem & ultionem.* Suavis enim valde, nec non ſalubris 21
(*Maffæus de reb. Ind.*) eſt cibus, quo præſidium quoddam Luſitanorum in Indiâ, jam jam ob famem ſe dediturum, tamdiu ſuſtentatum fuit, donec ei ſubveniretur. Itaque dubitandum non eſt veras 22
(*Matth.* 3,4. *Marc.* 1,6.) fuiſſe locuſtas, quibus *S. Johannes Baptiſta* in deſerto vitam toleravit.

De aliis inſectis, quorum ſat ferax eſt iſta plaga, multis 23
dicere nihil attinet. De *apibus* ſolummodò, quarum fœcun- 24
diſſima eſt regio, & ingens mellis atque ceræ proventus, pauca afferemus. Eſt genus apum minutarum, nigrum, terreſtre, 25
ceram albiſſimam & mel ſuaviſſimum, quod in optimis medicamentis ponitur, conficiens. De hoc accipiunt Habeſſini
(*Ibid.*) መዐር:ጸደና: *Mel agreſte*, quo idem Baptiſta uſus eſt. Quia 26
verò aculeo carent, latebrâ ſe tuentur; ſub terrâ enim favos condunt, anguſtisſimo introitu, quem viſo homine quinque vel ſex implent, capitula ſua ſolo æqualia ponentes, tam ſolerter, ut acutiſſimos oculos fallant.

Poſt apes notabilis *formicarum* natura eſt; (97) quarum 27
plurima genera ſat magna illic dantur, non quidem *canis mediocris magnitudine*, [f] qualem inter alia munera à Thamo Perſarum Rege, Solimanno Turcarum Sultano miſſam *Thu-*
(*Hiſt. L.* 24.) *anus* narrat; noſtratibus tamen multò majora; ut ferè ſunt Africæ & Indiæ inſecta. Inter eas maximè ſpectabiles ſunt, 28
quæ ጕንዳን: *Gundân* vocantur; ſemper enim quaſi inſtructo & planè *æquali agmine* incedunt, ſervatis, haud aliter ac inter milites, ordinibus: relictâ poſt ſe quâdam veluti regiâ viâ. Fruges non comportant, ſed ſtatim devorant, earumq; morſus homini valdè dolorificus eſt. Secundum magnitudinis 29
locum occupant illæ quæ ጕብረ:ጕንዳን: i. e. *Servi gundân* appel-

e) Dapperus in deſcriptione Guineæ, ſpeciatim littor. aurei p.459. ſed in hoc fallitur, quod ex Felici Arabia (tam procul) provenire ſcribat.

(*L. X. c.* 31.) f) Hoc faciliùs crediderim, quàm quod Plinius *formicis* apud ſeptentrionales Indos aurum eruentibus *magnitudinem Luporum Ægypti*: Solinus *formam canis maximi* (*in Polyhiſt. c.* 40. *al.* 27.) tribuit.

pellantur; tanquam *mancipia* magnarum essent. Etiam ordine repunt, sed grana rostello gestant, & condunt: madefa-
30 cta verò rursus egerunt, & in Sole siccant. De his, quia miræ solertiæ sunt, Salomonem locutum putant. *Minimæ* in hoc *Prov.6,6.*
31 genere Æthiop. ፀፁት: Amhar. verò ግጠት: dicuntur. Dan- *& 30,25.*
tur etiam quibus certo tempore alæ crescunt, ut volare possint; quod & in Germaniâ interdum contingit. Semel in patriâ meâ vidi: talesque *formicas volatiles* à gallinis avidè abreptas memini.

CAP. XIV.

De naturâ & ingenio incolarum.

2. Habessini *bonæ indolis* sunt. 3. Tellezius commendat eos 7. ab *æquitate, justitiâ & placabilitate:* nec non *lenitate, veritate & pietate Christianâ.* 8. Inprimis *Enareenses* 10. omnibus Africanis præstant. 11. *Servi* hujus nationis per totum Orientem *in pretio* sunt. 12. *Prester Chan* quid sit nonnullis. 15. Habessini cupidissimi bonarum artium & scientiarum. 18. Inprimis *Linguæ Latinæ.* 20. Causæ profectionis *Gregorii* in Germaniam. 21. Occasione discendi destituuntur, & quare. 25. *Tigrenses* culpantur. 28. Habessini *formâ corporis* præstant, quæ 29. ex *Tellezio* describitur. 32. *Æthiopes albi,* 33. *Leucæthiopes* in Guineâ. 34. *Nigredinem* suam præferunt, & 35. *Diabolum album* pingunt. 36. *Robore* valent viri pariter ac 38. *fœminæ*; quæ facillimè pariunt, nec 39. infœcundæ sunt. Vnde 40. non exigua *hominum multitudo.* 42. *Iudæi* inquilini: 43. olim sui juris erant; 44. nunc sparsi, & 45. partim exules. 46. *Dialecto* utuntur *Talmudicâ* corruptâ. 50. *Muhammedani* Christianis immixti. 51. *Gentiles* innumeri, *vagi, nudi, pamphagi.* 52. Troglodytis similes. 54. Lusit. *Cafres* i. e. *Infideles.* 55. Alii *pagani.* 56. *Gallani.*

1 BRuta igitur animalia atque insecta ad hunc modum se habent. At animantium præstantissimum, cujus gratiâ reliqua omnia genita esse etiam sapientioribus Ethnicis vi- *Plin.L.VII. Proœm.*
2 sum fuit, *hominem*, rerum dominum, nunc dicere restat. Ingeniorum autem in hâc mundi plagâ non eadem quæ cœli & soli asperitas est: Nam Habessini, (*teste P. Tellezio illis* *L.I.c.15.p.39.*
3 *alioquin non satis æquo,*) bonæ ac præstantis indolis sunt. Integra illius verba insertione digna videntur:

Quasi todos tem bom enten-	*Omnes ferè* (Habessini) *bono*
dimento, & sam bem inclina-	*ingenio bonâque indole præditi,*
dos. Nam sam crueys & san-	*non crudeles, non sanguinolen-*
guinarios, facilmente perdo-	*ti sunt; facilè remittunt inju-*
4 am as injurias; nam ha entre	*rias: non dantur inter illos*
elles muytas brigas, & as que	*multæ rixæ, & si quæ oriantur,*
tem entre sy poucas vezes se	*rarissimè gladio judice trans-*
resolvem no tribunal da espa-	*iguntur, colaphi & verbera ri-*
da; ás pancadas & ás bambua-	*xis colophonem addunt. Natu-*

das ſe deſpacham, & concluem as pendencias. Sam naturalmente muy ſogeytos à rezam & à juſtiça; & aſſim em qualquer briga escaſſamente ceſſáram de jugar os bambús, quando logo tomam juizes louvados, ou o Senhor da terra; & dam as partes ſuas rezoens verbalmente, ſem as papeladas de noſſos autos (que ordinariamente ſam hum pego immenſo de trapaſſas) & ouvindo à ſentença, eſtam por ella, ſem mays embargos, nem replicas, nem treplicas, nem appellaçoens ou agravos, & com iſſo excuſam o eſtrondo dos rabulas forenſes, & os gaſtos das penas dos eſcrivaens.

L.II.c.30. p.177.a. Esquecido da brandura, da verdade, & da piedade Chriſtam, a qual cuſtuma ſer quaſi natural em muytos Abexins.

raliter dediti ſunt æquitati &
juſtitiæ; ceſſantibus verberibus 5
confeſtim arbitros aſſumunt:
aut dominum loci adeunt, cau-
ſamq; ſuam verbaliter propo-
nunt, ſine ambagibus charta-
ceorum actorum noſtrorum,
(quæ plerumque ingens onus
laborum ſunt,) & audientes 6
ſententiam, illi acquieſcunt ſi-
ne ulteriori tergiverſatione;
adeoq; nec replicis, nec triplicis,
nec appellationibus aut grava-
minibus utuntur; atque hoc
modo evitant ſtrepitum rabu-
larum forenſium, ſimulque ex-
penſas pro labore ſcribarum.
Et cum in *Adamas-ſaghedum*
Regem invehitur, ait: *oblitum* 7
illum fuiſſe, lenitatis, veritatis
& pietatis Chriſtianæ, quæ
multis Habeſſinorum quaſi na-
turalis eſſe ſoleret.

L.IV.c.4. Sed cæteris omnibus præfert *Enareenſes, vel ipſis Habeſſinis id* 8
p.315. *fatentibus*[g]; *eos enim & corporis & animi dotibus: nec minus*
armis & fide reliquos antecellere prædicat. Egregias ſanè 9
hoc teſtimonium laudes continet, gentis alioquin parùm ex-
cultæ. Si verò cultura acceſſerit, certum eſt, Habeſſinos præ 10
reliquis Africæ populis præſtantiâ intellectus excellere; idq;
in toto Oriente notum. Quocirca *ſervi hujus nationis* plu- 11
ris veneunt & æſtimantur, quàm aliarum gentium manci-
pia.(98) Hanc ob cauſam quidam literatorum conjecerunt 12
Regem Habeſſinorum *Preſter Jan* appellatum, quod Perſis
پرستار خان *Preſtar-Chan* ſignificaret ſervorum (ſc. *optimo-*
rum) Principem.[h] Bello, vel aliàs à prædonibus capti, & 13
Mu-

g) Sic enim ait: *A gente parece, que he a melhor de toda Ethiopia, confeſſado pelos meſmos Abexins, ſam bem apeſſoadas, as feyçoens nada de Cafres &c. ſam homens de ſua palavra, & que tratam verdade, ſem os enredos, mentiras & fingimentos dos Amarás.* Quibus verbis Amharenſibus gravem dicam ſcribit, ſed unius vel alterius vitium non toti nationi imputandum.

h) Jac. Golius allegante Blancardo in notis ad Curtium. L.IV. c. 8. p 319.

Muhammedanis venditi, ſi non ſatis in religione Chriſtianâ
confirmati fuerint, ad Islamismum facilè ſeducuntur; quia
circumciſio ab illis, utpote jam circumciſis, non exigitur:
14 deinceps, quamvis exteri, & ære emti, ad ducatus & præfe-
15 ćturas evehuntur, ſuperq; cives & ingenuos exſurgunt. *Cu-
pidiſſimi* verò ſunt doctrinæ, nec non ſtudioſisſimi *bonarum*
16 *artium*, & *ſcientiarum.* Neque alia major fuit cauſa favoris,
quo Patres Societatis ſub initium hujus ſeculi in Habesſiniâ
floruerunt, quàm quòd omnis generis artes callerent, ac ob
17 id Regi & Primoribus gentis admirationi eſſent. Omnes e-
nim peregrinos Chriſtianos artibus variis imbutos colunt at-
18 que diligunt. Narravit mihi *Gregorius*, cùm Patriarcha Lu-
ſitanus multos & pulchros libros attuliſſet, aliquos procerum
& inter eos አዛዥ:ጢኖ: *Tinum*, Conſiliarium Regium, veluti
ſuſpirando dixiſſe: *O felicem, qui hos libros omnes intelligere*
19 *poſſit*! plerosque etiam adultos, auditâ *linguæ Latinæ* præſtan-
20 tia & lato uſu, flagrantiſſimè eam addiſcere cupiviſſe. Eaque
intima mihi videbatur cauſa, quod *Gregorius* meus, quam-
vis ætate provectior, iter ad me *in Germaniam* ſuſcepiſſet:
quòdque *Acalexus* juvenis Habeſſinus eum mox ſecutus
eſſet; quamvis in Germaniâ non intellectus, (quia Ehrfahrt
21 pro Erfurt pronunciaverat,) me fruſtra quæſiverit.(99) Non
ergò ſolertiâ, nec ingenio, ſed occaſione diſcendi & auxiliis de-
ſtituuntur. Nam ipſi *longinqua itinera* non ſuſcipiunt: no-
ſtrates autem impedit *difficillimus ingreſſus:* & *iter* tam mari
22 quàm terrâ *periculoſiſſimum:* adhæc *Turcarum invidia*, cum
maximâ *avaritiâ* conjuncta, prohibet, quo minùs artes no-
ſtras tam belli quam pacis, in perniciem illorum, aliorumque
23 Muhammedanorum, inferre poſſimus: crebra denique *bel-
la inteſtina*, & cum Gallanis perpetua *externa*, optimates de
pacis artibus cogitare non ſinunt.

24 Verùm enim verò ut in tantâ hominum diverſitate non
omnibus iidem mores eſſe poſſunt; *nihil enim tam bonum in
hoc univerſo natura genuit, quod non mali quippiam admix-
25 tum habeat:* ita Tellezius *Tigrenſibus* gravem impingit no- L.I.c.15.
tam; *eos* enim *mobiles ingenio & Punicæ fidei, inconſtantes at-* p.40.
26 *que perjuros, nec non crudeles & vindictæ cupidisſimos eſſe*,
ait, *ita ut inimicitiæ in familiis etiam apud poſteros durent.*
27 Godignus ſimilia tradidit: *Nullam*, inquiens, *in totâ Æthio-* L.I.c.4.
piâ gentem vivendi ratione, & moribus pejorem eſſe. p.14.

Sic-

Sicuti autem animi bonitate & ingenii præſtantiâ com- 28
muniter ferè pollent Habeſſini: ita etiam *corporis formâ*, *&*
oris lineamentis alios Æthiopes, turgentibus labris & repan-
p.39.a. do naſo deformes, longè ſuperant; nam, ut idem *Tellezius* 29
tradit:

Geralmente falando, ſam os Abexins bem apesſoados, de boa altura, & feiçoens, narizes afilados, beyços delgados; de ſorte que ſe a gente de Europa os vence nas cores, no mays pouco lhe devem os Abexins. As cores ordinarias ſam preta, baça, azeytonada, & he a que elles mays eſtimam; outros ſayem vermelhos, alguns ſam brancos, mas he hum branco exangue, & ſem nenhuna graça.

Habeſſini *formâ corporis egre-*
giâ præditi ſunt, juſta proceri-
tate, vultu liberali, tenui naſo,
(h.e. non ſimo) *labiisq; minimè*
tumidis, adeo ut à noſtratibus 30
colore quidem vincantur, in
reliquis verò iſtis parùm ce-
dant. Color illis eſt ut pluri- 31
mum niger, fuſcus vel muſtel-
linus, quem illi maximi faci-
unt; nonnulli etiam rubicundi
ſunt: pauci albicantes: vel po-
tius pallidi & exſangues; in-
gratâ prorſus albedine.

Cæterum albos quoſdam homines alibi inter Æthiopes 32
dari, verùm cadaveroſa & quaſi leproſa facie, alii etiam au-
tores teſtantur, ſed morbo quodam id contingere ſcribunt;
quamobrem halitum illorum & contactum, veluti contagio-
ſum, alios Æthiopes fugere.[i] Quin & in Guineæ mediterra- 33
neis gentem integram talium alborum Æthiopum dari, at-
Plin.V,8. que hos ipſos eſſe *Leucæthiopas*, id eſt, *albos Æthiopici gene-*
ris homines, quorum veteres ſcriptores meminêre.(100) In- 34
terim *nigredinem* ſuam apprimè amant Æthiopes, & albori
præferunt; neque Gregorius ſe vinci patiebatur hoc argu-
mento, quòd infantes noſtri viſo Æthiope terrerentur, aje-
bat enim: *ſuos infantes* albos homines etiam fugere & formi-
dare. Non atri, ſed valdè rubicundi naſcuntur, citò autem
Ioh. d'Eſpagne. nigreſcunt. Sunt qui ſcribant: *Diabolum ab Æthiopibus al-* 35
bum pingi, quaſi colore ſuo eum non dignum judicarent.
1,5,15. Porro *robore corporis* inſigni pollent. Ob aëris enim 36
egregiam temperiem vivaces, & laborum mirè patientes
ſunt: nec in tranſcendendis rupibus ſuis facilè laſſantur: ple- 37
rosque

i) Clariſſ. Iſa. Voſſ. de Nili & al. fl. orig. c. 19. cenſet: *albos iſtos Æthiopes verè eſſe leproſos, & iſtam coloris diſcrepantiam à morbo induci.* Sed, *(quod pace illius Viri dixerim)* non duraturam puto nationem tali morbo infectam: nec in ſatellitium ſuum adſciſceret Rex Lovangi verè leproſos.

rosque decrepita ſenectus disſolvit, niſi qui ferro aut beſtiis
interiere, ut *Saluſtius* de ſui temporis Afris ſcribit. *Macrobios* in Bello Iug.
i. e. *Longævos* in parte quâdam Habeſſiniæ olim habitaſſe c. 17.
crediderim; hanc enim gentem ultra Meroën coluiſſe, vete-
38 res tradunt.[k] *Fœminis* idem robur: haud difficulter pariunt,
ut ferè omnes mulieres calidiorum regionum. Parturientes
in genua procumbunt,[l] atque ita infantes enituntur, rarò ad-
39 hibitâ obſtetrice.(101) Non infœcundas eas eſſe, ex multitudi-
ne hominum colligas; quamvis enim Habesſinia habitatori-
40 bus non nimiùm frequens cenſeatur; Patriarcha tamen La-
tinus Alphonſus Mendez confirmationem ſacram peragens,
in exiguâ regione *quadraginta millia*: alibi *centum millia* nu- B.T.L.V.
meravit; atque ibidem alii Patres *mille ducentos & quinque* c.8.p.431.
41 baptizaverunt. Nec dubitandum eſt, ſi Regnum pacatum:
ſi urbes & oppida munita eſſent, & annonæ ratio haberetur,
quin numerus incolarum in tam ſalubri regione brevi tem-
pore augeri valdè poſſet.

42 Præter Habeſſinici generis homines variæ aliæ nationes
hoc regnum incolunt, videlicet *Judæi*, *Muhammedani*, &
43 *gentiles* plurimi, cæteris permixti. *Judæi* multas & amplas
regiones olim tenuêre; *Dembeam* ferè totam: nec non *We-
garam*, atque *Samenam*, cujus rupibus diu ſe fortiter defen-
derunt, donec à Susneo inde pellerentur. Olim ſuo jure in
illis regionibus vivebant; inde fortasſis nata fabula, ſupra à 1,8,115.
nobis relata, quaſi in Presbyteri Johannis ditione, vel prope
eam, ſub Rege quodam Judæo rerum adhuc potirentur.
44 Nunc autem ſparſi habitant; multique in Dembea ſuperſunt,
qui texendis veſtibus, & fabrili opere, quod optimè callent,
45 vitam tolerant. Alii extra regni fines occidentem verſus in-
ter ipſos *Cafros* juxta Nilum ſe receperunt, qui Æthiopibus
46 ፈላሲያን፡ *Falasjan*, *exules* dicuntur. Plerique ſuas *ſynagogas*,
ſuaque *Biblia Hebraica* adhuc habent, ac *dialecto Talmudi-*
47 *ca* corrupta inter ſe utuntur. Non curæ fuit Patribus Socie-
tatis perſcrutari, quando, vel qua occaſione Judæi iſti pri-
mùm in Æthiopiam venerint? Karræorumné vel aliorum

I Ju-

k) Solin. in Polyhiſt. c. 43. al. 30. ex Pomponio Melâ. Nec deſcriptio eorum abhorret; ait enim: *Hi Macrobii juſtitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore, præcipua decent pulchritudine.* Sed mox veterem fabulam de ἡλίυ τραπέζῃ, *Solis menſâ* admiſcet, quam Herodotus pluribus exponit Lib. III. ubi de Legatione Cambyſis ad Macrobiorum Regem agit. Inde originem habet noſtrum Schleyer-Affen-(q. d. calanticatarum ſimiarum) Land/ Gall. Païs de Coucagne, Kuchen-Land.

l) Sic etiam mulieres Hebræorum, De nuru Eli ſummi Sacerdotis 1. Sam. 4. 19. dicitur: ותכרע ותלד *& in genua ſe demiſit & peperit.* Vide Comm.

Judæorum ſectæ ſint addicti? quibus codicibus ſacris, cum 48
vel ſine punctis vocalibus utantur? librósne alios, præſertim
hiſtoricos, vel ſaltem traditiones de ſuâ Habesſinorúmve
gente habeant? quod noſcere, multis eruditorum procul du-
bio pergratum futurum fuiſſet; quia non abſimile vero, il- 49
los antiquos posſidere libros, cùm diu ſecurè in tam munitis
locis incolatum egerint.

Poſt hos *Muhammedani* liberè in hoc regno verſan- 50
tur, Chriſtianis pasſim immixti, vel agros colendo: vel mer-
caturam exercendo, quæ ferè tota in manu illorum eſt; quia
liberum per Turcas & Arabes tranſitum, & in mari rubro tu-
tum appulſum habent, auro Habesſinico merces Indicas per-
mutantes.

Adhæc dantur barbari populi plurimi, ſine Deo, ſine 51
Rege & lege, in arenoſis atque deſertis locis palantes: moribus
linguisque diverſi: nullas certas ſedes, niſi quas nox cogit,
habentes: *feri: nudi*, ſimâ quoque nare & turgidis labris de- 52
formes: *agriophagi: imò pamphagi*;[m] dracones enim, elephan-
tos & quicquid occurrit, mandunt, ſordidisſimi ac vilisſimi
1, 2, 16. mortalium: ሻንቅላ: Gregorius vocavit; eosque mihi, ut *Pli-* 53
L. V, c. 8. *nius* Troglodytas, deſcripſit. *Nam ſpecus excavant, quæ illis
domus ſunt, victus ſerpentum carnes, ſtridorque non vox.*
(102) Luſitani id genus hominum *Cafros* vocare ſolent, voca- 54
bulo ab Arabibus mutuato, qui كافر *Cafir*, in plurali كافرون
Cafiruna infideles ſeu incredulos vocant omnes eos, qui 55
unum Deum negant. Sunt & alii pagani ſua propria no-
mina & regiones habentes, veluti *Agawi*, in tumuloſis Go- 56
1, 16, 10. jamæ locis: *Gongæ, Gafates*; imò ipſi *Gallani*, infenſiſſimi
aliàs Habeſſinorum hoſtes; quibus, ſeditione ſuorum pulſis,
1, 16, 50. Rex certos agros in *Gojama* ut & in *Dembea* dedit, in uſum
belli contra alios Gallanos, à quibus defecerunt.

m) Multi enim barbari ab uſu ciborum cognominantur, ut *Anthropophagi, Ichthyophagi, Struthophagi, Lotophagi, &c.* Solin. in Polyhiſt. c. 30. al. 43. Plin. L. VI. c. 30.

CAP. XV.

De variis Linguis in Æthiopiâ uſitatis, & in ſpecie de noſtrâ Æthiopicâ, ſuperiori ſeculo per errorem Chaldaica dicta.

2. Antiquitas *linguæ Æthiopicæ.* 3. Ejus variæ appellationes. 4. *Tigrenſium vernacula olim* fuit. 5. Eâ omnes libri exarati ſunt. 6. *Lingua Tegiana* quænam ſit? 9. *Joh. Potken Germanus* Æthiopicam *primus* in Europâ vulgavit, 10. *Chaldaicam*

cam malè vocans. 11. *Arabicæ* affinior eſt. 12. Ejus *uſus in Hebraicis*. 15. Exemplo eſt vox ארמית & 17. אדם Adam, non à rubedine terræ ſic dictus. 21. Quæ nunc ſit *Habeſſinorum vernacula*. 26. Differt ab Æthiopica, 29. quæ multo nobilior. 30. *E libris & uſu* addiſcitur; 31. quia nec *Grammaticam*, nec *Lexicon* habent. 36. Pauci ejus periti. 37. *Pronunciatio* difficilis. 40. *Dialectorum* multitudo. 43. *Differentia* linguarum ex ore Gregorii. 51. *Octo* linguæ principales. 52. Exemplum nonnullarum. 53. *Gallanicæ* linguæ ſpecimen. 60. *Græcam* non intelligunt. 61. Fruſtra *numerus linguarum* Orbis definitur. 62. Solius Africæ ferè innumeræ ſunt.

1 INter tot tamque diverſas gentes magnam ſermonis varie-
2 tatem dari, quilibet facilè intelligit. Nobiliſſima & antiquiſſima hujus Regni lingua eſt noſtra Æthiopica, ut ab eruditis communiter vocatur; cujus Lexicon atque Grammati-
3 cam in Angliâ pridem edidimus. Habeſſini illam ልሳን: ኢትዮጵያ: *Leſana-Itjopja Linguam Æthiopiæ*, vel ልሳን: ግዕዝ: *Leſana Gheez*, & ſimpliciter ግዕዝ: *Gheez*, hoc eſt, (linguam Regni) *Gheez*: vel ſi mavis *ſtudii* (quia utrumque ſignificat) nominant: item ልሳን: መጻሕፍ: *linguam librorum*; quia ſola in ſcribendi uſu eſt: vel quia ſine ſtudio & lectione librorum *Londini A.1661.* *1,1,4.*
4 non addiſcitur. *Tigrenſium olim vernacula* fuit, cum Reges *Axumam* Tigræ metropolim inhabitarent; ideoque, veluti
5 totius Regni & aulæ palmaria, primùm ſcribi cœpta. Illâ omnes omnino libri tam ſacri quam profani, in oratione ſolutâ & ligatâ, exarati fuerunt, & etiamnum exarantur: (103) in
6 eam tota Scriptura ſacra pridem tranſlata fuit. Quòd verò *3,4,2.*
aliqui ſcripſerunt, Habeſſinos legere ſcripturam ſacram linguâ *Tegiana*:[n] id mendoſum eſt pro *Tegrana* ſeu *Tigrenſi* lin-
7 guâ, atque de Æthiopicâ noſtrâ accipiendum. Quamvis enim poſt relictam à Regibus Axumam dialectus hujus regionis valde mutata fuerit, adhuc tamen proximè ad veterem
8 linguam, (quam Æthiopicam nunc vocari, modò diximus) accedit, ut etiam Habeſſini ipſi, ſi vocabulum quodpiam dubium in hâc occurrat, Tigrenſes de ſignificatione ejus conſulant.

9 Primus *Johannes* Potken *Germanus Colonienſis*, jam ſenex & canus, eam in Europâ vulgavit, & *typographiam Æthiopicam* elegantem *Romæ* conflando, primos Æthiopicos libellos, *Pſalterium* nimirum cum *hymnis veteris Teſtamenti & Cantico Canticorum* ibi edidit; deceptus in eo, quòd crediderit malè ſanis nonnullis Habeſſinis, aſſerentibus linguam ſuam Chaldaicam, & characteres Æthiopicos Chal- *1. 1.12.*

I 2 daicos

n) *Walton. in Proleg. in Bibl. c.15. ex Alvarezio*; nam *r* ut *i* ſcriptum ſine puncto, ut Itali ſolent, lectores decepit.

daicos[o] esse.(104) Causam tam crassi erroris investigare non
potui: neque etiam Gregorius in patriâ suâ id unquam audi-
verat. Forte ob linguæ similitudinem id factum; quamvis
cum Chaldaicâ non magis quàm cum Hebraicâ aut Syriacâ
conveniat. Arabicæ enim maximè cognata, ac ejus velut 11
propago est: iisdemque penè regulis grammaticalibus com-
prehenditur: eædem ferè conjugationum sunt formę: eadem
pluralium sanorum & fractorum ratio; ut qui illam, vel cæ-
teras orientales calleat, hanc nostram nullo negotio addisce-
scere possit.(105) Nec utilis tantummodò est cognoscendis 12
intelligendisque Habessinorum libris atque rebus, sed & re-
liquis Orientalibus linguis illustrandis; imprimis *Hebraicæ*,
cujus exigua particula in Bibliis superest; ut multarum vo- 13
cum genuinæ significationes ex dialectis cognatis petendæ
fuerint. Multa sacri textus loca lucem hinc fœnerantur; ut 14
exemplis in commentario nostro demonstrabitur.(106) V-
num tantum maximè insigne hîc dabimus. Elegantissimum 15
atque amœnissimum Dei O.M. opificium, quod complexu
suo omnia fovet, *Mundum* Latini dixêre; imitatione scilicet
Græcorum, qui κόσμον vocaverunt, non à se, sed à Phænicibus
reperta appellatione[p]; quibus mundus, & specialiter terra
אֲדָמָה *Adamah formosa* dicta fuit. Scio à rubedine vulgò 16
derivari[q], quia radix Hebraica אדם *Adam rubere* significat.
(107) Sed quantula terræ particula uspiam rubet? ut insipi-
dum planè sit etymologiam tam vasti corporis inde petere.
Quin & ipse Protoplastus, communis omnium nostrûm pa- 17
rens, suum nomen אדם *Adam* non à rubedine terræ, ut vulgò
putatur, sed à perfectâ & absolutâ elegantiâ, ceu opus Crea-
toris consummatissimum accepit.[r] Ista enim significatio, 18
quæ Lexicographos reliquarum Orientalium linguarum
hucusque latuit, Æthiopibus notissima est; quibus አደመ:
Adama, *jucundum, elegans, amœnum esse* significat: nec Æ-
thio-

o) Ambrosius Theseus, illi coætaneus Introduct. in lingg. Orient. eum propterea blande objurgavit; nam *senis & amici hominis*, ut ait, *miseratus*, dixit: *Domine Joannes, præstantia tua, ut mihi videtur, plurimum in hac re fallitur.* Ipse verò Theseus Habessinos strenuè Indos & linguam eorum Indicam vocat, errore paulò tolerabiliore.

p) Nam Græci & literas & multa alia à Phœnicibus habuêre, ut Bochartus & alii fusè docent.

q) Sic Lexicographi plerique. Buxtorff in Lex. אדמה *terram*, significare ait, *rubri sive argillacei coloris.* Schindler sic dictam dicit, quòd intacta & vera terra rubeat, & אדם *homo ex terra rubra formatus sit.* Quæ vana sunt & gratis dicuntur; nec Kimchi in Libro radicum hanc derivationis rationem affert.

Gen. 3, 19. r) Post lapsum verò, amissâ primitivâ elegantiâ suâ commonefactus fuit mortalitatis suæ, allusione ad vocem *terra*, è qua factus erat.

thiopes አዳም፡*Adami* nomen aliter quam de *Formoſo* acci-
19 piunt. Et *Adamah* urbs antequam cum Sodomâ & Go- *Gen.* 10.19.
morrâ everteretur, in regione Jordanis ſemper irriguâ (quæ *Deut.* 29.22
horto Domini[s], id eſt, excellentiſſimo, comparatur,) ſita, ab *Gen.* 13,10.
amœnitate procul dubio dicta fuit.

20 Cæterum relictâ Axumâ, translatoque in meditullium Regni imperio, lingua hæc noſtra in uſu vulgari eſſe deſiit.
21 Etenim familiâ *Zagæa* deficiente, cùm alius Rex ex *Sewa*, ubi 2,6,1.
ferè Amharicè loquuntur, peteretur: nonnulli etiam ex rupe
Amharæ ab exilio in Regnum adſciſcerentur, *Amharica* 2,8,24.
22 *dialectus* in uſum venit. Nam novus Rex, linguæ Tigrenſis rudis, aſſumtis familiaribus, qui eodem ſecum ſermone utebantur, vernaculam ſuam in aulam & caſtra invexit; quæ diu ibi & in vicinis oris locata, rarò in Tigram movebantur.
23 Eum ſecuti ſunt cæteri proceres atque magnates; ut mos eſt
24 aulicis, Regis moris imitari, ejusque dialecto uti. Sic Amharica lingua (aliàs etiam ልሳነ፡ንጉሥ፡*Lingua Regis* dicta) cum aulâ & caſtris per univerſum Regnum, ceu Regia circumlata, brevi omnibus aliis dialectis, ipſique antiquæ & nobili noſtræ Æthiopicæ in communi loquendi uſu[t] præva-
25 luit; tandemque præcipuis Habeſſinorum tam familiaris facta eſt, ut ejus ope univerſæ provinciæ, quamvis nativo ſer-
26 mone diverſiſſimæ, peragrari poſſint. *Differt ab Æthiopica*, cùm conſtructione, tùm Grammaticâ, ut unius peritus, al-
27 teram non intelligat. Facilè tamen, qui unam callet, alteram addiſcit; quia ultra linguæ dimidium, ut mihi videtur,
28 vocabula utrique communia dantur. Ægrè adduci poterat *Gregorius*, ut mihi Orationem Dominicam, & textum aliquem Biblicum in Amharicam linguam transferret; quia ſcriptu valde difficilis eſt. Septem enim peculiares characte- 4,1,21.
29 res habet in Æthiopicâ linguâ inuſitatos.(108) Manſit tamen *Æthiopicæ* ſua *dignitas* non tantum in libris, ut diximus, ſed & in cultu ſacro publico: nec non in diplomatibus & literis Regiis, quæ in conſiſtorio illius expediuntur.

30 Literati igitur & docti in Æthiopiâ cenſentur illi, qui eam ſcribere & intelligere poſſunt; ſed è libris & longo uſu diſcenda eſt, doctrinâ magiſtrorum, qui rariores ibi ſunt.
31 Nulla enim illis Grammatica, Lexicon nullum; quæ apud

I 3 nos

s) גן־יהוה textus: *Paradiſum Domini*, Verſio vulgata habet.
t) *Amharicè loqui* አምሐርኛ፡Amharsñâ *Habeſſini dicunt*: *Æthiopicè* verò መጽሐፍኛ፡ Metzhafsña. q. d. Libricè, vel ſecundùm libros.

nos non ſine admiratione contemplabatur Gregorius. Ini- 32
tiò impenſè mirabatur quid vellem, cùm vocabuli cujusdam
Æthiopici radicem, pro conſtruendo Lexico meo, ex illo
quærerem; quaſi indignabundus interrogans: *num puta-* 33
rem verba in ſolo Æthiopico radices agere? Poſtea, cognito
hujus rei ſcopo & uſu, exclamabat: አትምህርት፡ ኤውሮፓ፡ *ô do-*
ctrinam Europæ! Vocabulario contenti ſunt, in quo ſecun- 34
dùm claſſes rerum vocabula Æthiopica Amharicè exponun-
tur: ሰዋሰው: *Scalam* vocant; Arabum imitatione, qui ejus-
modi libellum السلم الكبير *ſcalam magnam* [u] appellare ſo-
lent.(109) Imperitiores in eo quærunt voces, quas fortè Æ- 35
thiopicè non intelligunt. Pauciſſimi verò in ipsâ Æthiopiâ 36
Æthiopicè loqui poſſunt. Ipſe *Gregorius* mei causâ ad lo-
quendum inducebatur; & primò multa Amharicè immiſce-
bat, (quod & in ſcriptis indoctiorum contingere animad-
verti) priusquam puræ linguæ Æthiopicæ ſueſceret. Vtra- 37
que, ſed maximè Amharica, pronunciatu eſt difficillima; ſe-
ptem enim literæ in utraque occurrunt, veluti ቀ:k ቸ:*t* ጀ:*d*
ጠ:*t* ጨ:*c* ጰ:*p* ጸ:*tz* valore, ſi *d* excipias, omnibus Europæis
prorſus ignoto, quibus ad multas voces obmuteſcendum
L.V.in pr. planè eſt; ut facile *Plinio* credam ſcribenti: *populorum Africæ* 38
oppidorumque nomina, præterquam ipſorum linguis, vel ma-
ximè eſſe ineffabilia. Adhæc vocalium ſonus tam inſuavis 39
& horridus eſt, ut audientem ferè terreat. ſcilicet vox colori
Æthiopum obſcuro pulchrè reſpondet.

At multò maxima in reliquis regnis atque regionibus 40
L.I.c.15. linguarum eſt varietas. *Tellezius* diſertè ſcribit: *tot linguas*
p.39.a. *eſſe, quot regna. Imo in uno eodemque regno tam differentes*
dialectos dari, ac habitatores. In Gojama, ait, *pagos reperiri* 41
haud procul inter ſe diſſitos, Damotenſium, Gafatarum, She-
worum, Setorum, Shatorum, præter Agawos, Gongas atque
indigenas, quorum dialecti æque inter ſe differant ac Luſita-
nica ab Italicâ & Gallicâ linguâ. Nobiles tamen & peritio- 42
res omnes, ut in Europa Latinè, ita in tota Habeſſinia Amha-
ricè ſcire. A *Gregorio* ſequentia habeo, è quibus differentia 43
linguarum melius cognoſci poterit.

Tigrenſis cum Æthiopicâ noſtrâ maximè convenit, mi-
nimam inter omnes corruptionem paſſa.

Ad *Amharicam* linguam proximè accedunt finitima 44
Am-

u) Talis eſt *Scala Magna Copto-Arabica* quam P. Athanaſius *Kircherus* Romæ edidit.

45 Amharæ regna, diſſimilibus tamen inter ſe dialectis; nam *Bagemdra* peculiarem: Angota, Iſata, Gojama & Shεwa communem inter ſe habent dialectum.

46 *Gafata* plurimas quidem voces Amharicas uſurpat, ſed dialecto tam difficili, ut ſine longo uſu non intelligatur.

47 *Dembea* ſermone utitur ab Æthiopico & Amharico prorſus diverſo.

48 *Gonga* quidem communem cum *Enarea* linguam habet, ſed à cæteris Æthiopiæ linguis alienam.

49 *Hadienſes* ſeu incolæ regni *Cambat: Gallani, Agawi,*
50 *Shankalæ* ſinguli ſuas proprias linguas habent. Sic *octo* & amplius *linguæ principales* in regno hoc reperiuntur, & plu-
51 rimæ dialecti. *Æthiopicæ, Amharicæ* & *Gafaticæ* linguæ 1,10,6a.
differentia ex Rhythmo de Galeopitheculo quodammodo
52 cognoſci potuit. Nunc aliud exemplum proponemus:

Dominus eſt

Æthiopicè.	*Amharicè.*	*Tigricè.*	*Dembicè.*	*Gonghicè v. Enaricè.*
እግዚእ:	አቤት:	ኀዳሪ:	ይጉያ:	ዶንዞ:
Egzi-ε.	*Abêt.*	*Hadari.*	*Jεg-ja.*	*Donzo.*

53 Ex Gallanorum linguâ pauca quædam vocabula Gregorius mihi reliquit, ex quibus differentiam ab Æthiopicis & Amharicis intelligere poteris.

	Æthiopicè.	*Amharicè.*	*Gallanicè.*	*Latinè.*
54	ሰማይ:	Idem.	ዋቅ:	Cœlum.
	መብረቅ:	Idem.	ዱጋሌ:	Fulmen.
	እሳት:	Idem.	ኢቢዳ:	Ignis.
	አምጽእ:እሳተ:	አንጻ:እሳት:	ኢቢዳ:ፋዱ:	Ignem affer.
55	ማይ:	ውኃ:	ቢሻን: x	Aqua.
	ፈረስ:	Idem.	ፈረዳ:	Equus.
	ከልብ:	ውሻ:	ሰረቴ:	Canis.
56	ሆባይ:	ዝንጀሮ:	ተልዴሻ:	Simia major
	ሐሊብ:	ወተት:	አዛን:	Lac.
	ንጉሥ:	Idem.	ንቍሥ:	Rex.
57	አንስት:	ሴቶች:	ፋጡ:	Fœmina.
	እኁየ:	ወንድሜ:	ኦቦሌሻ:	Frater meus.
	አኅትየ:	ኅቴ:	ኦቦሌቲ:	Soror mea.
	ኅብስት:	ዳቦ:	ቡዴና:	Panis.

58 Nihil dicemus nunc de exteris, veluti *Muhammedanis*, per totum regnum ſparſis; qui, uti ferè Arabes natione ſunt: ita ſuâ utuntur linguâ vernaculâ, quæ in aulâ Regiâ, & inter mer-

x) Bishân. Sed lege ac ſi Polonicè ſcriptum eſſet per ṡ Biṡan.

mercatores ſatis nota eſt; ut qui eam calleat, negotia ſua ubi-
1,14,42. vis gerere poſſit. *Judæi*, quos in regno hoc dari diximus, 59
linguam ſuam *Talmudicam* corruptam cum vernaculis
regionum, quas incolunt, multò reddunt corruptiorem.
Græcorum linguam Habesſini nunc prorſus ignorant; nam 60
4,1,1. vocabula Græca in libros eorum ſacros cum religione inve-
cta fuerunt, nec ab illis rectè intelliguntur. (110)

Dum hanc linguarum varietatem mecum reputo, mi- 61
rari ſatis non poſſum vanitatem eorum, qui certum totius
Orbis linguarum numerum definire audent; [y] cum nondum
omnes totius Orbis nationes cognitæ ſint. (111) Etenim, ſi 62
verum eſt, quòd ex diverſis nautis intellexi, in Africæ littori-
bus quindecim vel viginti milliarium Germanicorum inter-
vallo linguas mutari, eam ſolam, tanta quanta eſt, plures lin-
guas, quàm cæteras Orbis partes, continere oportet, ob in-
numeras nationes, quas in viſceribus ſuis fovet.

CAP. XVI.

De vicinis gentibus, privatim de Gallanorum[z] natione.

2. *Adelenſes* Habeſſiniam ferè peſſumdederunt. 6. Portus maris *Turcæ* occupaverunt. 10. *Gallani* formidoloſiores. 13. De eorum origine relatio Gregorii. 16. Alia Tellezii. 17. Vtriusque conciliatio. 18. Illorum inſtituta. 19. *Polygamia* inter illos licita. 20. Incitamenta ad *audaciam*. 21. Cæſi hoſtis *indicium turpe*. 25. Illorum *arma*. 30. *Pecuarii* ſunt; 31. *carne crudâ*, 32. & *lacte* victitant. 33. Gens terribilis: 36. inquies: 37. *Hipparcho* ad tempus parent. 38. *Cœlum* pro *Deo* habent. 39. *Circumciſione* utuntur. 40. *Dociles* tamen ſunt 42. ad inſtitutionem Chriſtianæ Religionis. 43. *Regna* ab illis *occupata*. 46. In *duas nationes* dividuntur. 50. Eorum discordiâ *Negus* utitur. 52. Regni *Zendero* deſcriptio. 55. *Incantatores* חברים ibi adhuc dantur. 56. *Cruenta* Regis *electio*, 57. qui ſimiæ aſſimilatur. 64. Regnum *Alaba*: 66. & reliqui circumcirca vicini.

HActenus de populis hodie vel olim Regibus Habesſino- 1
rum ſubditis, eorumque variis linguis egimus. Nunc
de vicinis eorum dicere reſtat, quò de ſtatu & conditione hu-
jus Regni eò meliùs judicare posſis. Atrocisſimum bellum, 2
Graino[a] Adelenſium Duce ſuperiori ſeculo cum Habesſinis
geſtum,

L. l. Strom. y) *Clemens Alexandrinus* LXX. Linguarum genera eſſe credidit. *Euphorus* apud eundem
L.VI. c. 5. LXXV. ex futili ratione. Incredibilem rem narrat Plinius: *in urbem Colchorum Dioſcuriadem, cùm floreret, Timoſthene referente, CCC. nationes diſſimilium linguarum deſcendiſſe.* Poſtea verò à Romanis CXXX. Interpretibus negotia ibi geſta. Sed fa-
1.3.4. cilia in numeris apud autores ſunt ſphalmata, ut ſupra monuimus.

z) ጋላ: *Galla* collectivè Habeſſinis vocantur. Nos Gallani dicere maluimus; ne ſi de immitibus Gallis: vel Gallarum feritate loqui nos oporteret, cultiſſimæ nationi, & fœminis manſuetiſſimis injuriam facere videremur.

a) ግራኝ: in Epilogo Evangel. Johannis extat. Sed ግራኝ: Amharicè ſcribendum quod Gallis legitur *Gragne*, ut apud Nicol. Godign. L.I. cap.4. Luſit. *Granhe*. B.T. L.II. c. 8. & ſeqq.

geſtum, res eorum adeò afflixit, ut ex illo tempore nunquam
3 vires ſuas conſtabilire potuerint. Occaſionem inde nacti
ſunt tam Turcæ, quàm Gallani, invadendi, atque bellis & la-
4 trociniis Habesſinos pasſim vexandi. Et primùm *Turcæ*,
occupata pridem Ægypto, cæſoque Mammaluccorum Re-
ge, [112] claſſem in mare Erythræum miſerunt, tutandæ In-
dicæ navigationi, quæ maxima Ægypto emolumenta affe-
5 rebat; quia *Luſitani*, ut ſoli commerciorum Indicorum po-
tirentur, quaſcunque poterant naves Saracenorum, odium
6 ſectæ prætexentes, diripiebant. Igitur Turcæ, ut omnes il-
lius maris portus præcluderent, *Suaqenam* Balloum, & *Ma-*
7 *tzuam* Habesſinorum quondam inſulas, occupaverunt; ſi-
nentibus Habesſinis, quòd, nullâ maritimarum rerum curâ,
8 ſatis haberent terreſtria tutari. Sed mox ſenſerunt, quanti
momenti ſit tam potentem vicinum habere, cum Turcæ re-
bellibus & hoſtibus Habesſinorum valida ſclopetariorum
9 auxilia mitterent. Imò adhuc crebrò ſentiunt; quia neque
homines, neque merces introrſum admittuntur, niſi id à *Baſ-*
ſis ſeu præfectis eorum precibus & præmiis ingentibus ob-
tinueris.

10 At *Gallanorum* vis & truculentia multò magis timetur;
hi enim, multis regnis & provinciis ſubactis, reliquis omni-
11 bus inhiant; ut valdè veriſimile ſit, quod *Tellezius* ſcribit, niſi *L. I. c. 24.*
vel inter ſe diſcordes facti: vel Habesſini rupibus inacceſsis *per tot.*
muniti fuiſſent, imperium iſtorum jam pridem funditus in- *1, 6, 21.*
12 teriiſſet. Res poſcere videtur, ut de illorum origine & mori-
bus, cùm ex *Tellezii*, tùm *Gregorii* mei relatione, pluribus *d. l.*
diſſeramus.

13 Quo tempore *Etana-denghel*, cognomento *David*, fu- *2, 6, 15.*
neſto illo bello cum Adelenſibus conflictabatur, peſtis illa
14 circa annum 1537. è regno *Bali* emerſit. Servi aliquam mul-
ti, (ut quidem Gregorius mihi retulit) à Matthæo nobili viro
aſperè habiti, defecerunt: &, veniâ deſperatâ, fugitivos plu-
res: dein ſceleſtisſimum quemque ſibi aggregantes, latroci-
15 nia agitaverunt, idque impunè; impares enim illis erant Ba-
lienſes: reliqui autem Habesſini, cum Adelenſibus bello im-
16 plicati, iſtos latrones ſpernebant. Tellezius peculiarem na-
tionem, & quidem eam fuiſſe ſcribit, quæ orientalem Africæ
17 oram, & loca Mari Indico propinqua olim obtinuerit. For-
taſsis ſervi illi, quorum Gregorius meminit, vicinæ iſtius na-

tionis fuerunt, & popularibus ſuis, ad quos (ut puto) confu-
gerant, Habeſſiniam ejusque regiones, ſibi jam notas, pro-
diderunt.

Cæterum Gallani ſucceſſu prædisque læti, & numero 18
magis magisque aucti, ſubactâ Baliâ, vicina quoque Regna
populabantur. Cùm verò ſatis viderent, *vi parta, vi eſſe de-
fendenda*, leges inter ſe fecerunt augendæ deteſtabili ſuæ gen-
ti, & ferociæ conſervandæ utiles. Non quidem *matrimo-* 19
Plin.V.8. *niorum* exſortes ſunt, ut Garamantes: nec paſſim cum fœmi-
nis degunt; uxores tamen, quot quis ducere velit, licitum.
Juvenibus *comam præſcindere* non permiſſum, priusquam
vel hoſtem in bello, vel ſævam aliquam feram occiderint:
maximo ad audaciam incitamento; ut hoc velut conſpicuo
ſigno ignavi à fortibus discernerentur. In *conviviis delica-* 20
tiſſima offa in medio ponitur, ut qui illam ceperit, primus
in pericula eat. Nec diu dubitatur. quilibet honorem iſtum
ſibi præripere parat, ambitione virtutem ſtimulante. Ad- 21
hæc neceſſum eſt, *indicium cæſi hoſtis* (ሁለገቱ: Æthiopes vo-
cant) poſt pugnam afferre. Primò quidem *capita*, ceu ho-
neſtiſſimam corporis partem, attulerunt; at poſtquam de
ſexu imberbium dubitaretur, *turpiſſimam* viris amputavêre.
Res dictu fœda: numerant & cumulant exercitu coram; tan- 22
quam barbara iſta fortitudo ſine *teſtibus* eſſe non poſſet. Sed
hac ratione ſciri non poteſt, hoſtis an ſocius fuerit occiſus; id
enim ex capite ſolùm cognoſcitur. *Validiſſimum* autem in 23
præliis *incitamentum* eſt, quòd quilibet non vili mercede,
aut ſervili obedientiâ pro alienâ gloriâ, ſed ſibi ipſi dimicat,
prædâ inter omnes æqualiter divisâ. In bellum eunt, quaſi 24
pro victoriâ ſe devoviſſent; certiſſimâ deſtinatione vel vin-
cendi, vel moriendi. hinc tam pertinax pugna. Pauca illis 25
arma: haſtis atque pilis eminus certant: cominus clavis aut
ſudibus præuſtis. claro documento, *animis fortiùs, quàm
manibus pugnari*. *Scuta* faciunt ex coriis boum, aut buba- 26
lorum ſylveſtrium. Olim *pedites* ferè pugnabant: nunc ve- 27
rò frequentiùs *equites*. *Equos* enim habent, ſed minimè ge-
neroſos, neque Habeſſinicis pares. Nihilominus impetum
iſtorum Habeſſini raro ſuſtinere poſſunt, quamvis plures &
meliùs armati: nec non equitatu bene inſtructi. Quomodo 28
au-

b) Barbarus iſte mos & inter alias Africæ gentes obtinet; imo etiam apud Habesſinos, qui Gallanos hâc in re imitantur.

autem *domari* posſint, dicturi ſumus ubi ad caput de poten- 2,10,12.
tiâ Regis Habesſinorum pervenerimus.
29 Igitur ad arma nati, nihil æquè ac pacis artes averſantur;
30 opes rapere, quàm ſudore parare, beatius putant. *Panem*
apud Habesſinos repertum, libenter quidem eſſe, pinſere ta-
men non amant. Nam neque agros colunt, neque ſemen-
tem faciunt; non enim *arvo*, ſed *pecori* ſolummodò ſtudent.
31 *Armenta* in pace, armenta in bello, per fertilisſimos pabulo
campos ante ſe agunt. Eorum *carne ſine pane*, plerumque
crudâ, veſcuntur: lac verò bibunt; ſic eodem cibo potuque
32 & domi, & in caſtris vitam tolerant. Nullis ſarcinis, nedum
inſtrumento culinario graves; camellas aut calathos excipi-
33 endo lacti ſecum ferunt. Terrori plerumque ſunt tales feræ
gentes cultioribus populis, quos omnium rerum affluentia
ad bellum ſegnes, divitiæ imbelles reddunt: Illæ contra ad
invadendum promtæ: ſi invadere volueris, paupertate ſuâ
34 tutæ ſunt. Sic quondam Cimbri, Gothi, Vandali & Nor-
manni cultiora Europæ Regna: Tartari Orientales Chinam
35 [c] aliquoties invaſerunt: (114) ita Gallani, ſi forte prælio ab Ha-
besſinis vincantur, cum armentis ſuis ad interiora recedunt,
36 vaſtitatem atque ſolitudinem hoſtibus objicientes. Quies
genti ingrata, pacem nunquam, annua latrocinia ſemper
37 exercent. Octonis annis Ducem tanquam Hipparchum
aliquem creant, *Luva* dicitur, cujus imperio Phylarchi pa-
rent, ſed non niſi in bello. Primum ejus facinus eſt, cogere
plebem, & Habesſiniam irrumpere, prædæ & gloriæ paran-
dæ causâ.
38 Lingua genti peculiaris, & à cæteris Habesſiniæ dialectis
diverſa: una tamen eademque omnibus; quod externam &
39 communem illorum originem arguit. *Circumciſionem* in-
ter ſe uſurpant, ſive priſco ritu, ut multi circùm Ethnici: ſive 3,1,19.
quòd Arabes & Habesſinos idem factitare viderint.
40 Nulla idola, & vix ſacra habent. Si de *Deo*, vel *ſummo*
aliquo *Numine*, univerſum hoc tam pulchro ac conſtanti or-
dine moderante, interroges, ዋቅ: *cœlum* id eſſe reſpondent;
illud enim omnia complexu ſuo continere. Nullo tamen
41 ſolenni cultu id proſequuntur, ipſis barbaris barbariores. At-
tamen humanitatis non planè ſunt expertes; ingenii enim
dotibus pollent: & docilitate præſtantisſimos Habesſino-
rum æquant. *adeò nullum tam ferum & immite hominum*

 genus

c) Johann Neuhof in Itinerario Chinenſi.

genus datur, quod non culturâ & doctrinâ mansuefieri possit.
Multos institutioni Christianæ dociles se præbuisse, & in fide 42
d. l. constantes mansisse, *Tellezius* testatur: & aliquot millia Gal-
lanorum ad Christi fidem conversa, baptismum sub Basilide
Rege suscepisse, Gregorius referebat. Hæc ergo est for- 43
midolosa ista gens, quæ res opesque Habessinorum ita la-
befactavit, ut Regi vix dimidia pars Regnorum; quæ majo-
1,3,35. res ejus possederunt, supersit. Igitur Gallani *Baliâ* egressi 44
Gedmam; *Angotam*, *Dawaram*, *Wedam*, *Fataga-
ram*, *Ifatam*, *Guragaam*, *Ganzam*, *Cõtam*, *Damotam*,
Walekam, *Bizamam*, partem *Shewæ*, multasq; interjacentes
provincias occupaverunt; ulterius progressuri, nisi in factio- 45
nes scissi, arma in se vertissent, eoque Habessinis paulisper
respirandi spatium dedissent. *concordiâ rebus secundis inter
B.T. in not. ad Tabul. Chorogr. æquales raro diuturnâ.* Etenim in certas tribus (*septuaginta* 46
& ultra esse ferunt) & duas quasi nationes hodie dividuntur;
ex quibus occidentaliores በርቱማ፡ጋላ፡ *Bertuma Galla:* Orien-
taliores ቦረን፡ጋላ፡ *Boren Galla* Habessinis dicuntur. Hi veluti 47
semicirculo ab Oriente & Meridie Habassiam ambiunt, eam-
que crebris incursibus divexant. Quin & Cambatam & 48
Enaream à reliquo corpore separaverunt, interjacentibus re-
gionibus occupatis, ut tributum illorum regnorum non nisi
maximo periculo in aulam deferatur. Cum his igitur perpe- 49
tuò bellandum Habessinis, nec ulla spes recuperandæ priscæ
potentiæ superest, nisi gens ista priùs in ordinem redigatur.
Prudenter usus est Rex internâ illorum discordiâ; pulsos enim 50
1,14,56. à popularibus in *Dembea* & *Gojama* locavit, iisque in bellis
contra alios Gallanos feliciter usus est. *Vt enim antidota præ-* 51
*stantissima sunt, quæ ex ipsis venenatis animalibus conficiun-
tur: ita validissima remedia contra Barbaros sunt Barbari ipsi.*

Nunc ad Regnum *Zendero* pergimus, quod hucusque 52
IV.6.& seq. incognitum, ex *Tellezio* paucis memorandum est; quamvis
Habessiniæ contiguum non sit; quia ab *Enareâ* quinq; vel sex
dierum itinere distat. Incolæ non multò mansuetiores sunt 53
Gallanis, nisi quòd Regem & cultum aliquem Deorum seu
potiùs Cacodæmonum habeant. Nam magicis artibus dedi-
tissimi sunt. Mortuo Rege, genere proximi in sylvas abeunt, 54
ibiq; electionem procerum quasi per modestiam exspectant;
qui, novum Regem à se electum quæsituri, sylvas intrant, avis
cujusdam ex aquilarum genere ductum, quæ clamore suo
latentem prodit, sequentes. Reperitur leonum, tigridum, 55
dra-

draconum, atq; pardorum comitatu ſtipatus; has enim be-
ſtias, ipſe beſtia, incantatione veteribus non ignotâ,[d] congre-
56 gavit.(115) Reſiſtit primò Electoribus, & quos poteſt vulne-
rat, ut quaſi invitus ad imperium rapi videatur. Abducitur
57 tandem quaſi bello captus. Mox alii in itinere, quibus id an-
tiquitus licet, novum Regem Electoribus eripere conantur,
gloriam evecti in thronum Regis, & ſpem præcipui favoris,
58 ludicro & ſæpe cruento certamine, ſibi vendicantes. *ita in-
augurationis loco ſanguine humano gentiles Africani Diabo-*
59 *lum propitiare fas habent.*(116) Rex in ſummâ paupertate ſu-
perbus, non paucis ſolii ſui gradibus contentus, laquear caſæ
ſuæ ſubit, unde tanquam de podio deſpectare, atque Legatis
60 reſponſa dare conſuevit. Colore & geſtibus cephò vel ſimiæ
majori ſimillimus viſus fuit P. Antonio Fernandeſio, qui cum
Legato Habesſinico iter in illud Regnum ſuſcepit, ut infra di- 2,16,21.
61 cemus. Nec abludit Regni nomen; ዘንጅሮ: *Zendero* enim
62 illud animal ſignificat. Addit porro *Tellezius*, ſolere barba- *d. l. IV. 7.*
ros illos Regem ſaucium occidere; turpe enim eſſe Regi è
63 prælio vivum redire, niſi victorem; & hoc quoque conve-
nire cum ſimiarum naturâ, quæ vulnus acceptum tamdiu
vellicant & ſcalpunt, donec ſanguine omni vel inteſtinis
erumpentibus moriantur. Plura de hoc Regno recenſere non
64 eſt noſtri inſtituti. Sequitur *Alaba*, Cambatæ ab Oriente
contermina; cujus Regulus anno hujus ſeculi XIV. *Alico* di-
65 ctus fuit. Ab Occidente Habesſiniam vaſtæ claudunt ſolitu-
66 dines, & loca planè deſerta, ac ob id incognita. Ea autem
Septentrionem verſus excipit Regnum *Sennâr* ſive *Fund*,
quod ſuum Regem habet, quondam Habesſinorum benefi-
67 ciarium, nunc ſuo jure utentem. Hic veteris Nubiæ partem
occupavit, juxta quam Regnum *Balou*, cujus incolæ Luſit.
68 *Balous* dicuntur. Rex eorum, quondam *Suaqenæ* Dominus
& Regi Æthiopiæ addictus, nunc tantùm dimidiam partem
69 vectigalis nautici à Turcis accipit. Ex his quæ diximus col-
ligi poteſt, quot hoſtibus & adverſariis obſita ſit Æthiopia;
ut non abſurdè Habesſini patriam ſuam comparent flori 1,9,16.
70 *Dengu lat*, ſpinis circumdato.[e] Cum illis perpetuò luctan-
tes, belli quàm pacis artes magis meditantur; hæ enim inter
arma & turbas publicas ægerrimè excoluntur.

d) חברים dicuntur Hebræis; eorumque mentio fit Deut. 18, 11. Vide Kimch. in lib. rad.

e) allegant hunc in finem verba Cant. Cant. 2, 2. ከመ: ጽጌ: ደንጐለት: ማእከለ: አሥዋክ: tanquam flos cnici inter ſpinas.

ADDITIO.

De *Luſitanis* in Habeſſiniâ dicere reſtat, qui nec Africani 71
generis ſunt, nec exteri; quia dudum in Habeſſinorum jus
B.T. II, 19. conceſſerunt. Nam de quadringentis illis, quos *Chriſtopho-* 72
per tot. *rus Gamæus* bello Adelenſi opitulatum duxerat, (ut in loco
2. 15. 19. memorabimus,) *centum ſeptuaginta* circiter *ſuperſtites*, ſeculi
fere ſpatio ita creverunt, ut tempore Patrum Societatis *mille*
& *quadringenti* viri militares numerarentur; exigua quidem
manus, ſed partibus, quibus accederet, haud exiguum momentum; quia armis dextrè tractandis avitam virtutem retinebant, ſclopetorum uſu & Habeſſinis & Barbaris ſuperiores. Igitur confecto Adelenſi bello occiſoq; Graino, liberis
operam daturi, acceptis à *Claudio* agris, uxores duxerant, pro 73
regionis more equis, mulis, ſervis aliisque rebus neceſſariis
aucti, ſat commodè viventes: dum recens auxilii memoria
eſſet, clari inter omnes & accepti, ſacra ſua Latina liberrimè
peragebant; quæ *Menas* ſucceſſor Claudii coarctavit. At illi 74
odium ſibi pro gratia reddi, eò impatientiùs tulerunt, quòd
ingenia militum injurias inferre, quàm accipere magis ſueta
ſint. Sic paulatim ademti agri, vel cum pejoribus hoſtique
vicinioribus commutati fuerunt, ut Reges Luſitaniæ *mille*
& ducentarum patacarum annuarum ſtipe paupertatem
eorum ſublevare cogerentur. Hoc demum ſeculo, florenti- 75
bus Patribus Societatis, extremum proſperitatis: illis verò cadentibus extremum miſerię experti ſunt. Quare non ſine cau-
B.T. VI, 7. 6 ſa veritus eſt Alph. Mendezius, ne nunc omnium rerum egeni patriæ linguæ majorumque ſuorum obliti, uti pridem colore & habitu corporis: ita & moribus & religione ab Habeſſinis in poſterum non amplius dignoſcantur.

FINIS LIBRI I.

LIBER

LIBER II.

De

REGIMINE POLITICO.

CAP. I.

De Regibus Habeſſinorum, eorumque variis titulis, nominibus, & inſignibus.

1. Nomen *Presbyteri Johannis* unde acceperit Rex Habeſſinorum. 3. Luſitaniæ Rex Indicæ navigationis cauſâ 5. duos viros exploratum miſit, 6. qui etiam Presbyterum Johannem inveſtigarent. 8. Quorum unus, ſcil. *Petrus* illum in India non reperiens, 9. *Hatzegum Habeſſinorum eum* eſſe putavit. 11. Hinc fama falſa per Europam ſparſa fuit. 13. *Verus Presbyter Joh.* in Aſia. 14. Cur ſic dictus. 18. Expoſitiones hujus nominis ridiculæ. 22. *Verus* Regis Habeſſ. *titulus*. 25. quid ſit Arabum *Aſiclabaſſi*. 27. Perſis & Indis *Padeshah*: Luſitanis *Imperator*: 32. Arabibus *Elnagashi* vocatur. 33. *Duplex* Regibus *nomen*; baptiſmatis & Regni. 35. Hoc plerumq; ſignificativum eſt. 38. Interdum triplex. 39. idque incertam reddit hiſtoriam. 41. *Inſignia* Regia & 43. *Titulus* vulgatus 50. *confictus*; 52. perſtringitur. 58. *Genuinus* oſtenditur, ex epiſtolis, cùm Regis ad ſubjectos, tùm 64. ſubjectorum ad Regem. 66. Reginarum titulus *Itege* 67. ſolenniter confertur; 68. & ad dies vitæ retinetur. 69. Fœminarum illuſtrium titulus.

1 REX Habeſſinorum vix alio quàm *Presbyteri Johan-*
nis titulo notus hucusque fuit Europæis, quem illi
2 Luſitani impoſuêre. Occaſio talis fuit. *Petrus*,
Petri filius Luſitaniæ Princeps, *M. Pauli Veneti* librum (qui
de Indorum rebus multa: ſpeciatim verò de Presbytero Jo-
hanne aliqua magnificè ſcripſit) Venetiis ſecum in patriam *In Itiner.*
3 detulerat; qui (Chronologicis Luſitanorum teſtantibus) præ- *c.52.*
cipuam *Johanni* Regi anſam dedit Indicæ navigationis,
quam *Henricus* Johannis I. filius, patruus ejus, tentaverat, *Ann. 1420.*
4 proſequendæ. Hic in ſpem certam inductus, Africam cir-
cumnavigari, & ſic in Indiam penetrari poſſe; quod ex vete-
rum relationibus legiſſet, *Hannonem Pœnum* Gadibus
egreſſum, per Oceanum in mare rubrum perveniſſe,[1] claſ-
ſem in ignotum mare Atlanticum explorandis Africæ littori-
5 bus miſit. Cujus veſtigiis inſiſtens *Johannes II.* quò rebus *B.T.II,1.*
omnibus bene cognitis cœpta perficeret, Luſitanos duos, *A.1487.*
Arabicæ linguæ gnaros, *Petrum Covillianum* & *Alfonſum*
6 *Payvam* exploratum miſit: iisque inter alia in mandatis de-
dit, ut decantatiſſimum illum Presbyterum Johannem, Aſiæ
vel Indiæ, ut quidam ferebant, Regem opulentisſimum, in-
veſtigarent, ſocietatem & fœdus cum illo, ceu Principe Chri-
ſtiano

ſtiano facilè ſperans. Iſti per Ægyptum diversâ viâ in In- 7
diam profecti, cum ad Dominum ſuum remearent; Petrus 8
ex Indiâ, ubi Presbyterum Johannem fruſtra quæſierat, re-
B.T.I,2. dux, in portibus Maris rubri multa audivit, de *Chriſtiano*
& II,1. *Habeſſinorum Rege* potentiſſimo, crucem manu geſtare ſo-
litò & populis illi ſubjectis, Chriſtianæ religioni addictis.
Parum igitur referre putans, in Africâ, an in Aſiâ reperiretur 9
famoſus ille Monarcha, hunc ipſum eſſe qui quæreretur, hi-
ſtoriarum & Geographiæ rudis, planè perſuaſum ſibi habuit:
idemque iteratis vicibus Regi ſuo perſcripſit; ipſe verò in Æ- 10
thiopiam ſe contulit, celebratiſſimum iſtum Imperatorem
Presbyterum, quaſi alium *Pontificem Maximum*, oculis
uſurpaturus. Luſitani autem læta illa nova, ut fieri ſolet, 11
prius crediderunt, quàm ponderarunt: & ceu indubitata per
univerſam Europam ſparſerunt, credulis ad ea plerisque ex-
ternarum rerum & regionum ignaris. Et jam in appellatio- 12
nis iſtius cauſam & originem à viris doctis inquirebatur; aliis
aliam hujus nominis notationem afferentibus; *ut mos eſt
vulgo, etiam fictis vocabulis veras origines quærere, easque
in ſententiam ſuam mirum in modum detorquere.*

Cæterùm inter præſtantiſſimos hiſtoricorum conſtat, 13
Regem quendam Chriſtianum olim in extremâ Aſiâ haud
procul regno *Tenduc* Catayam[a] verſus, regnaſſe, magnâ po-
tentiâ & famâ, (2) qui à Perſis vicinioribus, ad ſignificanda il- 14
lius ſacra, *Preſter Chan* h.e. *Chanus* ſeu *Princeps adoratorum*
In Comp. i.e. Chriſtianorum, ùt quidam putant: vel, ut *Scaliger* vult,
Eccleſ. Æ- فرستجاني *Friſtegiani* i.e. *Apoſtolicus* dictus fuit. (3) Vtcun- 15
thiop.L.7. que demum id nominis pronunciaveris, ab Italis, tunc tem-
poris commercia Orientis tractantibus, auditum, & per Eu-
ropam vulgatum, imperitum vulgus pro Italico *Preſte* vel
Prete Gianni ſive *Giovanni* accepit; & ſic *Presbyteri Ioan-
nis* nomen apud omnes Europæ populos inolevit. Manſit 16
etiam illius nomen & fama per aliquot ſecula magna, ſed ob-
ſcura. Paucis enim innotuit *Preſter-Chanum* illum Aſiati-
ticum à *Cenchi* vel *Cynge* Tartarorum Rege poſtea regnis
ſuis evolutum fuiſſe.[b] Vt ergo prius in nomine, ita poſtea à 17
Luſitanis in re ipsâ graviùs erratum, & Regi Africano illud
indi-

a) Catayam non peculiare Regnum, ſed Chinam Septentrionalem eſſe, peritiſſimi Geographorum hodie docent. Vide Joh. Neuhofii legationem Sinenſem.

b) Scal. in not. ad Comp. Æthiop. iſta refert. Sed quo autore ſcribat Æthiopes à Tartaris ex Aſiâ pulſos, aſſequi certè non poſſum.

inditum fuit, quod ante aliquot ſecula multis paraſangis abhinc in Aſiâ regnanti Regi convenerat.

18 At cognomentum iſtud poſtquam apud Habesſinos percrebuit, & tamen neque cauſa, neque ſignificatio illius reperiretur, fuêre, qui, ſuſtinendo errori, vocabula magis erronea & ſupra modum abſona, veluti: *Gian-belul*, *Beldigian*, *Faras-ta-gian*, & planè ridiculum **Lederwyt**[c] comminiſce-
19 rentur. (4) Et fuit, qui perversâ criticâ uſus, pro *Prete-Ianni*, tanquam mendoſo, *Pretioſum Iohannem*, ceu digniorem
20 tanti Regis perſonâ titulum, excogitaret. Hoc epitheto ſummus Pontifex ſemel uſus eſt; ne autem erroris argueretur, multi idem mordicus retinuerunt, ut *Tellezius* ſat multum *L. II. c. 21.* negotii habeat, illos meliùs erudiendi. Longum foret tot *p. 152.*
21 ineptiarum origines referre. Id tantùm monebimus, *Beldigian* & *Faras-ta-gian* mentione indignorum hominum[d] figmenta, *Gian-belul* verò ex ſupplicũ compellatione (de qua *2, 18, 19.*
22 infra) ortum habuiſſe. (5) Sed nos, vanâ illâ nomenclaturâ miſsâ, cordatioribus Habesſinis planè ridiculâ visâ, certò ſcimus, nomen Regis Habesſinorum linguâ Æthiopicâ aliud
23 non eſſe quàm ንጉሥ : *Negûs Rex*: In titulis autem, quibus & ipſe, & cuncti Habesſini utuntur, eum vocari ንጉሥ : ነገሥት : ዘኢትዮጵያ : *Negûça nagaſt*[e] *zaitjopja*, *Regem Regum Æthiopiæ*, reſpectu habito ad Regulos nonnullos ſubjectos, aut Pro- *Proœm. n. 34.* reges, qui etiam titulo ንጉሥ : *Negûs, Regis*, vel ነጋሽ : *Nagash*
24 *Rectoris* honorantur. Ab alloquentibus autem Amharicè ሐፄጌ : *Hatzeghê* (*Acegus nonnullis*) ſalutatur; quod illi interpretantur, *Principem ſummum*: & nemini niſi Regi ſuo
25 tribuunt; ſicuti Galli ſuum *Sire*. Hinc eſt Arabum *Aticlabaſſi*, vel, ut *Ortelius* effert, *Aſiclabaſſi*, compoſitum ex modò dicto vocabulo ሐፄጌ : *Hatzeghe*: Arabico articulo ال *El*: & nomine gentili حبش *Habesh*; quaſi diceres حضغ الحبش *Hatheg-el-Habeſch*, ſeu *Hathegus* vel *Hatzegus Habeſſinorum*. *In Theatro Mundi. Tab. Abeſſ.*
26 (6) Si verò addatur nomen illius proprium, per apocopen ſolummodo vocatur ሐፄ : Hatzè, ut ሐፄ : ያዕቆብ : *Hatzè Iacob*, ሐፄ : ሱስንዮስ : *Hatzè Susneus*, ሐፄ : ፋሲለደስ : *Hatzè Baſili-*
27 *des*; & ita porro. *Perſæ* atque *Indi* titulo پدشه *Padeshah* illum honorant; quod cognomentum non niſi maximis per Orbem Regibus tribuitur, veluti *Imperatori noſtro Romano-Germanico*: nec non *Indorum*, *Perſarum*, *Turcarum* & *Si-*

L nen-

c) In itinerario Hieron. Wolfii.
d) L. Vrrettæ & Tzagaxi,
e) malè *Nuguea Nagaſta* apud B. Tellezium. L. I. c. 2. p. 5.

nensium Regibus; qui Regulos alios, vel diversa regna sub se
habent, quales vulgus nunc Imperatores vocare solet; prout 28
B.T.L.I.c. 2. & alibi. hic noster Lusit. communiter appellatur *O Emperador Abe-
xim Imperator Habessinicus.* Idq; ex titulo ejus sequi videtur;
nam Regem Regum non malè Imperatorem dixeris. Ne- 29
que nos titulis ejus quidquam detrahemus; præsertim cum
inter alios Africæ Reges barbaros gloriâ Christianæ religio-
nis, ut & potentiâ non parum emineat. Quia verò Romani 30
(quorum linguâ hæc scribimus) priscos illos Babyloniorum
Persarumque monarchas, tot regnorum domitores, & Re-
gum Principes, non nisi Reges vocaverunt, nos quoque *Regis* 31
nomen ut plurimum retinebimus, neque tamen appellationi
Imperatoris, in vernaculis linguis usurpatæ, intercedemus;
quam scilicet ipsi, dum exercitibus suis summo cum imperio
strenuè præsunt, jure merentur. Apud Arabes veteres النجاشي 32
Najashi ab Æthiopico ነጋሢ: perpetuò vocatur, ut olim Reges
Ægypti *Pharaones*:[f] & Imperatores Romanorum *Cæsares*.(7)
Quod autem ad *proprium Regis nomen* attinet, jam pridem 33
moris fuit, ut à castrensibus boni ominis causâ, novum no-
men cum novo imperio acclamaretur, quod plerumq; præ-
valet nomini baptismatis.(8) Istud tamen non planè depo- 34
nunt, ut Pontifices Romani, sed plerumque simul usurpant;
sic enim *Zar-a-Iacobus*, in epistolâ Tomo conciliorum præ-
missâ, ait: ዘርአ፡ ያዕቆብ፡ ወስመ፡ መንግሥትነ፡ ቈስጠንጢኖስ፡ *Zar-a-
Iacobus, & nomen regni nostri Constantinus*, &c. Auspicale 35
istud nomen venerationem & reverentiam plerumque signi-
ficat, ut አጽናፍ፡ ሰገድ፡ *Atznaf-Saghed*, i.e. usque ad fines terræ
venerabilis: መለክ፡ ሰገድ፡ *Melec-Saghed*, dominator veneran-
dus. Interdum & à gemmis denominantur, ut አድማስ፡ ሰገድ፡ 36
Adamas-Saghed, Adamas venerabilis. ዕንቊ፡ ሰገድ፡ *Enkua-
Saghed*, vel ወናግ፡ ሰገድ፡ *Wanag-Saghed* gemma pretiosa. Istud
fuit cognomentum Regis *Davidis*, *Naodi* filii, *Claudii* pa- 37
tris. Ex quo ortum puto, quòd legatus ejus *Tzaga-zaabus*,
in Lusitaniam missus, ex Presbytero vel Prete-giani *Pretio-
sum Iohannem* fecerit, existimans, qui gemmæ pretiosæ co-
gnomentum gereret, & ipsum pretiosum esse. Quin & plu- 38
ra sæpè nomina, eaque diversimodè prolata, congeruntur.
David iste præter duo illa cognomina modo dicta, ዕጣነ፡ ድን
ግል፡ *Etana denghel* i.e. *Thus virginis* in baptismo nominatus.

fuit,

f) ὁ Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίοις βασιλέα σημαίνει. Pharao apud Ægyptios Regem significat. Joseph. L.8, c.5. al. c.2, n.6. at Bochart. in Hieroz. P.II. L.V. c.18. in aliâ est sententiâ.

fuit, pro quo alii ልብነ : ድንግል: *Lebna dенghel* i. e. *Styrax vir-*
39 *ginis* ſubſtituerunt. Iſta nominum multitudo & variatio in-
certam ſæpè reddit hiſtoriam ipſam, ut de diverſis dici putes,
40 quæ de uno ſunt accipienda. Sic celeberrimus ille Rex *Ca-
lebus* Regni Homeritarum everſor, *Elesbaas* à Græcis voca-
tur; de quo nomine infra plura dicemus. 2,4,24.
41 *Inſigne* Regis, quo etiam in conſignandis literis utitur, *B.T.*1,26.
eſt *Leo crucem tenens* cum ſymbolo: ሞአ : አንበሳ : ዘእምነገደ : *N.God.*1,7.
42 ይሁዳ :: *Vicit leo de tribu Iuda*. Ridicula igitur inſignia ſunt, 2,3,28.
quæ in hiſtoriâ fabulosâ Tzagaxi, à Gallo quodam edita, re- A.1635.
periuntur; quæque ipſe impoſtor in epiſtolis ſuis ad Joh. Wis- 2,7,53.
lengum Medicum Patavinum uſurpavit. (9) *A.* 1633.
43 *Titulus* Regis Davidis longus ſatis & prolixus, multum-
que corruptus, ſed hîc à nobis emendatus, vulgò circumfer-
44 tur. *Ego* Atani Dinghil (Etana Denghel) *h. e. Thus virginis
in baptiſmo: nomine regni verò David vocatus, à Deo dile-
45 ctus, columna fidei, ortus è tribu Judâ, filius Davidis, filius
Salomonis, filius columnæ Sionis* (ዐምደ : ጽዮን : Amda Tzeonis)
filius ſeminis Jacobi (ዘርአ : ያዕቆብ : Zar-a Jacobi) *filius è manu
Mariæ* (በእደ : ማርያም : Bäeda-Mariami) *filius Nahu* (Naodi)
46 *ſecundùm carnem.* (Hîc inferciunt aliqui: *Filius Sanctorum
Petri & Pauli ſecundùm gratiam*; ſcilicet, ut eſſet quod op-
poneretur carni.) *Imperator ſuperioris & inferioris Æthiopiæ,
multorumque aliorum regnorum, & provinciarum. Rex*
47 *Xoæ* (lege Shoæ) *Gafatæ, Fategaræ, Angotæ, Baræ* (Dawaræ)
Hadeæ (Hadienſium) *Baleganzæ* (Baliæ, Ganzæ,) *Vangæ,*
48 *Goyamæ,* (Gojamæ) *ubi Nili fontes, Ambaræ, Bagemdræ,
Ambeæ* (Dembeæ) *Vagne, Tigremahonæ* (Tigræ) *Sabaim*
49 *unde Regina Sabæ, Barnagaſſæ,* (Midre-Baher,) &c. Non
Neguçi Æthiopiæ, ſed *Ruſſorum Autocratoris* titulum ſcribere
50 mihi videor. Nam, ut verum fatear, Luſitani, ſimplicitate
Habesſinorum abutentes, conſarcinaverunt iſtum titulum:
vel Habeſſinos ad id faciendum tunc temporis impulerunt;
51 quò Europæorum more plus dignationis præ ſe ferrent epi-
ſtolæ, quas Franciſcus Alvarez ad Pontificem Romanum &
52 Regem Luſitaniæ laturus erat.[g] Neque enim antea, neque
poſtea Regum Æthiopiæ epiſtolæ, in Europam ad eosdem
miſſæ, inanem iſtum faſtum oſtentaverunt. (10)

 Prima

g) Id firmiter conjicio ex iis quæ ipſe Alvarez ſcribit c. 104. & 114. Reperiuntur autem illæ Epiſtolæ apud Alvarez. In Hiſpan. illuſtratâ & alibi.

Prima Helenæ epiſtola, à Matthæo in Luſitaniam allata, ſimplicem ſine ullis titulis præmittit ſalutationem; ut taceam, 53
non corrupta ſolum regnorum nomina, ſed pleraque omiſſa eſſe, veluti *Bizamam*, *Bugnam*, *Damotam*, *Walekam*, &c.
Quàm fatuum denique eſt, & *patriæ Reginæ Sabæ* (haud 54
ſatis certæ) & *Nili* fontium in titulo Regio meminiſſe; quaſi apud Habeſſinos æquè miraculum eſſet, fontes Nili ſcire, ac apud Græcos & Latinos: quàm pulchrè ſcilicet ornaret 55
titulum Imperatoris noſtri, ſi quis ad Ducatum Sueviæ adderet *Danubii fontes*, etiam antiquis Philoſophis ignoratos:
quàm ineptè converſa ſunt nomina propria ዐምደ : ጽዮን : *Am-* 56
da-tzejon &c. *Filius columnæ Sionis*, *filius ſeminis Jacobi*, *filius manus Mariæ*, in appellativa. Dein pro ናኦድ : *Naod*, 57
Nahu habet Alvarezius, quæ vox illum ferè autorem hujus tituli arguit; quia in itinerario ſuo eum ſemper ſic vocat.
Sed explodendis iſtis figmentis lectorem diutius detinere nolo. *Genuinus* epiſtolarum Æthiopicarum ſtylus à *Grego-* 58
L. III. c. 33. *rio* mihi indicatus, etiam apud *Tellezium* reperitur, ubi Rex ad Pontificem Romanum ſcribens, hoc exordio utitur: *Car-* 59
ta enviada do Emperador de Etiopia MALAC-SEGUED *chegue ao Santo Papa de Roma* &c. Æthiopicè ſic haud dubiè ſe habuit:

መጽሐፈ : መልእክት : እምኀበ :	*Libellus epiſtolæ à* MALEC-SAGHE- 60
መለክ : ሰገድ : ንጉሠ : ነገሥት :	DO *Rege Regum Æthiopiæ, perve-*
ዘኢትዮጵያ : ትብጻሕ : ኀበ : ቅዱ	*niat ad Sanctum Patriarcham Ro-*
ስ : ሊቀ : ጳጳስ : ዘሮማ :	*manum.* (11)

Ad Regem Hiſpaniæ ſimiliter: 61

Carta eſcrita do Emperador ATZNAF-SEGUED *chegue a noſſo Irmam Dom Philippe Rey dos Reys de Heſpanha.*

መጽሐፈ : መልእክት : እምኀበ :	*Libellus epiſtolæ ab* ATZNAF SAGHE- 62
ሠልጣን : ሰገድ : ንጉሠ : ነገሥት :	DO *Rege Regum Æthiopiæ, perve-*
ዘኢትዮጵያ : ትብጻሕ : ኀበ : እኁነ :	*niat ad fratrem noſtrum Domi-*
እግዚእ : ፊሊጶስ : ንጉሠ : ነገሠ	*num Philippum Regem Regum*
ት : ዘሂሠጳንያ ::	*Hiſpaniæ.* (12)

Sequitur ſalutatio & cætera.

Eodem modo ad ſubjectos ſuos ſcribit: 63

መጽሐፈ : መልእክት : እምኀበ :	*Codicillus epiſtolæ* i. e. *Epiſtola miſ-*
ሠልጣን : ሰገድ : ንጉሠ : ነገሥት :	*ſa à* SULTAN SAGHEDO *Rege Re-*
ዘኢትዮጵያ : ትብጻሕ : ኀበ : ገብ	*gum Æthiopiæ, perveniat ad ſer-*
ርነ : እገሌ ::	*vum noſtrum N. N.*

ከማሁ :

ስማዕ፡ዘንነብለከ፡ወዘንጽሕፍ፡ | *Audi quæ dicimus tibi & quæ scri-*
ለከ። | *bimus tibi*, &c.

64 Privati verò ad illum sic scribunt:

ለዘ፡ኄቅ፡ልዑል፡ወኀያል፡ንጉሠ፡ | *Celsissimo & Potentissimo Regi*
ነገሥት፡ዘኢትዮጵያ፡ሐጼ፡እገሌ። | *Regum Æthiopiæ Hatzè N.N.*

65 Intus verò post salutationem consuetam

ሰላም፡እግዚአብሔር፡ | *Pax Domini*,

& honorificum votum, addunt:

ይቤ፡ገብሮሙ፡እገሌ፡እ | *Dicit servus eorum N.N. Dominus sub-*
ግዚአብሔር፡ያግርር፡ፀሮ | *jiciat hostes eorum sub pedes eorum*, (sic
ሙ፡ታሕተ፡እገሪሆሙ፡ወ | enim in plurali tertiæ personæ honoris
ያኑኅ፡መዋሊሆሙ፡ለዘመ | causa eũ alloquuntur) *& prolonget dies*
ን፡ጕንዱይ፡አሜን። | *eorum in tempus diuturnum, Amen.*

66 Cætera in commentario nostro lector reperiet.(13) Regina salutatur ኢቴጌ፡ *Iteghè*; quod honorificentissimum nomen non statim post nuptias, neque privatim, sed publicè magnâ solennitate & populi applausu post aliquot dies vel
67 menses, ut Regi placuerit, illi confertur. Deducitur enim festo cultu è suo in Regis tentorium, ibique pulcherrimè ornata juxta eum collocatur, uno ex aulæ primoribus procla-
68 mante: *Regem ancillam suam N.N. Reginam fecisse.* Hunc verò titulum una tantùm gerit, nec nisi illâ defunctâ in novam Reginam transit. In summo enim honore Regis vidua, B.T.1, 19.
69 & matris loco à successore habetur, quamvis filius illius non sit. Aliàs illustres fœminæ & Regis propinquæ titulo ኢቴ፡ honorantur, qui Reginis quoque competit, si nomen illarum proprium addatur, veluti: ኢቴ፡አሜና፡ *Ite Amana.* ኢቴ፡ኀመል ማል፡ *Ite Hamelmal*, & ita porro.

CAP. II.

De diversis Regum Æthiopiæ familiis, & quidem primò de familiâ Ethnicâ.

1. *Catalogus Regum Æthiopiæ* falsus. 4. à Tellezio taxatur; qui alium prodidit, sed 6. imperfectum. 8. *Antiquitas Regum Habessiniæ* vera: 9. falsò jactata aliorum. 12. De *Cuso*. 13. De *Arvvao* ejusque successoribus traditio antiqua.

1 CAtalogus Regum Æthiopiæ primùm editus reperitur in calce institutionum linguæ Æthiopicæ à *Mariano Victorio Reatino* Romæ Anno 1552. excusarum. Idemque im-
2 pressus extat in Hispania illustrata.[h] Eum pro verò & genuino

h) Tom. II. Tit. Æthiopia & Indica.

L.I.c.2. nuino habuit *Hieronymus Vecchietti Florentinus* , & operi ſuo laborioſiſſimo de ſacrorum temporum ratione inſeruit, ſed annos regiminis pleroſq; ex ſuo ingenio adjecit; quaſi ve- 3
rò id res conjecturæ eſſet, aut non longè præſtaret, rem ignorare, quàm per fabulas ſcire.(14)

L.IV.c.12. in fin. At *Tellezius* ingenio præſtantior, catalogum hunc, (cu- 4
jus autorem *Damianum Goëzium* fuiſſe putavit) meritò per-
L.I.c.27. per tot. ſtringit & irridet: Ipſe autem alium quendam ſecutus eſt, ut 5
ex ordine Regum & annis regiminis patet, in quo originem Regum Habeſſiniæ etiam ſatis altè, & usque ab Salomone petit, fidem & traditionem Habeſſinorum in eo ſecutus. Nonaginta & novem numerat, nomina autem eorum non omnia prodit.

Familiæ verò *Zagææ* Reges, tanquam illegitimos ſucceſſo- 6
res, prorſus ſilentio transmittit, cum tamen Hiſtorici ſit, tàm bonos, quàm malos, tàm juſtos, quàm injuſtos Principes recenſere, in gloriam virtutum & infamiam vitiorum. Porro 7
d.l.p.69. *non minimam partem gloriæ Habeſſinorum eſſe*, inquit, *quòd tam longam & antiquam Regum ſeriem habeant*. Nec diffi- 8
tendum eſt, etſi non à temporibus Salomonis, ſed ab *Atzbeha* &
2,4,13. circa A.C. 330. *Abreha* fratribus, ſub quibus Chriſtiana religio apud Axumitas cœpit, genus ſuum derivare poſſent Habeſſinorum Reges, illos tamen antiquitate proſapiæ, cum clariſſimis totius orbis Regibus contendere poſſe. Ne dicam *de monarchiæ* duratione, quæ longè vetuſtior eſt. *Ægyptii* quidem 9
olim antiquitatem Regni ſui ante alias nationes jactaverunt.[i] *Sinenſes* Principum ſuorum ſeriem ultra diluvium extendunt.[k] Johannes Magnus *Suecorum* Reges à diluvio usque 10
ad ſua tempora recenſet, & ita alii; neſcio qua fingendi libidine; *quaſi voluptas ſimpliciores fallendi potior ſit irriſione cordatorum virorum.*(15) Neq; enim quisquam prudentum 11
ejusmodi fabulis opera ſua contaminaverit: vel ſi maximè tales Reges unquam extitiſſent, quid illos aut poſteritatem juvat, ſi nihil de illis præter monſtroſum quoddam nomen ſcitur? *Gregorius* meus de *Cuſo* ejusque nepotibus innomi- 12
natis, quos vani illi nomenclatores primo loco ponunt,[l] nihil unquam audiverat. At de Rege *Arwê* interrogatus re- 13
ſpondit: *traditionem antiquam inter ſuos eſſe; vetuſtiſſimos Æthio-*

i) De quo videri poteſt Joh. Marshami Equ. Angli eruditiſſimus Canon Chronicus Ægyptiacus &c. & autores ab eo allegati.

k) Vide Joh. Neuhof deſcriptionem Sinæ Regni, c.18.

2,7,53. l) Vide Catalogum Fabuloſæ Tzagaxi hiſtoriæ annexum, & Hieron. Vecchietti c.39.

14 *Æthiopum ingentem ſerpentem* (*id enim* አርዌ፡ምድር፡ *Arwe-medr* ſignificat) *pro Deo coluiſſe: atque hinc eſſe, quòd qui-dam Arwæum pro primo Rege habeant: illum autem à quodam* አንጋቦ፡ Angabo *occiſum, qui ob audax hoc facinus Rex crea-*
15 *tus, ſucceſſores habuerit* Sabanutum *&* Gedurum. *Tellezius* L. I. c. 27.
omiſſis iſtis Ethnicis Regibus, ceu planè fictis, à Reginâ *Sabæâ* orditur; quem nos ſequemur, rejecto illo fabuloſo paſſimq; corrupto catalogo, qui centum & ſeptuaginta duos Reges habet, cùm Tellezius multò pauciores numeret, ut ex ſe-quentibus conſtabit.

CAP. III.

De familiâ Salomonæâ, quæ originem ſuam habuiſſe dicitur ex Menileheco filio Reginæ Sabæ, quæ Salomonem viſitatum venerat.

1. A Regina *Saba* 3. Æthiopes Reges ſuos deducunt. 4. Ejus *hiſtoria* ex Tellezio, 8. *figmentis* mixta: 11. Ex Joſepho. 12. Veterum quidam illam ex *Æthiopiâ*: 13. alii ex *Arabiâ* veniſſe contendunt; 14. hæ ſententiæ conciliantur. 16. Ob *duplicem* olim *Æthiopiam*, orientalem & occidentalem. 20. *Arabum* de eâ *tra-ditio*: 22. & lis cum Habeſſinis. 23. *Alph, Mendezii* pro Habeſſinis argumenta. 26. *Tellezii*, & 30. *Gregorii* ſententia. 32. *Autor judicium* ſuum de his ſuſpendit 37. ob varias *dubitandi rationes*.

1 VT igitur rem ab initio arceſſamus, in ſacro codice legi- 3. Reg. 10, 1.
tur, quòd Regina *Sabæ*, auditum & viſum ſapientiam 2 Paral. 9, 1.
Salomonis, magno cum comitatu, multisque camelis, Hie-roſolymam venerit, & pretioſiſſima munera, gemmas, au-
2 rum & aromata Salomoni attulerit. *Servator* noſter ait: Matth. 12, 42.
βασίλισσα νότου ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σαλομῶντος. *Regina au-ſtri* (Æthiopes reddunt ንግሥተ፡አዜብ፡ *Neghеſta Azeb*,[m] quod Luc. 11, 31.
idem ſignificat) *venit à finibus terræ, auditum ſapientiam Sa-lomonis.*

3 Hanc ergo Reginam ſuam fuiſſe aſſerunt Æthiopes; il-liusque hiſtoriam fusè deſcriptam habent, ſed figmentis mix-
4 tam; ut ferè antiquiſſimæ profanæ hiſtoriæ ſolent eſſe. Sum-mam ejus ex *Tellezio* hîc tranſcribemus, qui ait: *Reginam* L. I. c. 25.
Æthiopiæ Maquedam, ubi ex mercatore ſuo Tamerino de po-tentia & ſapientiâ Salomonis certiora cognoverit, ad illum cum magnatibus ſuis, multiſque muneribus profectam eſſe,
5 *veriſque Dei cultum ex eo didiciſſe. Exacto aliquo temporis ſpa-*

m) *Azeb* malè pro nomine proprio habet B. Tell. p. 63.

ſpatio domum reverſam peperiſſe filium Menilehecum, ex
Salomone conceptum, quem Davidem nominaverit. Eum 5
poſtea Hieroſolymam ad patrem miſſum, ejus juſſu in lege di-
vinâ benè inſtructum, & tandem in Regem Æthiopiæ unctum, 6
atque ita dimisſum fuisſe, additis nobilibus Iſraelitis, veluti
amicis, & novi regni inſtrumentis, aulæque miniſtris: nec non
legisperitis, ipſoque Azariâ, Tzadoci ſummi Sacerdotis filio,
ſacrorum antiſtite; atque exinde Reges Habeſſinorum, ac 7
primores gentis hodiernos, originem ſuam traxiſſe. Sed ſequi-
tur fabula, non minus craſſa, quàm novo Regi indecora; vi- 8
delicet: *hos egregios viros nefario ſacrilegio arcam fœderis cum*
tabulis Decalogi ſecum abſtuliſſe, templo tunc incuſtodito, at-
que portis, veluti Dei proviſu, apertis. Tandem matrem filio 9
Davidi regno ceſſiſſe, eumque pariter & primores gentis jura-
mento obſtrinxisſe, ne in poſterum fœminæ imperio parerent:
neque alios niſi poſteros Davidis ad regnum admitterent.
Plures easque vulgares circumſtantias referre piget.

Cæterùm diu etiam inter veteres anquiſitum fuit, *unde* 10
Antiq. Jud. L.VIII. c.2. *& cujas fuerit iſta Sabæ ſive Auſtri Regina? Joſephus*, anti- 11
quitatum Judaicarum non contemnendus ſcriptor, exter-
L. II. in Euterpe. narum haud æquè, *Nicaulen ab Herodoto* dictam ſcribit,
(quod nomen in hodiernis Herodoti codicibus non, ſed Ni-
tocris pro eo reperitur) *eamque non tantùm Æthiopiæ, ſed &*
Ægypti Reginam fuiſſe; inſigni errore. Ex Æthiopiâ au- 12
tem veniſſe multi veterum tradunt, veluti: *Origenes, Au-*
cit. Tellezio L.I. c.25. *guſtinus, Anſelmus*, quos allegat Card. *Toletus*. Alii contra: *ex* 13
Arabia eam veniſſe contendunt; veluti *Juſtinus, Cyprianus,*
Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Cardinalis Baronius,
Franciſcus Soarez, Lorinus, & latiſſimè *Pineda* de rebus Sa-
L.V. c.14. ſect.6. & ſeqq. lomonis, qui decem rationibus ſententiam ſuam firmare ni-
titur; ex quibus illæ, quæ aliquid momenti habere videntur,
ſunt: *Sabam in Arabiâ à meridie Judææ ſitam: camelos, aro-*
mata, aurum & gemmas magis Arabiæ, quàm Æthiopiæ con-
venire. Verùm facilè eſt diverſas iſtas ſententias conciliare, 14
ſi, quod multi antiqui ſcriptores faciunt, Æthiopia veterum
in Arabiam usque porrigatur; Illis enim *Sabæi* & *Homeritæ*
I,1,6. gentes ſunt Æthiopicæ, quæ tamen indubiè in Arabiâ Felici
habitaverunt; fortè, quod illæ etiam faciem aduſtam habe-
rent. Regio illa, quæ Hebræis nomine כוש *Cush* venit, à LXX 15

inter-

interpretibus in Scripturâ ſacrâ ſemper redditur *Æthiopiâ*; ex quâ ſcilicet Moyſes uxorem duxit, quæ Æthiopiſſa dicta fuit: & tamen Arabiæ, prout hodie accipitur, pars eſt; unde
16 *Cuſæi* Arabes.[(16)] Duplex igitur fuit veterũ *Æthiopia, Aſiatica* & *Africana*: ſive *Orientalis* & *Occidentalis*. Nam priſci non iisdem terminis partes orbis præcipuas, ac nos, circumſcripſerunt; *Indiam* in Africam, & *Æthiopiam* in Aſiam exten-
17 derunt: Indos poſt Æthiopes incolere crediderunt: *Africa* & *Aſia* illis non Orbis terræ partes, ſed regiones tantùm certę fuerunt: *Ægyptus* modò ad Africam, modò ad Aſiam pertinere viſa fuit: quidam *Nilum* Africam ab Aſiâ disterminare
18 putaverunt: Et quod pro ſcopo noſtro maximè notandum, Arabia veteribus non tam latè patuit ac nobis hodiè. *Sabæi* enim ſeu *Homeritæ* extra Arabiam olim locabantur. *Arabicus ſinus* pro certâ tantum parte & ſinu Maris rubri habitus fuit, ut ex *Procop.* in commentario docebim⁹.[(17)] Quæ omnia poſteriorum temporum Geographi longè melius partiti
19 ſunt; adeò ut quamvis *Saba* nobis Arabiæ Auſtralis, quæ Oceanum Indicum & ita fines illius terræ ſpectat, regio ſit, verè tamen ex mente veterum dicere poſſis, Reginam Sabæ ex Æthiopiâ veniſſe. Quamvis non abſurdum foret conjicere, illam ſimul Æthiopiæ, in oppoſito Maris rubri littore, haud ita procul ſitæ, imperitaſſe.[(18)] *B.T.I.25.*

20 Apud Arabes non ambigitur illam è ſtirpe بني حمير *Filiorum Homer* i. e. *Homeritarum* & *Hod-hadi Regis* filiam fu-
21 iſſe.[n] *Belkis* vocant, eamque non *Salomonis* pellicem, ſed *uxorem* dicunt[o]; unde colligitur, quòd & ipſi traditionem pro verâ habeant, quòd filium ex Salomone conceperit.
22 *Lis de ea* inter Æthiopes & Arabes etiamnum durat, utrisque eam ſibi vindicantibus; haud ſecus ac ſi Franci hodierni cum
23 Germanis ſuper Carolo Magno certare vellent. Fidem Habeſſinorum traditioni adſtruit Alphonſus *Mendez* Patriar- *B.T.L.I.c.*
cha[p] his potiſſimùm motus argumentis, *quòd continuatio* *26.p.66.*
officiorum tam civilium quàm militarium, reliquarumque conſuetudinum in Repub. Hebraicâ uſitatarum à tempore im-
24 *memoriali duret, & adhuc hodie obſervetur. Adeò ut Æthiopia illi imago quædam viva antiquæ Reipubl. Hebraicæ viſa*

M *fue-*

n) Iſte vigeſimus primus fuit, ut videre eſt in Catalogo Regum Homeritarum, quem in ſpecimine Hiſtoriæ Arabum eruditis exhibuit Clariſſ. Pocokius p. 59.

o) Geographus Nubienſis de urbe *Mareb* ومنها بلقيس زوجة سليمان بن داود *Clim. I. P. 6.* Et ex ea (oriunda erat) Belkis, uxor Salomonis F. Davidis.

p) in Epiſtola ad B. Tellez.

fuerit: & quòd multa S. Scripturæ loca, ex quo in Æthiopiam
L.I.c.26.in princ. *venit, rectiùs intellexerit.* *Tellezius* traditionum Æthiopi- 25
carum aliàs haud mitis judex, hâc in re, ut in aliis, Patriarchæ
autoritatem per omnia sequitur, addens: *Nemini mirum* 26
3.Reg.11.1. *videri debere, Salomonem, qui Pharaonis filiam duxerit, at-*
que Moabiticas, (adde *Ammoniticas*) *Idumæas, Sidonias,*
Hethiticas fœminas amaverit, etiam Æthiopicam affinita-
tem delibare voluisse: Habessinos etiamnum Regum suorum 27
posteros Israëlitas vocare, neque alios præter Menileheci ge-
neris masculos regio solio dignos putare: atque eam ob causam 28
2,1,41. *insignia regia Leonem habere cum symbolo:* VICIT LEO DE
TRIBU JUDA; *ut demonstrent, quod ex tribu Judæ & stem-*
mate Davidis oriundi sint; nec aliunde Candacis Eunuchum 29
doctrinam orthodoxam, quàm è gente Israëlitarum, hausisse.
Gregorius meus eadem mihi dixit: *librumque, in quo ista ex-* 30
tarent, ክብረ፡ ነገሥት፡ Gloriam Regum *appellari, & perma-*
gnæ apud suos autoritatis esse: neque quenquam in Æthiopiâ
de hoc dubitare. Addidit: *officia illa tam civilia quàm mili-* 31
taria, de quibus Patriarcha in suâ epistolâ agit, [q] *adhuc in iis-*
dem familiis continuari, & posse præfectos illorum progeniem
suam usque ab atavis atque tritavis proferre. At mihi in- 32
tegrum non est, istis fidem addere vel demere, donec ipsa Æ-
thiopica documenta, munia, consuetudines & mores, *de qui-*
bus Patriarcha generatim loquitur, (*neque enim loca Scriptu-*
ræ sibi clariora facta indicat) particulatim cognoscam: simul 33
etiam illorum ministrorum genealogias, quarum Gregorius
mentionem fecit, videam, & responsiones ad dubia audiam.
Video quidem consensum gentis, & Regum assertionem; 34
(nam Claudius majores suos ነገሥት፡ እስራኤላውያን፡ *Reges Israë-*
liticos appellat: & tempore inaugurationis *Regem Israëliti-*
cum creari dicunt: quique in rupe *Geshen* custodiuntur, Is-
Alv.c.60. in fin. raëlitarum nomen gerunt:) denique mores nonnullos & ri-
tus antiquos cum Judaicis congruentes. Neque etiam mihi 35
cum Tellezio mirum, aut à moribus Salomonis alienum vi-
detur, si, post diversa ænigmata, etiam Reginæ Sabææ cestum
1,1,5,8. solvit. Si denique Habessini Homeritarum sive Sabæorum 36
colonia sunt, iisque congeneres: utique concedi potest, Re-
ginam Austri è majoribus illorum fuisse. Multa tamen ob- 37
stant, quæ diversum suadere videntur; nam quòd *ritus Iudai-*
3,1,11. *cos* spectat, infra docemus, potuisse eos etiam aliis ex causis,
diu

q) præmissa extat Historiæ Æthiop. Tellezii.

diu poſt Salomonis tempora, introduci: partim etiam cum
38 gentilibus: partim cum Chriſtianis communes fuiſſe. Nam
ſi verus Dei cultus jam ex illo tempore cœpit, quî potuit ſine
ſynagogis, aut ſacris voluminibus conſervari? Cur autem ea
non habent, vel linguâ ſacrâ Hebraicâ, vel ſaltem ex illâ in
39 ſuam verſa? Nec *appellatio* Regum Iſraëliticorum genus eo-
rum arguit; non magis quàm ſi quis Imperatores noſtros è
priſcis Romanis ortos eſſe dixerit, quòd eodem titulo utan-
40 tur. Si verò poſteri Iſraëlitarum adhuc munia ſua obeunt:
vel ſi de conſervatione ſtemmatis ſui tam ſolliciti fuerunt:
cur non etiam in conſervandâ majorum ſuorum hiſtoriâ?
41 in colendâ cum popularibus atque propinquis ſuis amicitia?
connubiis jungendis? viſitando templo Hieroſolymitano?
42 ferendis mutuis auxiliis? maximè cùm frater Menileheci *Ro-* 3.*Reg*.12,16.
boamus tam gravem paſſus eſſet decem tribuum defectio-
nem, ut toto vitæ tempore cum *Jeroboamo* bellandum illi *ib*.14,30.
43 eſſet:(19) cùm oppugnaretur à *Siſaco* Ægypti Rege, quem *ib*. *v*.25.
nemo meliùs quàm Æthiopiæ Rex divertere potuiſſet: cùm
44 à tot hoſtibus premerentur Judæi: cùm in captivitatem Ba-
bylonicam ducerentur: cùm in ædificando templo ſecundo
laborarent: cùm à Syriæ Regibus: cùm à Romanis opprime-
45 rentur; neque enim tunc temporis per Arabiam vel Ægy-
46 ptum iter intercluſum erat: & Mare rubrum patebat. Tan-
dem, quod caput eſt, ſi Æthiopes cultum ſacrum à Salomo-
ne acceperunt, cur non etiam literaturam? nam literæ ple- 3,4,1.
rumque unâ cum ſacris tranſeunt, ut multarum nationum
exemplis doceri poteſt:(20) at hîc ſcribendi legendique ratio
ab Hebræorum more multùm differt; quamvis figuræ non-
47 nullæ à Samaritanis deſumtæ videantur. Denique Judæi, 4,1,10.
paſſim adhuc in Æthiopiâ habitantes, interrogandi eſſent,
quando? & quomodo illuc venerint? quid illi de hâc Ha-
beſſinorum traditione ſentiant? & quid in libris ſuis de illâ
48 forte reperiant? Quia probabile non eſt omnes omnino li-
bros veteres periiſſe, in regione tot rupibus ceu arcibus mu- 1,6,20.
nitiſſimis defensâ. Sed ea res longiùs nos ab incepto
abstraxit. Nunc ad Menilehecum re-
vertamur.

 CAP.

CAP. IV.

De Menilebeco Makedæ filio, ejusque posteris, usque ad successionem Salomonæorum interruptam.

1. *Menilebecus Ibn-el-haqîm* primus Rex. 2. Interpretatio hujus nominis. 3. De *Filio* ejus, & 4. *successoribus* nil certi constat. 6. Sub *Bazeno* Christus natus. 7. Reginæ *Candaces* nulla hîc mentio. 8. In Insulâ *Meroë*, non in Habessiniâ regnavit. 9. Bazeni successores dubii. *Abreha* & *Atzbeha* Reges fratres. 14. Poëtæ de illorum concordiâ carmen. 16. Primi Christiani Reges. 17. Triumviri Regii 19. *Atzfa*, *Atzfed* & *Amey*. 20. Horum successores, *Arado*, *Aladoba* & *Alamid*. 21. *Tacena*. *Calebus* 22. Græcis *Elesbaan*; 23. excidio Regni *Homeritarum* clarus. 24. Historia ipsa narratur. 28. *Nagran* Christianis restituit; eisq; S. *Aretæ filium* præfecit. 29. Istius successores; 30. quibus *Saif Ibn Di Iazan* à Persis substitutus: ab Habessinis interfectus est. 32. Vltimus *Bazenus* Muhammedi se subjecit. 33. *Historiæ Græcorum* hîc confusæ vel incertæ. 38. Historiæ *Homeritarum* obscuritas. 39. *Calebi* encomium: & 40. *Nagranensium* martyrium è Poëta. 41. *Calebi* successor *Gebra Meskel*. 42. *Constantinus* & *Fre-sennai*. 43. Familia Salomonæa interrupta.

PRimum igitur genuinum Regem suum ምኒይልሕክ፡ኢብን፡ 1
እልሐኪም፡ *Menilehecum Ebn El-haqim* esse ferunt. No- 2
men MENILEHEC interpretantur aliqui, *sicut ille*; alii: *quomodo*
mihi similem Deus creavit;[r] quorum neutrum ex Æthiopi-
câ linguâ exsculpi potest. At *Ebn-el-haqim* manifestè Ara-
bicum est ابن الحكيم *Filius sapientis*, scil. *Salomonis*. Filium 3
L. I. c.27. ejus Tellezius vocat ZAGDUR; cùm tamen *Gedurus* in cata-
p.68.a. logo *Mariani Victorii* Makedam Reginam antecedat. Mox 4
ait: *viginti quatuor Reges usque ad Bazenum secutos fuisse:*
& tamen capite sequenti *hunc vigesimum à Menileheco Filio*
Salomonis fuisse scribit. adeò confusa & incerta hîc sunt o-
mnia. Illos non recenset, nec nos inanibus incertisque no- 5
minibus lectorem morabimur.

At sub BAZENO[s] *Christum* Servatorem nostrum *natum* 6
esse, minùs ambigitur, idque *octavo regiminis illius anno*
d.l. contigisse, *Tellezius* tradit. Nulla hîc mentio fit Reginæ 7
Candaces, quam Æthiopum nonnulli pro suâ agnoscunt; in
eo sibi contrarii, quòd nullam fœminam sceptri Æthiopici
2,3,9. capacem, ex statuto supra allegato, censeant. Potius est, ut lo- 8
cum illum, qui Actor. VIII. 27. de Reginæ Æthiopiæ Eunu-
cho agit, de aliâ Æthiopiæ parte, Ægypto videlicet conter-
mina,

r) Hieron. Vecchietti de sac. temp. ratione; de ultim. successf. c.39. Video quidem alludi ad voces ምት፡ *Quis*, & ለ ሐነ፡ *Creavit*. Sed neque Etymologicè neque Syntacticè hæ voces cohærent.

s) Tellezio malè *Phacen*: neque satis bene *Bacenà*, nam Æthiopicè subscribitur ባዜን, ab Arabico بازن *Bazen*.

mina, ſpeciatim de inſulâ Meroë accipiamus; *in eâ* enim *regnaſſe quondam fœminam Candacem, atque id nomen multis*
9 *jam annis ad Reginas transiiſſe, Plinius* teſtatur. Poſt *Ba-* L.VI.c.29.
zenum trecentorum & viginti ſeptem annorum ſpatio, usque ad *Abrεham* & *Atzbεham* fratres, tredecim Reges in
10 Æthiopia regnaſſe *Tellezius* prodidit. Nomina verò eorum d. l.
non indicavit, fortaſſe quia pro incertis habuit; quam ob cauſam & nos illa in commentarium noſtrum rejiciemus.
11 Ab ABRεHÆ[t] & ATZBεHÆ temporibus multo clarior evadit Habeſſinorum hiſtoria, certioraque Regum nomina dantur.
12 Horum & nonnullorum ſequentium Regum mentio fit,
13 cùm in *Liturgiâ* Æthiopicâ, tum alibi. Nam in διπτύχῳ eorum, ſeu *commemoratione defunctorum* legitur:

ተዘከሮሙ፡እግዚአብሔር፡ለነገሥታተ፡ ኢትዮጵያ፡አብርሃ፡ወአጽብሓ፡	*Memento Domine Regũ Æthiopiæ Abrεhæ & Atzbεhæ.*

14 Poëta meus Æthiopicus ſequens carmen de illis habet: Encom.4. Octob.4.

ሰላም፡ለአብርሃ፡ወአጽብሓ፡ዘነበረ፡
በመንግሠት፡አሐቲ፡እንዘ፡ይትፋቀረ፡
ለእለ፡ትጉት፡ሰብአ፡በትእዛዘ፡ኦሪት፡ዘሖረ፡
ተሰብከ፡በአፉሆሙ፡ለወንጌለ፡ክርስቶስ፡ነገረ፡
ወበእደዊሆሙ፡ካዕበ፡ተሐንጸ፡ማኅደረ።

Salutem Abrεhæ & Atzbεhæ! *qui ſederunt*
In regno uno mutuo ſe amantes. (i. e. concordes)
Priſcis hominibus, qui in præceptis legis Moſaicæ ambulabant,
Ore eorum prædicatum fuit verbum Evangelii Chriſti:
Et manibus eorum quoq; ædificata fuit habitatio ejus. i. e. ædificarunt templa & ædes ſacras.

15 Laudantur ob concordiam, quæ rara alioquin inter fratres regni ſocios eſt, non tamen exemplis caret, claro documen-
16 to: *Regnum collegas pati poſſe, modò illi ſe invicem.* Sed multò magis laudandi, quòd Chriſtianam religionem, *Frumentio* prædicante, amplexi fuerint, ut ſuo loco dicemus. 3,2,14.
17 Quin & *triumviratum* concordem nobis proponunt Ha- B.T.d.l.
18 beſſini, ſi fides illorum libris habenda. Sanè concordiæ ſervandæ multò aptior videtur, quàm duorum regimen; quia duos inter ſe diſſentientes tertius, veluti arbiter, conciliare po-
19 teſt. Triumviri illi Regii fuerunt: ATZFA, ATZFED & AMEY, quos imperium diuturnum per vices feliciter adminiſtraſſe,

 Ha-

t) Arabicum eſt ابرهة *Abreha.* Contractè *Abra.* Malè à nonnullis *Abraham* quod ابرهيم *Ibrahim* efferunt Arabes.

Habeſſini nemini facilè perſuaſerint, niſi vel audiendis nego-
tiis, de quibus in commune conſuleretur: vel communibus
decretis executioni mandandis id factum ſit; quamvis & hoc
maximam concordiam requirat. His ſucceſſerunt ARADO 20
ALADOBA & ALAMID. Quâ tempeſtate multi monachi,
Chriſtianiſmi proferendi causâ, ex Ægypto in Æthiopiam
3,3,2. venerunt, ut brevi memorabimus. *Alamido* ſucceſſit filius 21
TACENA: & poſt iſtum CALEBUS nepos; qui tempore Ju-
B.T.I,32. per tot. ſtini circa annum Chriſti 522. floruit. *Elesbaan* Græci Lati- 22
nique ſcriptores vocant; nomine fortè baptiſmatis Æthiopi-
co ኣጽብሐ : *Atzbeha*; cum Arabico articulo ال compoſito,
nempe الاصبحه, *El-etzbaha*; unde *Elesbaas* factum. Duplex
2,1,33. enim nomen communiter Habeſſinorum Regibus eſſe, pau-
lo ante diximus. Excidio regni Homeritarum & ultione 23
Chriſtianorum, ab impio *Dunawaſo* occiſorum, clarus, &
ob id in faſtos Sanctorum relatus.(21) Digniſſima memoratu 24
hiſtoria eſt, in quâ, cum Græcis & Latinis plerisque, Arabici
atque Æthiopici Hiſtorici pulchrè conſentiunt.[u] ذو نواس 25
Dunawas iſte ultimus Sabæorum, (qui poſtea Homeritæ di-
cti ſunt) Rex, ſectâ Judæus, dirâ perſecutione in Chriſtianos
ſæviebat; foveas enim effodere & pyras in eis accendi juſſe-
rat, Chriſtianorum catervas quaſi compendio crematurus.
Trecenti & quadraginta cum *S. Areta martyre* in urbe ናግ 26
ራን: *Nagran*[x] hoc pacto periêre; rogum pro ſepulchro nacti.
Calebus, à Patriarchâ Alexandrino admonitus, barbaram 27
iſtam crudelitatem non tulit, ſed exercitu centum & viginti
millium comparato, claſſe centum & viginti trium navium
in Arabiam trajecit, victôque Dunawaſo, regnum Sabæo-
rum planè delevit; Nagrano Chriſtianis reſtituto, quibus S. 28
Aretæ filium præfecit. Hujus ſucceſſores fuerunt *Abreha* 29
Elashram: *Jacſum F*: *Masruk F.* quorum regnum in clien-
telâ Habeſſinorum ſeptuaginta duobus circiter annis per-
manſit. Poſt hos *Saif Ibn Di Jazan* è genere Homerita- 30
rum ortus, ope *Anusherwani* Perſarum Regis regnum avi-
tum quidem recuperavit, ſed mox ab Habeſſinis interfectus
fuit. *Perſæ* autem, tum temporis prævalentes, alios Reges 31
Sabæis præfecerunt, quos Habeſſini impugnarunt, quos-
dam

u) Niceph. Calliſt. L. XVII. c. 6. Nonnoſus in Bibl. Photii n.3. p. m. 2. Hiſtoriam fusè habes apud Baronium in Ann. Eccleſ: A. 522. n. 22. qui dicit: Eam ab autore integerrimæ fidei, ejusque temporis ſcriptis proditam, *Metaphraſtis* nomine poſtea editam. Refert illam ex Surio d. 24. Octob. tom. 5.

x) *Negra* Niceph. Calliſto. Lib. XVII. c. 6. *Najran* aliis.

32 dam etiam occiderunt. Ita regnum hoc inter Perſarum & Habesſinorum opes ambiguum, continuis distractum fuit bellis, donec, invaleſcentibus Saracenis, ultimus *Rex Bazenus* Muhammedi ſe ſubmitteret.[y] De hoc fortè accipiendum eſt, quod *Abdelbachides* de Nagashio Habesſinorum Rege, (quem quidem ille Atzhamam vocat) ſcribit, tanquam *Selden. in Vx. Hebr. L. III. c. 26. in fin.*
33 invitante Muhammede ad Islamiſmum defeciſſet. At illa à Græcis ſcriptoribus confuſè & imperfecta tradita fuêre: nominum quoque diverſitas obſcuritatem hiſtoriæ adfert.
34 Nam quæ *Procopius*[z] Helleſtheæo Æthiopiæ Regi tribuit, quaſi ille cæſo Rege Homeritarum (quorum multi Judæi fuerint) alium, Eſimiphæum nomine, Chriſtianum, in ejus locum ſuffeciſſet, ea nemini niſi Calebo competunt; neque enim regnū hoc, ab iſto jam everſum, ab Helleſtheæo iterùm
35 everti potuit. At falſa prorſus ſunt, quæ à *Cedreno* & *Nicephoro*[a] de *Adado* vel *Davide*, quodam Axumitarum Indorum Rege Ethnico, qui Homeritarum Regnum deleverit, & ex voto prius concepto Chriſtianus factus fuerit, ſcribuntur.
36 Non aliam enim hiſtoriam ac illam, quàm nos de Calebo retulimus, eſſe, infra dicetur, cùm de origine Chriſtianiſmi in 3, 2, 36.
37 Æthiopiâ agemus. Id enim *Damiani* vel *Damni* Ebræorum Regis, ex *Dunaan* vel *Dunawas* corrupta nomina, aliæq; cir-
38 cumſtantiæ indicant. Sed mirum non eſt Homeritarum hiſtoriam inter exteros tam confuſam eſſe, cùm ipſi Arabes querantur: *inter omnes hiſtorias* اسقم من تواريخ ملوك حمير *minus ſanam eſſe hiſtoriam Homeritarum.* *Pocok. loco in not. cit.*

39 *Calebum* laudat Poëta ſuprà citatus ſequenti carmine: *Encom. 20. Maji. 1.*

ሰላም ፡ ለካሌብ ፡ ትእምርተ ፡ ኀደጋ ፡ ለብዕሉ ፡
እንተ ፡ ፈነወ ፡ አክሊሎ ፡ በኢየሩሳሌም ፡ ይስቅሉ ፡
ዝንቱ ፡ ኃያል ፡ ኢተመክሐ ፡ በኀይሉ ፡
አመ ፡ በእደዊሁ ፡ ሰሬዊት ፡ ሳባ ፡ ተቀትሉ ፡
ዘእንበለ ፡ ያትርፍ ፡ አሐዱ ፡ እምእሉ ፡፡

Salutem Calebo! (qui) *ſignum reliquit opum ſuarum,*
Dum miſit coronam ſuam Hieroſolymam (ut) *ſuſpenderent eam.*
Hic HEROS *vanâgloriâ uſus non eſt ob fortitudinem ſuã,*
Cùm

y) Iſta fusè habentur in doctiſſimis Clariſſ. Pocokii notis ad Abul-Farajium, in ſpecim. Hiſtor. Arab. p. 62. & ſeqq.

z) in Perſicis ſuis p. m. 34. Hiſtoriam quam refert Procopius in Commentario lectori dabimus.

a) Iſte ſibi planè non conſtat, & ignorantiam ſuam, etiam alibi obviam, hîc inprimis prodit; ſi conferas Libri XVII. c. 6. cum cap. 32. ut in Comment. hoc loco pluribus dicemus.

Cùm per manus ejus exercitus Sabæorum deletus fuisset,
Ita ut non superesset quisquam ex illo.

Encom. 26. Nov. 1. De martyribus autem *Nagranensibus* sic canit: 40

ሰላም ፡ እብል ፡ ሠንክሙ ፡ መአድም ፡
ከዋክብተ ፡ ናግራን ፡ አዕናቍ ፡ ዘአብራህክሙ ፡ ዓለመ ፡
ዐሬቂ ፡ ይኩንኒ ፡ ወመስተሣልም ፡
ቅድመ ፡ አምላክ ፡ ኩናኒ ፡ እመ ፡ ኀጢአትየ ፡ ቀመ ፡
ለእንተ ፡ ሰምዑ ፡ ዘከዐውክሙ ፡ አርኢዎ ፡ ደመ ፡፡

Saluto pulchritudinem vestram amœnam,
O sidera Nagrani! *gemmæ quæ illuminastis mundum.*
Conciliatrix sit mihi (illa pulchritudo) *& pacificatrix*
Coram Deo judice si steterit peccatum meum,
Ostendite ei sanguinem, quem effudistis propter testimonium ejus. 41

Encom. 30. Nov. 2. *Calebo* successit ገብረ ፡ መስቀል ፡ Gebra-meskel, hoc est, *Servus crucis*, etiam in Diptycho nominatus, quem Poëta meus sic salutat: ሰላም ፡ ለከ ፡ ንጉሠ ፡ ክቡር ፡

እንተ ፡ ትትፌሣሕ ፡ በኀይሉ ፡ ለእግዚአብሔር ፡
ገብረ ፡ መስቀል ፡ መዋኢ ፡ ወመገሬሬ ፡ ፀር ፡
በመዋዕሊከ ፡ መዋዕለ ፡ ሰላም ፡ ወፍቅር ፡
ማኅሌት ፡ ሰማይ ፡ መዝሙር ፡ ተከሥተ ፡ በምድር ፡፡

Pax Tibi Rex gloriose!
Qui lætaris (in) virtute Domini
Gebra-meskele *victor & domitor hostium.*
In diebus tuis, dies (erant) *pacis & concordiæ,*
Canticum cœleste, hymnus manifestatus est in terra. i.e.
Cecinerunt hymnum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.*

Sequuntur in Liturgiâ Æthiopum 42

ቈስጠንጢኖስ ፡ Constantinus &
ፍሬ ፡ ሠናይ ፡ Fre-sennai i.e. *Bonus fructus.*

Interrupta fuit familia hæc tempore Delnoadi, qui circa annum Christi 960. regnavit. Post eum alia nova cœpit, de qua nunc agendi locus erit. 43

CAP. V.

De familiâ Zagæâ, & Regibus ex illâ oriundis.

1. Familia Zagæa scelere fœminæ orta. 2. Successores incerti. 5. quidam tamen insignes; 6. inter alios *Degna-Michaël* & *Newaja-Christos.* 7. Iste à Poeta laudatur. 8. *Lalibala* 10. templis è solidis rupibus excavatis clarus. 13. *Naacueto-Laabus* ultimus hujus stirpis, Poëtæ memoratus.

DEL-

1 DELNOADO extincto familia *Zagæa* regnum invaſit: eoque trecentis & quadraginta annis potita eſt; ſcelere fœminæ cujusdam እሳት : *Eſsât* [b] dictæ, cui varia flagitia, veluti impudicitia, ſacrilegia & avaritia immanis impinguntur.
2 Succeſſores ejus incerti: & pleraque nomina quæ *Marianus Victorius* habet, cum annis regiminis ſuſpecta ſunt; ut taceam, quod *Tellezius* diſertè ſcribit: *Reginas in catalogum re-* L. I. 27. p.
3 *gnantium non inferri.* Attamen à Victorio una inſeritur no- 69. b.
mine *Tredda Gabez*, quæ omnes Salomonæi generis poſteros è medio ſuſtulerit, ut filio, ex præfecto quodam Bugnæ
4 concepto, regnum firmaret. *Unicum* tantùm Regiæ ſtirpis *juvenem*, ad primores regni *Shewa*, ſtemmati legitimo addi-
5 ctisſimos, profugum, occultè ſervatum fuiſſe. Invidiosè quidem hujus generationis Reges à Tellezio traducuntur, tanquam injuſti & memoriâ indigni, cùm tamen illa mul- d. l. p. 68. b.
tos inſignes Reges Æthiopiæ dederit, quorum etiam in *Liturgiâ* Æthiopicâ, & apud *Poëtam* meum felix eſt memoria, ut: In N. Teſt.
6 ድግና : ሚካኤል : DEGNA-MICHAEL. p. 160, 3.
ንዋየ : ክርስቶስ : NEWAJA CHRISTOS i. e. *opes Chriſti*;
qui in catalogo Victorii nuſpiam comparet; in Poëta verò Encom. 15.
ſic laudatur: Maji. 2.

7 ሰላም : ለንዋየ : ክርስቶስ : እምነ : ሐቋሁ : ዘአሠረቀ :
ጸዳላነ : ዘርአ : ወብሩሃነ : ደቂቀ :
በእለ : ይትኔረሁ : ነገሥት : እስከ : ተሰብሐ : ጥቀ :
ያሠርጉ : ቤተ : አምላክ : እንተ : ውእቱ : ነደቀ :
በመዝገበ : ንጉሥ : ዘሀሎ : ኢያትረፈ : ወርቀ :

Salutem NEWAJEXOSO, *è lumbis ſuis qui inſtar lucis produxit*
Splendentia ſemina & lucidos liberos;
Ita ut inter Reges ſucceſſores ſuos laudatus fuerit valdè.
(Ut) ornaret templum Dei, quod ipſe exſtruxerat,
In theſauro Regio nihil reliquit auri.

8 Sed longè clarisſimus & magnificentiâ exſtructorum templorum celeberrimus eſt LALIBALA [c] cujus futuram magnitudinem examen apum, recens nato infanti ſine noxâ inſidens, portendit. De eo Poëta: Encom. 12.
Jun. 6.

9 ሰላም : ለላሊባላ : ሐናጺ : መቅደስ : በጥበብ :
በአአባን : ይቡስ : እንበለ : መሬት : ርጡብ :
በዘይትአመር : ዘሎቱ : ምክፋና : ወምግብ :
አምሳለ : መዓር : ተደላ : ነገሥት : ወሕዝብ :
በሀለተ : ተወልደ : ተዐገተ : እምንህብ ::

b) *Ignem* hæc vox ſignificat. c) Iſtius etiam mentionem facit Alvar. c. 54. & 55. ubi idem, quod Poëta, de *examine apum* refert.

Salutem LALIBALÆ *ædificatori templorum artificiosorum* (i.e.
qui templa artificiosè fabricari fecit.)
ex rupibus siccis sine luto humido.
Vt demonstraretur ejus potentia & excellentia,
Instar mellis, quod est in deliciis Regum & plebis,
Die quo natus fuit, circumdatus fuit ab apibus.

Alv.c.54. & seq. B.T.l.27. p.70. Etenim ex Ægypto vocatis opificibus, stupendo & inaudito ad eum diem ædificandi modo, cæmenta non calce aut luto interlevit, nec tectum tignis junxit, sed solidas rupes excavavit, relictis, ubi opus foret, columnis; fornicibus & parietibus è saxo integro sine materiâ consistentibus. 10 Nec rupes Æthiopicæ id genus structuræ abnuebant; quia plurimæ, lateribus æqualibus quasi arte dedolatis, in altum exsurgunt, ut fenestras & portas commodè accipiant; lapide ita molli & tenero, ut dolabras & malleos facilè patiatur.(13) 11 *1,6,6.*

Decem templa hac formâ admirandum in modum constructa *Fr. Alvarez* narrat, quibus viginti quatuor anni insumti. Ipse illa vidit, eorumque ichnographias lectoribus repræsentat. Ne autem de veritate rei quisquam dubitet, dicta sua juramento firmat. Magnificus iste Rex quadraginta regni annos & totidem filius ejus *Imra* implevit. 12 *c.55. circa fin.* *B.T.d.l.*

Vltimus stirpis hujus fuit NAACUETO-LAABUS. De quo Poëta in Encom. 2. Novemb. 2. 13

ሰላም ፡ እብል ፡ እንዘ ፡ እነግር ፡ ክብር ፡
ለናእኩቶ ፡ ለአብ ፡ ንጉሠ ፡ ሰላም ፡ ወተፋቅሮ ፡
ከመ ፡ ኢያደንግጾ ፡ ሞት ፡ ወኢያግህርር ፡
እግዚአብሔር ፡ እምገጸ ፡ ሞት ፡ ሰወሮ ፡
ምስለ ፡ ሕያዋን ፡ ኅቡረ ፡ አንበሮ ፡

Salutem dico, enarrans gloriam ejus,
Naacueto-laabo! *Regi pacis & mutuæ charitatis.*
Ne terreret eum mors, nec metum incuteret ei,
Dominus O. M. à facie mortis protexit eum,
Et cum vivis conjunctim collocavit eum.

CAP. VI.

De familiâ Salomonæâ, per Icon-amlacum restitutâ, ejusque successoribus.

1. Familia Salomonæa restituta. 3. *Icon-amlaci* successores: *Theodorus* 5. *Zer-a Jacobus* Rex insignis. 6. *Baeda-Marjam.* 7. *Alexander.* 8. *Amda-Tzejon.* 9. *Naod* 10. *Etana-Denghel* trinominis; primogenito prælatus ab avia *Helena*, 14. magni animi fœmina. 15. *Davidis* fortuna varia. 18. Ei succ[e]ssit *Claudius F.* qui 19. Imperium ferè pessundatum ope Lusitanorum instauravit. 20. Laudatur ob *sapien-*

pientiam, & 22. *peritiam* in rebus Ecclesiasticis. 23. *Confessionem Fidei* scripsit, 25. Ejus *mors* luctuosa: 26. *Successio* controversa, & 28. armis decisa. 29. *Menas* successor, sævus 30. tam Latinis, quàm 33. suis. 34. Defectio *Bahrnagaßi*. 36. *Malac-segued* F: 37. parente melior: 38. *Bello* felix: 42. *matrimonio* non. 45. *Fratris filium* successorem designat: 46. mox pœnitet; 47. illiq; *Jacobum* naturalem præfert; 49. rursus eum moribundus proceribus commendat. Sed hi 54. captum arctâ custodiâ detinent. 55. Idem *Suuneo* facturi, nisi 56. fugâ elapsus esset. 57. Jacobum *puerum* Regem constituunt; 58. mox tamen imperiosiùs regnantem 60. deponunt, *Zadenghelo* suffecto; qui 61. laudatur à *clementiâ* erga Jacobum, & 65. alios: 66. ut & *fortitudine* in bellis contra Gallanos. 68. Audax illius facinus. 72. *Favor* erga *P. Pays* & *Latinos* illi *odium* attulit. 76. *Conjuratio* procerum. 78. Sacrorum causa prætexitur. 82. Rex Lusitanos convocat: 85. P. Paysii bene consulta spernit: 86. ad prælium festinat: 91. improspere pugnat. 92. Equo deturbatus, 93. telisque confossus moritur.

1 EXtinctâ igitur familiâ Zagæâ circa annum Christi 1300. 2,5,4.
primores Shewæ *Icon-amlaco*, Salomonæi generis Principi, avitum sceptrum restituerunt; cujus posteri usq; ad no-
2 stra tempora in Habessinia floruêre. Sedecim fuisse, ait *Tellezius*, usque ad Zar-a-Jacobum; quos ex *Vecchietto*[d] hîc inferemus, additis Æthiopicè nominibus eorum, quos in L. I. c. 27. p. 68. b.
3 Liturgiâ vel alibi scriptos reperimus. Icon-amlacus, vel ut Æthiopes scribunt:

1. አይኩነ፡አምላክ፡ *A*IKVNA-AMLAC.
2. ያግብአ፡ጽዮን፡ *J*AGBEA *T*ZEJON.
3. *B*AHARSARDA.
4. *E*SBRAAD.
5. *C*ADEM SAGHED.
6. *Z*ENSAGHED.
7. *V*DIMRAD.
8. *A*MDETZEJON.
9. *S*CIFAARAD.
10. *V*DMAASFAN.
11. *D*AVID.
12. *T*HEODORVS,

4 Cujus hanc mentionem facit Poëta in Encom. 29. Jun. 3.

ሰላም፡ለከ፡ለብሔረ፡አግዓዚ፡ንጉሠ፡
ቴዎድሮስ፡ወልደ፡አንበሳ፡
ተዘካረ፡በዓልከ፡ዮም፡በጥብሖ፡አባግዕ፡ወእንስሳ፡
አኮ፡ዘገብረት፡ባሕቲታ፡እምከ፡ጽዮን፡ሞገሳ፡
ደመናትኒ፡አንጠብጠቡ፡ዓሣ፡፡

Salutem tibi regionis Ag-azi (i. e. Æthiopiæ) *Rex*,
THEODORE! *Fili Anbaçæ*. (Leonis)
Solennitatem festi tui hodie mactatione ovium & (aliorum) *animalium*
Non celebravit tantùm mater tua, Tzejon Mogaça:
Sed nubes etiam pluerunt piscibus.

13. ISAACUS. 15. HESBINAANI, *cujus filius*
14. ANDREAS. 16. ዐምደ፡ኢየሱስ፡ AMDE-JESUS.

5 Huic successit 17. ዘርአ፡ያዕቆብ፡ ZER-A *J*ACOBVS, regni no- A. C. 1437.

d) De sacror. tempor. ratione. Lib. VI. ult. success. c. 44.

nomine *Constantinus*. Insignis hic fuit Imperator, & externarum rerum studiosus; Legatos enim suos ad concilium
3,9,8. Florentinum misit, ut infra dicemus.

በእደ፡ማርያም፡ *Baεda-Mariamus* cognomento *Cr-* 6
cap. 98. *riacus* (ut ex *Alvarezio* colligo) ad regnum pervenit cir-
B. T. II, 4. ca annum 1465. post decennium mortuus est, viduâ Helenâ
n. 13. post se relictâ: de qua mox pluribus agemus.

እስክንድር፡ *Alexander* ad imperium pervenit circa 7
annum 1745. mortuus anno 1491. Quo tempore *Petrus Covillianus* Lusitanorum primus in Habessiniam penetravit;
2,1,9. ut supra memoravimus.

ዐምደ፡ጽዮን፡ *Amda-Tzεjon* [e] filius ejus, brevis regiminis 8
fuit; nam post sex menses, sine liberis masculis extinctus, locum patruo fecit.

ናኦድ፡ *Naod* *Baεda-Marjami* filius, *Alexandro* fratre 9
rerum potiente, in rupem Gεshen detrusus: dein mascula illius prole deficiente, à proceribus evocatus, tredecim annos regno præfuit; circa annum 1505. vita defunctus.

ዕታነ፡ድንግል፡ *Etana-dεnghεl* vel ልብነ፡ድንግል፡ *Lεbna-dεn-* 10
ghεl initio regni *David* cognominatus. Post aliquot annos assumsit tertiũ nomen ወናግ፡ሰገድ፡ *Wanag-Saghed* quod Tzagazabus exponit ዕንቍ፡ሰገድ፡ *Enkua-sagedh* i. e. gemma pretiosa, (de quo supra egimus) Naodi ex uxore *Mogeça* se-
cundogenitus filius, Baεda-Mariami nepos. Natu maximum 11
enim, quem Naodus in rupe Amharæ genuerat, *Helena* & *Metropolita Marcus*, penes quos tum temporis summa au-
Alv. c. 59. toritas, *ob ferociam & superbiam* indignum imperio judicaverant, addito: *eum ante regnum patris tanquam à privato susceptum esse*; (24) nisi fortè sibi apud pupillum plus poten-
tiæ polliciti sunt. Nam David tum temporis tantùm unde- 12
cimum ætatis annum agebat, sicut ipse in epistola ad Regem Emanuelem testatur. (25)

Igitur *Helena* avia imperium ceu tutrix pro eo admi- 13
2,1,68. nistravit, prælata matri, quia juniores seniorum Reginarum ætati concedunt; quamvis & illa mater honoris causa sem-

L. I. c. 27. p. 69. a. e) Ista Regum successio ex Tellezio desumta est & convenit cum serie Regum Æthiopiæ vulgata, quam Gregorius non improbavit. Alvarezius hîc mendosus vel memoriâ lapsus est; nam *Amda-Tzionum* plane omittit. cap. 59. Alexandrum Naodi patrem facit, c. 98. & 88. qui reverâ fuit frater. d. c. 59. & 113. Idem *Helenam* vocat *matrem* Regis Davidis, cùm fuerit *avia*; matris tantùm loco habita. Ne Tellezius quidem sibi satis constat, nam L. II. c. 4. & ipse *Amda-Tzionum* omittit, & Helenam neque filium neque filiam peperisse scribit.

14 ſemper appellata fuerit. Prudens & magni animi fœmina fuit. Durat adhuc in Æthiopiâ proſpera ejus fama, eamque *B.T.II.4.* Susneus Rex à ſingulari prudentiâ & moderatione aliquoties *p.110.* laudavit. Clara inter Europæos eſt ex literis ad Emanuelem
15 I. Luſitaniæ Regem miſſis, ut infrà fuſiùs dicemus. Cæterum *David* rebus initio imperii proſperè fluentibus (magnas 2,16,3. enim victorias ab Adelenſibus reportaverat) poſt aviæ mor- 2,15,6. tem, tanquam poſito pudore, in luxuriam & amores fœminarum prolapſus, ſub finem vitæ fortunam adverſam ha-
16 buit. Nam à *Graino*, Adelenſium duce, omnibus ferè regnis atque ditionibus exutus, cum paucis militibus in rupe *Damo* hæſit, ibique quadrageſimo ſexto circiter ætatis annô deceſſit. Inſuper infelix, quod illo regnante *Gallanorum* natio 1,16,13.
17 Habeſſiniæ peſtis, è Baliâ emerſit. Quatuor filios genuit, quorum primus *Victor* ante patrem obiit; de *Claudio*, *Jacobo* & *Menâ* mox dicendi locus erit. In ſacris literis atque tribus primis conciliis probè verſatus fuit; uti ex colloquiis cum Alvarezio habitis intelligi poteſt.(26)

18 ገለውዴዎስ : CLAVDIVS cognomento regio አጽናፍ : ሰገድ : *ATZNAF-SAGHED* dictus, Davidis filius; regnum exorſus eſt infeliciſſimum & calamitoſiſſimum: in extremis regni ſui fi-
19 nibus latitans miraculoſam Dei opem operiebatur, quam tandem, Deô propitio, expertus eſt; auxilium mittente *Johanne III.* Luſitaniæ Rege laudatisſimo, *Chriſtophori Gamæi* nobilis Luſitani viri fortisſimi ductu, qui exiguâ quadringentorum peditum Luſitanorum manu ingentes barbarorum copias fudit, & reſtaurandi imperii Habesſinici 2,15,18. &
20 velut fundamentum poſuit, ut infra pleniùs narrabitur. Ipſe *ſeq.* Claudius perſonam viro Principe dignisſimam geſſit; nam cum venuſtate corporis multas egregias animi virtutes con-
21 junxit, ut ab omnibus imperio dignus haberetur. Sapientisſimum & prudentiſſimum Principem prędicaverunt etiam Patres Societatis,(27) alioquin erga eum alieniores, quod & ille alieniorem ſeà ſubjectione Romani Pontificis præbuiſſet; quamvis cultum divinum pro more Latinæ Eccleſiæ neutiquam prohiberet: neq; ſacerdotibus Romanis libero ſacro-
22 rum uſu interdiceret. Doctus etiam & in antiquitate Eccleſiaſticâ probè verſatus erat, ut teſte P. Tellezio, *doctores ejus* L.II.c.27. *præ illo prorſus rudes viderentur*; nam in disputationibus cum P. Societatis habitis *illum ipſum plerumque verba feciſſe,*

tantâ vehementiâ, (Tellezius sic scribit) que as vezes dava
d.l.p.173.a. que fazer, *ut interdum negotiũ illis facesseret.*[28] Cùm autem 23
animadverteret, Habessinos culpari, quasi ritus quosdam Judaicos contra jus Christianorum usurparent, *Confessionem Fidei* scripto consignavit, brevem & succinctam, qua objecta diluit, & se suosque egregiè excusavit. Eam pridem edidimus[f] & in Commentario [29] rursum in lucem daturi sumus. Tanto ergo tamque præclaro Regi nil nisi schisma à 24
Patribus Societatis objici potuit. Intra octodecim annos, & aliquot menses regnum ejus stetit, laboriosissimum sanè, ob crebra cum Adelensibus bella; qui, cladis acceptæ memores, ultionem frequenter intentabant. Rex manu impiger, 25
nullum detrectabat prælium, donec mense Martio A. 1559. contra *Nurum* Adelensium ducem, fugato exercitu suo, octodecim tantùm Lusitanis stipatus, acriùs quàm cautiùs pugnans, immaturam quidem, sed non inultam mortem oppeteret. Nullos liberos post se reliquit; ex eo factum, ut 26
2,8,16. ambiguo valdè in Æthiopiâ succedendi jure, inter fratrem *Menam: & Tazcarum* fratris Jacobi secundo geniti, jam fato functi, filium, tametsi illegitimum, dubitaretur. Hic 27
enim patris sui, dum viveret, ætate prioris, nomine, tanquam repræsentationis jure, regnum sibi vindicabat:[30] Ille pro- 28
ximiorem se Regi fratri defuncto, quàm illum illegitimum asserebat. Controversia armis decisa, & *Tazcarus*, prælio captus, saxo dejectus fuit.

ሚናስ : *Menas* cognomento አድማስ:ሰገድ: *Adamas Sa-* 29
ghed[g] regnum, ut modò diximus, adeptus, ingenio trux, à
1,14,7. lenitate, veritate & pietate Habessinorum, ut ex *Tellezio* retulimus, procul declinavit; quasi feritatem inter Turcas & Arabes, inter quos diu captivus fuerat, didicisset. Nam & 30
Lusitanos, tanquam in rem suam intentos, aversatus est: & libertatem Romanæ religionis sustulit: neque cuiquam Habessinorum templa Latina ingredi permisit. Licentiam, 31
quam decessor ejus Claudius, uxoribus atque familiæ Lusinorum templa Romana frequentandi dederat, hic revocavit; ut plerique mansuetudinem Claudii, quâ antea non fuerant contenti, requirerent. Episcopum Romanum *Andream* 32
Oviedum, qui tempore Claudii adventantem Patriarcham Romanum præcesserat, ludibrio habuit, & aliquot menses in

f) In Anglia A. 1661. Addita reperitur Lexico & Grammaticæ nostræ Æthiopicæ.
g) Male hunc nonnulli historicorum, gemmam intelligi nescientes, vocant *Adamum*.

33 in carcere detinuit. Sed neque popularibus ſuis multò mitiorem ſe præbuit; quam ob rem alienati animo, paſſim ab
34 illo defecerunt. Inter eos *Iſaacus Bahrnagashus* præcipuæ dignationis vir, & militiæ peritus, in regnum vocato Turcarum auxilio, d. 20. Aprilis A. 1562. Regem prælio ſuperavit, & occidit; atque ex illo tempore Turcæ littore maris rubri po-
35 titi ſunt. Tres filios reliquit *Sarza-Denghelum, Leçanaxum* & *Tazcarum*. Ex quibus iſte ſine liberis obiit.

36 ሠርጸ:ድንግል: SERTZA-DENGHEL ſolennia regni capeſ- B. T. III. 14.
ſens መለክ:ሰገድ: MALAC-SAGHED cognominatus, & Axu-
37 mæ priſco more inauguratus fuit. Parem virtutibus ſuis expertus eſt fortunam; nam & manu ſtrenuus & plenus conſilii fuit. Regnum bellis internis & externis turbidum, ſi Gallanos
38 excipias, pacavit. Et primo *Turcas* Dobaruam maritimæ provinciæ metropolim obtinentes, *Tigrâ* pepulit. Potuiſſet eos etiam *Arkiko* portu & inſulâ *Mazuâ* ejicere, & ſic aditũ & portus regni ſui liberare, niſi ad mediterranea, reprimen-
39 dis Gallanorum incurſibus, revocatus fuiſſet. Hi viginti quinque annorum rapinis, dum Habeſſini tot aliis bellis atque turbis diſtinentur, in tantum creverant, ut jam non tumultuariâ manu, ſed juſtis exercitibus Habeſſiniam incurſa-
40 rent. Proinde toto vitæ tempore, proſper aliàs bello, cum illis luctatus fuit. *Enaream* tamen ſubegit, ejusque Regulum 1, 3, 18.
Chriſto addixit. Quippe rem Chriſtianam ſecundùm leges B. T. II. 35.
41 Eccleſiæ Alexandrinæ ſedulò curavit. Latinorum ſacra in medio reliquit. Patrum Societatis mores & ſtudia ſæpiusculè laudavit: doctrinam ſprevit; *mores eorum imitandos, non doctrinam ſequendam*, dictitans.(31) Certè mores & doctrina non ſemper conveniunt; *ideoque interdum doctrina tenenda, quamvis mores non reſpondeant: & mores imitandi,*
42 *quamvis doctrina ſalutaris non ſit.* Cæterùm rebus geſtis felix, matrimonio infelix fuit; ex uxore ማርያም:ሥና: *Mariã-*
43 *ſenâ* multas quidem filias, nullum verò filium ſuſtulit. Naturales quidem duos, quorum alter *Za-mariam*, alter *Jacobus* dicebatur, procreavit; ſed illi per jus regni ſuccedere non
44 poterant.[h] Itaq; contigit illi, quod multis aliis, qui illegitimo amori magis, quàm legitimis uxoribus dediti ſunt, *ut ſucceſſore ſui ſanguinis deſtituantur*, haud rarò quoque bellis atque cædi-

h) Tellezius diſertis verbis tradit L. III. c. 14. p. 243. b. Em filhos baſtardos nam ha ſucceſſam, ſegundo as meſmas leys de Ethiopia, &c. *Filiis illegitimis non competit ſucceſſio ſecundùm ipſas Æthiopiæ leges.* Quæ tamen parum conveniunt cum iis quæ L. III. c. 29. p. 281. docet, ut in Commentario noſtro oſtendemus.

cædibus patriam ſucceſſionis causâ compleant.(32) Primò 45
igitur fratris Leçanaxi filium *Zadenghelum* ſucceſſorem de-
ſignatum, in aulâ ſuâ cultu regio, ut filium Principis, primo-
ribus regni oſtentavit: deinde paucis ante mortem menſibus, 46
mutatâ volũtate, alieniore ab illo animo eſſe cœpit, ſive quòd
orientem Solem magis, quàm occidentem coli ſuſpicaretur:
ſive ipſe *Zadenghelus*, quaſi ſucceſſionis certus, ſenem pa-
truum minus revereretur: ſive denique mores ejus magnati-
B.T. III,14. bus non placerent. Vtcunque res ea ſe habuit, *Iacobus* ſe- 47
ptem annorum puer, antea Regi nunquam viſus, repentè in
aulam venit, haud obſcurâ ſignificatione, hunc tanquam
proprium Regis ſanguinem *Zadengehlo* prælatum iri. Ma- 48
gnates, ſive Regem monere non auſi: ſive regiam poteſtatem
apud pupillum ſpecie tutelæ uſurpaturi, annuunt Regi; dede-
runtque rurſus documentum, *quàm incerta ſit regnorum
tranquillitas, ubi vel jus ſuccedendi incertum: vel nulli Or-
dines ſunt; ſed ſolis aulicis, in ſua commoda ſine poſteritatis
curâ intentis, ſumma rerum committitur.* Nihilominus, mi- 49
rum dictu! cùm Rex, è bello Gallanorum reverſus, in mor-
bum incidiſſet, & ſupremum vitæ diem adeſſe ſentiret, jus &
fas magis apud ipſum valuit, quàm aut odium cõntra fratris
filium: aut amor erga naturalem. Itaque convocatis regni 50
primoribus, in hunc modum locutus fertur: *Quandoquidem
vitæ meæ finis imminet, poſt animæ curam regni potiſſimam
rationem habendam duxi; cujus ſalutem, non minus ac ani-
mam meam, ſemper dilexi. Iacobum quidem, cùm legitimum* 51
*non haberem, pro filio amavi: dotesque animi tanta hæredi-
tate non indignas in eo animadverti, ut nec me pœnitere potu-
iſſet, ſi illum ſucceſſorem conſtituiſſem, nec vos, ſi illi paruiſſe-
tis. Nunc autem amorem patriæ & fas regni privato affectui* 52
*antepono. Zadenghelum fratris mei filium, agnatum proxi-
mum, bonum bello, maturum annis, ſpectatæ virtutis, vobis
commendo, qui tantum faſtigium, quod ſorte naſcendi illi de-
An. 1596. betur, etiam virtutibus ſuis meritus eſt.* His dictis animam 53
circa fin. haud ita multò pòſt efflavit.
Auguſti.
At proceribus improviſum planè accidit, Regis volun-
tatem mutari; penitus enim infixum animis illorum erat, ma-
jeſtatem Regni ſub Rege pupillo exercere; & jam munia re-
gni tacitâ deſtinatione inter ſe diviſerant. Igitur, quaſi ere- 54
ptam ſibi poteſtatem dolentes, perfidè inter ſe conſpirant,
mor-

mortem Regis celant, & raptim miſsâ militum manu *Za-*
denghelum capi jubent, eumque in *Dekam* lacus Tzanici in-
ſulam deportant: ubi illum diu attinuerunt; dein mutatâ per
varias rupes cuſtodiâ, huc illuc traxêre, quò conſpirationes
55 cum popularibus vicinis prævenirent. Idem *Susneo*, regio
propinquo, intentabant; quòd is juvenis, animo ferox, &
manu promtus, turbato ſemel ſucceſſionis ordine, regnum
56 affectaturus videbatur, uti poſtea fecit. Sed ille tempeſtivè
ad Gallanos confugit, atque inter eos ad bellum imminens
57 ſeſe firmavit, illorum, ſi res ita ferret, ope uſurus. Principes
factionis erant *Ras Athanaſius*, ſummæ vir auctoritatis: &
Keflawahedus Prorex Tigrenſis; qui, adſcitâ in ſocietatem
Reginâ viduâ ſocru ſuâ, retinendæ per generos potentiæ avi-
dâ, quaſi per ſpeciem legitimi regiminis, JACOBUM ſepten-
nem, (qui propterea ሕፃን፡ ንጉሥ : *Rex infans* dicebatur) inſi- *A.1596. ſub*
gni regio evinciunt, vim imperii ſibi reſervantes; inſolito *init. Sept.*
58 cum fœminâ triumviratu, ac ob id non diu duraturo. Ete-
nim ſeptem poſt annos Jacobus, pubertatem ingreſſus, tot
tutorum impatiens, regni habenas ipſe tractare cœpit; impe-
rioſiùs fortè, quàm adoleſcentem quindecim annorum de-
59 ceret. Illi maturè nimis ſummâ poteſtate privari ſe ægrè fe-
rentes, ingruente parendi neceſſitate, legitimo Regi obtem-
60 perare, ejusque novam gratiam mereri maluerunt. Idcirco,
priusquam adoleſceret Jacobi autoritas, quaſi pœnitentiâ
ducti, quòd infantem & illegitimè natum ætate florenti, le-
gitimoque ſucceſſori prætuliſſent, ZADENGHELUM, in re-
motis montibus latentem, revocant: & Regem cognomen- *A.1603.*
to AZNAF-SAGHEDUM ſalutant; idque eò promtiùs quò *circa fin. Aug.*
minùs rationem facti apud novum Regem reddere opus ha- *B.T.III.18.*
bebant.

61 *Jacobus* octo duntaxat ſatellitum comitatu (cæteri enim
cum fortunâ illum deſeruerant) in *Samenam* ad materni ge-
neris propinquos contendit; ſed in itinere agnitus, & captus
ad Zadenghelum reductus fuit; qui ſingulari animi bonitate,
& rarâ clementiâ erga æmulum uſus, ſuoque jure fretus, illi
nihil quicquam, ne aures quidem & naſum, (quod aliis in *B.T.III,14.*
62 tali caſu factum, multique ſuadebant) ademit. Noluit enim *in fin.*
ſe ſcelere polluere, *tyrannorum more, qui vel juri ſuo, vel*
popularibus diffiſi, imperii æmulos, ut ut innocentes, è medio
tollunt; culpam fortasſis non eorum, ſed ſeditioſorum futu-
ram, illis in anteceſſum imputantes.(33) Igitur in *Enaream*, re-

motiſſimum Æthiopiæ regnum, miſſus Jacobus, arctâ (33)
cuſtodiâ circumdatur, brevi in regnum cum pernicie ſuâ re-
ſtituendus.

Erat *Zadenghelus* dignitate ſermonis & vultus juxta ve- 64
nerabilis: (ut ferè regii ſanguinis Principes in Habeſſiniâ ſunt)
juv[illegible]ute gratâ: ſecundarum adverſarumque rerum expe-
rientiâ tantô faſtigiô dignus: &, quod omnes laudes ſuperat, 65
clemens, & veniâ facilis; in neminem enim tot inimicorum,
quod jure poterat, animadvertit: quin omnes in officiis &
eodem honoris gradu, ipſamque Reginam, quam procul
dubio maximè adverſam habuerat, ſine contumeliâ reliquit.
Tam mite & lene ad culpam usque (ut Tellezius cenſet) *eſt
iſtorum Regum ingenium.* Præterea manu ſtrenuum & in 66
periculis impavidum ſe gerebat; vix enim regnum capeſſe-
B.T.III.15. rat, cum *Gallani* diſſidiorum aulæ gnari, tribus exercitibus
in Habeſſiniam irrumpentes, præſidem Gojamæ, contra im-
perium Regis pugnam auſum, vicerant. Rex verò ſuperve- 67
niens, quamvis defatigatis ex itinere militibus ſuis, animo
majore quàm viribus, hoſtem adoritur; qui, victoria fero-
cior, Habeſſinos impellit tanto impetu, ut Duces, inclinatâ
ſuorum acie, maturam Regi fugam ſuaderent. At ille, irâ 68
accenſus, quaſi ignaviæ argueretur, equo deſiliit, prehenſo
ſcuto, & ſtricto gladio exclamans: *Hìc ego moriar. Vos, ſi lu-
bet, fugite; vim fortaſſe Gallanorum, infamiam verò deſerti
Regis veſtri certè non effugietis.*

Hâc voce, ſimulque vultu Regis ſui commoti Habeſſini 69
globo facto, veluti furentes & mori parati incumbunt, cede-
re Gallanos cogunt; quo viſô, etiam fugientes reverſi præliũ
redintegrant, & ad ſatietatem & multam noctem hoſtes cæ-
dunt, majore quâm unquam aliàs editâ illorum ſtrage.
Tam inſigni victoriâ utendum ratus, non epulis aut luxui, 70
recreandi corporis prætextu, indulſit, ſed copias ſuas, per
aſpera & montoſa loca, raptim contra alterum hoſtium ex-
ercitum duxit, eumque pari felicitate profligavit: tertius,
non exſpectatâ Habeſſinorum vi, in loca tuta ſe recepit.
Quadringenti in arduo & inacceſſo quodam monte cum 71
prædâ tutos ſe putabant; ſed Habeſſini hoſtem, clade ſuorum
pavidum, jam ſpernentes, magnis animis eos deturbarunt,
atque ad unum omnes mactarunt.

Sub idem tempus P. *Petrus Pays* è Societate Jeſu ſuperio- 72
ri anno in Habeſſiniam appulſus, Rege vocante, in aulam

venit,

venit, eumque variis & crebris de rebus ſacris atque profanis
ſermonibus ita devinxit, ut primò clam, deinde palam reli-
gionē Latinam amplecteretur, idq; literis ad Pontificem Ro- *d. l. c. 18.*
manum & Philippum III. Hiſpan. Regem datis, teſtificare-
tur: atque Luſitanos Habeſſinis ſuis plerumque præferret.
73 Verùm enim verò favor iſte erga exteros & peregrina ſacra
74 odium popularium, dehinc perniciem illi attulit. Nam *pri-*
mores Regni religionem antiquā mutari: & *Alexandrinum*
Patriarcham, Eccleſiarum Africanarum caput, deſeri, ini-
75 quisſimè ferebant. Adhæc invidiâ in Luſitanos: denique
odio adverſus *Laeca-Mariamum*, præcipuum Regis ami-
76 cum, ſtimulabantur. Itaque inter ſe conjurant. Principium
penes *Zaslaçaeum*, humili loco natum, ſed militiâ clarum &
ob id ſuperbum. A *Iacobo* in exilium miſſus, à *Zadenghelo*
revocatus & Dembeæ præpoſitus fuerat: beneficii imme- *B. T. III, 19.*
77 mor, & ingenitâ pervicaciâ neſcius parendi. In ſocietatem
criminis trahitur *Ras Athanaſius*, ſummus belli Dux; qui,
dignitate primus, ſecundum ſe in amicitiâ Regis eſſe ange-
batur; quapropter contra optimum Regem, tanquam ac-
78 cepti à ſe regni oblitum, unà inſurgit. Sed *ſacrorum cauſa,*
commovendis hominum animis validiſſima, prætexebatur;
non enim ignorabant, quæ pro introducendis Latinis ritibus
79 in aulâ parabantur. Crebris autem queſtibus vulgabant:
deſciviſſe Regem ab Alexandrinâ Eccleſiâ, communi ſuâ ma-
tre; neque aliud crebris cum Jeſuitâ colloquiis, & clandeſtinâ
illius familiaritate agi, quàm ut, abrogatis majorum inſtitu-
tis, novæ ceremoniæ & peregrini ſacerdotes in regnum intro-
ducerentur: venturos Luſitanos, & ſacra ſua contra invi-
80 *tos armis ſtabilituros: aliquando & regnum invaſuros. Sub-*
veniendum ergo patriæ, nec tolerandum Regem, qui verum
Dei cultum non toleret. Neque enim injuriâ deſeri eum, qui
81 *prius veram religionem deſeruiſſet.* Iſta facilè perſuadebant
eadem ſentientibus. Sed nihil æquè alienaverat hominum
animos, quàm quod Luſitanos dictitantes audiverant: *re-*
ductionem Æthiopiæ (ſic converſionem *vocant) fruſtra ten-*
82 *tari, niſi vi militari fulciretur. Rex* cognitâ conſpiratione,
Luſitanos protinus *convocat*, quibus, ut externis & Latinæ
religionis hominibus fidebat; raptimque in *Gojamam* pro-
83 fectus, in itinere *deſeritur*, primùm à *Ras Athanaſio*, quem,
licet ſuſpectum, capere auſus non fuerat: deinde à *Jonaële*

Ducum præcipuo. Horum exemplum plures ſecuti Regem
deſtituunt. Is, cum paucis relictum ſe videns, Petro Payſio 84
dixit: *Hoc mihi à meis ideò contingit, quòd viam veritatis eis
oſtendere, & debiliores à potentiorum oppreſſione liberare vo-
luerim.* Suaſerat illi *Petrus* & Luſitanorum præfectus *Iohan.* 85
*Gabriel, ut bellum in longum traheret, donec animi rebellium
defervescerent, adfuturos cum innocentibus ſubjectis amicos:
venturam cæteris pœnitentiam; ſeditionem torrenti ſimilem
eſſe, cujus vis, initiò maxima, ſenſim decreſceret.* Sed ille 86
omnis moræ impatiens, cunctationem in diminutionem ſui
accipiebat, audaciæ nimius, & ætate fervens, *fortunam belli,*
B.T. III, 20. in celeritate haud rarò poſitam, *experiri ſtatuit*, priusquam
conjuratorum vires coaleſcerent. Sic vix duodecim millium 87
exercitu collecto regreditur, *inopinantes oppreſſurus.* Iſta
verò feſtinatio malè ceſſit. Nam plerique adverſariorum 88
viri militares erant, qui ſuas res haud negligenter agebant:
nec minus & ipſi animis ardebant prælio decernere, prius-
quam Rex vires ſuas colligeret.

Interim undique confluxerant novæ religionis hoſtes, 89
inter cæteros *Abuna Petrus*, Metropolita Alexandrinus,
præcipuum rebellionis inſtrumentum; qui exemplo in Æ-
thiopiâ inaudito, & divinis humanisque legibus adverſo, re-
belles à nexu ſacramenti, Regi ſuo legitimo dicti, quod ipſi
jam tum ruperant, deteſtabili excommunicatione abſolvit.
Sic animoſiores facti, ſpretâ Regis Majeſtate, reverentiam in
odium vertere. Igitur infeſtis animis concurritur. Luſitani, 90
qui in dextro cornu præliabantur, aciem diu ſuſtentaverunt,
cauſam Regis & religionis ſuam eſſe rati. At in ſiniſtro cor- 91
nu, ubi Rex ipſe curabat, improſperè cuncta cedebant; multi
enim ad hoſtes transfugiebant: multi ceu ſpectatores in lo-
cum tutum ſe recipiebant, fortunam ſecuturi. Rex à ſuis 92
paulatim deſertus, diu fortiter dimicavit, donec *Laeca-Ma-
riamo*, cæterisque ſatellitibus interfectis, ictu haſtæ equo de-
turbaretur. Cùm verò pugnam reſumturus ſurrexiſſet, telis 93
eminus miſſis, quaſi eum cominus confodere vererentur, oc-
d. 15. Octob. 1604. ciſus atque ſpoliatus, tertio demum poſt pugnam die ſine ul-
B.T. III, 21. lo honore, in exiguo ſacello, quod juxta erat, tumulatus fuit.
tantus repentè cum odio contemtus inceſſerat. Hunc fi- 94
nem, brevis vitæ & regni, habuit præclarus & legitimus Æ-
thiopiæ Rex; luctuoſo documento, *ſacrorum cauſam mo-
deratè*

deratè & prudenter tractandam: Regisque personam prælio temerè non committendam, præsertim ubi successor in incerto est; quòd inter alia comprobat funestum Regis Lusitaniæ Sebastiani exemplum.

CAP. VII.

De Regibus hujus seculi usque ad nostra tempora.

1. *Susneus* regnum affectat; 5. *à Ras-Athanasio* ut Rex excipitur: 7. Idem à *Zaslaçao* petit; 8. qui primò tergiversatur, 12. deinceps imperata facit. Mox, 14. superveniente *Jacobo*, 16. isti accedit, 18. eumque *Ras Athanasius* mutatâ voluntate sequitur. 19. Sic *Jacobus*, *Rex* denuo factus, cum *Susneo* concordiam tentat, sed 20. frustra. 21. Sumuntur ergo arma utrinque. 24. *Susneus* astutior *Zaslaçaum* fugat: eumque 26. postea in partes suas trahit. 28. Novum rursus bellum; in quo 32. *Iacobus* cum *Abunâ* cadit. 33. Equites multi noctu de rupe in præceps currunt. 34. Inter eos Lusitanus mirè servatus. 35. *Victoris* clementia. 36. *Zaslaçaus* carceri inclusus 39. elabitur; *Walekam* & *Gojamam* invadit, & à paganis interficitur. 41. *Ras-Athanasius*, ab omnibus contemtus, *febri* moritur. 43. *Susneus* Lusitanos & *Patres* Societ. amat: 45. *Pontifici Romano* se dat. 47. *Falsus Jacobus* Habessiniam turbat; sed 51. adventum Susnei non sustinuit. 52. Similis impostor *Tzagaxus* Jacobi filium se ferens à *Rege Galliæ* amplâ pensione annuâ donatur. 56. Forma fuit venerabilis; sed 57. valdè libidinosus. Ejus Epitaphium ludicrum. 58. Alibi filium *Arzoi* se jactavit. 61. *Susnei natales*; animi corporisque bona, 63. *vita*, 65. *mors*. 66. Ejus Filius *Basilides* Patres Societ. Æthiopiâ pellit. 67. Fratres suos (si Tellezio fides) occidit. 69. Tabula Geneal. novissimorum Habessiniæ Regum.

1 CÆso Rege Zadenghelo bellum quidem desierat, sed pax nondum cœperat. Etenim rebelles, tam repentinam victoriam non sperantes, de successore non cogitaverant. d.L. c.25.
2 Quapropter, tanquam æmulatione stupidi, *Ras Athanasius* in Gojamam, *Zaslaçaus* in Dembeam abierunt, nihil in
3 commune consulentes. Tunc *Susneus*, auditâ Regis nece, Regnum ad se devolutum existimans, quia Basilidis filius, Jacobi nepos, & Davidis Regis pronepos erat; tum juvenis continuis bellis inter Gallanos exercitus, ac fortissimis viris stipatus, ex amicis fidissimum ad Ras-Athanasium præmittit, qui brevibus nunciaret: *Quandoquidem regnum hæreditatis jure ad se pertineret, milites suos statim conjungeret;*
4 *idque se grato animo agniturum.* Ipse expeditâ manu raptim profectus, non exspectato responso, ut Rex factus Athanasio scribit: *adesse sese; itaque obviam progrederetur,*
5 *seque suetis honoribus exciperet.* *Athanasius* inopinato Susnei adventu perculsus, inops consilii, utrinque periculoso, sive abnueret eum, sive admitteret. Tandem, quia auxilia pro-

procul, nulla dilationis ſpes, ut conſilia cum Zaslaçæo com- 6
municare poſſet, prævenire gratiam novi Regis, quàm incerta belli experiri, maluit. Itaque *Susneus*, caſtris honorificè exceptus, *Rex conſalutatur*. Quo facto, illicò ſcribit Zasla- 7
çæo: *ſe, Deo propitio, ſolium avitum conſcendiſſe, atque nunc in Dembeam proficiſci; quare operam daret, ut in officio eſſent copiæ ad ſeſe excipiendum, & merenda beneficia, quæ illis impertire paratus eſſet.* At ille, quamvis improviſo nuncio 8
perterritus, agnoſcere dubitavit Regem, quem ipſe non feciſſet; habito itaque cum ſuis conſilio, *tum ſe obtemperaturum*, reſpondit: *cùm Jacobus, cui regnum per legatos jam detulerit, ante Junium menſem non veniſſet, hanc brevem moram ſe petere.* Susneus, cui iſta conditio placere non 9
poterat, reſpondit: *Se jam Regem eſſe, neque Jacobo, ſemel indigno judicato, neque etiam illius Patri Malac-ſaghedo, ſi ex altero mundo rediret, ceſſurum.* Hoc animoſo re- 10
ſponſo accepto *Zaslaçæus*, æquè impiger, infeſto exercitu ſtatim obviam proficiſcitur; quâ celeritate præventus *Susneus*, imparem ſe viribus ſentiens, & fortè morbo correptus erat, in avios Amharæ montes ſe recepit. Ras-Athanaſius quoque, cui præcipitantiam Zaslaçæus exprobrabat, in aſpera & invia exercitui loca ſe contulit, indignationem ſocii vitaturus.

A. 1605. Interim nullo à Jacobo nuncio veniente, cæteri exerci- 11
tus duces, legati atque tribuni varios ſermones ſerere: *ſe ſine Rege eſſe non poſſe, ſi Jacobus non veniret, Susneo potiorem eſſe neminem; illum autem non quieturum, ſed diadema, niſi ſponte daretur, vi ſumturum.* Zaslaçæus, mobile ſuorum in- 12
genium, & ob id defectionem metuens, legationem decernit, atq; ſceptrum Susneo defert; qui ſtatim aliquem miſit, cui ſuo nomine ſacramentū diceretur. Quo dicto, decem è ma- 13
gnatibus novo Regi obviam proficiſcuntur: feſto apparatu in confinibus exceptum in caſtra deducturi. Jamque gratulantium votivæ acclamationes paſſim audiebantur: additæ etiam epulę, aliaq; ſolennia in Regum inaugurationibus conſueta; cùm repentè novi à Jacobo nuncii ſupervenientes in- 14
tempeſtivam lætitiam turbavêre. tam ſubitâ mutatione, ut nunquam magis fortuna regnaturis illuſerit. Nam Jaco- 15
bus modò depoſitus, modò reſtitutus, inter ſumma & ima, quod aliàs rariſſimum, medium bis expertus eſt. Autores

verò

verò tantarum turbarum amorem & odium prorſus impunè
exercebant; ut ſcenicum magis, quàm ſerium regnum parari
16 videretur. Etenim Zaslaçæus *Jacobo*, quaſi is Susneus eſſet,
cui paulo ante juraverat, ſine ullâ hæſitatione obviā proceſſit,
adventantē ſolitis Regum honoribus extulit: & cum toto ex-
ercitu *Imperatorē* ſalutavit; legatis, quos apud Susneum ha-
17 bebat, clam revocatis. Iſte tempori ſerviendum ratus fortu-
næ rurſus ceſſit: ſeque in Amharam iterùm abdidit; didice-
rat enim infelici Zadenghԑli exemplo, *ſeditionibus & tumul-
tibus popularibus, quoad deferveant, paulisper cedendum es-
ſe; nam redire populis poſt primum impetum modeſtiam ac
18 pœnitentiam.* Ras Athanaſius, atque ille tantus vir, fortu-
nam magis quàm fidem ſequi ſuetus, Susneum eâdem facili-
tate, qua exceperat, rurſus deſtituit: & Jacobum Regem ve-
19 neratus eſt. Cæterum Jacobo conſultum non videbatur
æmulum juxta ſe pati; quamobrem concordiam cum illo
tentaturus, matrem ad filium pergere, eique nominè ſuo of-
ferre jubet *Amharam, Walekam & Shewam, regna: nec non
agros omnes, quos pater ejus poſſederat, & ipſe eousque fru-
20 ſtra flagitaverat.* At *Susneus*, altos gerens ſpiritus, negavit
*ab hominibus adimi ſibi poſſe, quæ Dei munere acceperit. In-
tegrum ſibi regnum deberi, quod niſi cum vitâ relicturus non
eſſet: Iacobum rectiùs atque æquiùs facturum, ut poſito dia-
demate quieſceret, quàm ſibi atque patriæ perniciem accele-
21 raret.* Hoc ſuperbo reſponſo audito, non colloquiis ſed
armis transigere decrevit Jacobus, priusquam denuo muta-
22 tio naſceretur. Susneus autem cunctandi jam peritus, vim
Jacobi per abditas & devias rupes eluſit, in occaſiones inten-
23 tus, quæ brevi ſe obtulerunt. Quippe Zaslaçeus, ſive even-
tum prælii ſpeculaturus: ſive indignatione quâdam occultâ,
lentiùs profectus, Jacobo copias ſuas tempeſtivè non con-
junxerat: & contra morem militiæ negligenter ac remiſsè
24 cuncta agebat; famam ſui hoſtibus terrori eſſe putans. Gna-
rum id Susneo; qui compendio viarum illi tam ſubitò im-
proviſus ſupervenit, ut milites ejus neque arma expedire: ne-
que aciem inſtruere: aut imperium accipere poſſent. Itaque
pecudum more cæſi atque fugati fuerunt; Zaslaçæus amiſſo
25 exercitu, turpi fugâ ſalutem quæſivit. Quæ victoria, ſicuti
partes Jacobi fregit, ita Susnei erexit, *plerisque mortalium, ex
26 primis ſucceſſibus futuros augurantibus. Zaslaçæus* ipſe longè
mi-

minore gratiâ apud Regem esse: iste verò eum suspectare. Igitur quamvis tot honoribus, tot beneficiis à Jacobo auctus (ipsum enim ባሕት : ዴጅ : h.e. *legatum Regium* creaverat) consilia cum Susneo sociare cœpit, proditione ceu merce quâdam utens erga pluris æstimantem. Susneus, potentiâ viri 27
tunc opus habens, non recusavit, eumque dissimulato odio, in societatem belli admisit, simul ut, illo abstracto, æmuli vi-
B.T.III,28. res imminueret. Jacobus, auditâ illius defectione, maturan- 28
dum sibi ratus, priusquam plures hoc exemplum sequerentur, aleam prælii jacere statuit; quia numero militum longè prævalebat: neque ob paucitatem militum abnuit Susneus, sed astu acturus, per loca aspera incedens, more leonis speculabatur tempus insiliendi. Hostes cunctationem ejus pro 29
pavore habentes, multitudine suâ freti, insolentiùs agunt, & tamdiu Susneum lacessunt, donec eos in locum angustum, ubi ab hostibus circumveniri non posset, pertraxisset. Ibi milites suos hortatus: *Adesse*, inquit, *jam diem, quo se Regem* 30
Æthiopiæ facere possent; illos verò, prout rem gererent, servos vel dominos futuros. Se non tantùm victoriæ, sed periculorum socium fore; victoriam in manu illorum positam, modò non prius hostibus terga darent, quàm se ipsum fugere viderent.
A.1607.d. 10. *Martii.* Sic animatis pugnæ signum dat; atque illi tantam impressio- 31
nem faciunt, ut hostes impunè prosternerent, attonitos, & veluti mirabundos, quòd ab illis fugarentur, quos fugituros putabant. Magna latè strages edita, cum exiguo damno 32
Susneanorum. Ipse Jacobus, cum Abunâ suo Petro, qui hostes anathemate frustra percusserat, hoc prælio cecidit. Quo intellecto Susneus signum receptui dedit, ut parceret plebi, & genti suæ, famamq; clementiæ, novo regno necessariam, sibi pararet.

At tantus terror Jacobæorum animos invaserat, *ut sexcenti equites* turbâ fugientium impulsi, nescii locorum atque viarum, licet nemine insequente, noctu *de* excelsâ & præruptâ *rupe præcipites ruerent.* In his *Lusitanus* quidam *Ema-* 34
nuel Gonsalvius, equum suum in æthera ferri maturè sentiens, utique certus, quòd *Pegasum* non equitaret, laxatis habenis & stapedibus eum dimisit, vicinæ arboris ramô, quem fortè fortunâ comprehenderat, totam noctem insidens, magnitudinem periculi tum demum intellexit, cum illucescente die, equorum hominumque acervum non sine horrore infra

35 ſe deſpectaret.(34) Tantâ victoriâ reportatâ *Susneus* in nemi-
nem ſævit; ſolum *Mahardinum*, Islamiſmi ſectâ inviſum,
quòd Zadenghelo primum ictum inflixiſſet, ut Regis inter-
fectorem, vitâ indignum, ſecuri percuſſit.

36 Poſthæc *Cogam* conceſſit ordinando regno, ſtatimque *B.T.III,29.*
oculis ejus gravis obverſabatur Zaslaçæus, tot perturbatio-
num autor. Primus in partes Susnei transgreſſus fuerat; ideo-
que aſpiciebatur quaſi beneficii exprobrator & transferen-
37 dorum diadematum artifex. Ipſe jactabundus, ut ferè ma-
gnorum meritorum milites ſunt, incautiùs fortè jecerat,
prædictum ſibi à vatibus: *Se tres Reges è medio ſublaturum,* Id. c. 30.
idque in duobus jam impletum. Tantummodò novus Rex
38 deeſſe videbatur, quem Susneo ſubſtitueret. Cùm itaque
*ſuſpiciones & amicitia eodem loci diu ſtare non poſſint, &, per-
cepto proditionis fructu, proditore non amplius opus erat,*
Rex illum capi, ac in Gojamæ montem arduum, *Gusman*
dictum, abduci juſſit. Cædem imperare noluit, *mali Prin-*
39 *cipis eſſe ratus, hominem metu futuri ſceleris necare.* At ille,
poſt annum cuſtodiâ elapſus, Walekam invaſit; ubi collectâ
prædatoriâ manu latrociniis aliquamdiu vitam toleravit, do-
40 nec, Gojamam infeſtans, à paganis perimeretur. Caput ejus,
ad Regem delatum, in lanceâ ante prætorium ab omnibus
viſum fuit; nemine miſerente, quòd omnes ſcirent dignita-
tem ejus tot millibus capitum innocentium ſtetiſſe.

41 Non multo meliore fortunâ *Ras-Athanaſius* uſus, mi-
nore indies Regis gratiâ: omnibus tandem contemtui fuit;
adeò ut uxor ejus, Regis *Malac-Saghedi* filia, contumelia-
42 rum inſueta, & tolerandi neſcia, eum deſereret. Sic proximus
quondam à ſummâ poteſtate, proximus ab infimâ egeſtate
factus, animi mœrore infirmior, febri vitam finivit.

43 Porrò *Susneus*, regnum ſibi firmaturus, amicitiam Lu-
ſitanorum ambiebat, quòd rei tormentariæ (quæ præcipuo
illis gentibus terrori eſt) periti eſſent; non ſine ratione ſpe-
rans, illorum auxiliis ſe contra populares ſuos, novarum re-
rum nimium cupidos, ut & contra occiſorum Regum pro-
pinquos, tutum: contra Gallanos autem ſuperiorem fore.
44 Proinde Patres Societatis in Dembeâ tunc agentes comiter Id. c. 31.
excepit, & *P. Petrum Payſium* accitum benignè audivit:
eoque familiariſſimè uſus eſt, & ſtatim multa benevolentiæ
ſigna, cùm erga illos, tùm erga Luſitanos omnes, eorumque

ſacra edidit, Zadengheli exemplo minimè territus, quoniam
populares ſuos, amotis æmulis, nihil quicquam auſuros ar-
bitrabatur. Tantumque potuerunt apud illum Patres So- 45
A. 1626. cietatis; *ut ſeque regnumque ſuum Pontifici Romano dederet,*
11. *Febr.* eique cum filio Baſilide ſacramentum obedientiæ, ut Epiſco-
po univerſali, & Chriſti Vicario diceret, abrogatâ religione
3, 11, 26. Alexandrinâ. *Quæ res graves ſeditiones & atrocia bella, mul-
torumque magnorum virorum cædes peperit*, ut in loco me-
3, 9. *& ſeqq.* morabimus.

At ſicut *Regni bello parti rarò tranquilla poſſeſſio eſt*; 46
præſertim ubi deceſſoris mors in ambiguo manſit; ita con-
A. 1608. feſtim anno ſequenti *falſus Jacobus* metu novi belli totam
Habesſiniam exterruit. Fuerant quidem, qui cadaver Jacobi 47
Regis, abſterſo cruore, agnoviſſe ſeſe dicerent, ſed nemo ſe
pro interfectore jactavit: neque, an repertum & tumulatum
fuerit, uspiam memoriæ proditum reperitur. Ille ergò ad 48
monachos famoſi monaſterii *Bizan* in Barnagasſi præfe-
B. T. III, 34. ctura profectus, fraudis, occultandæ cauſa, ſemper velatus,
quaſi ex vulnere deformato ore, incesſit; & pro vero Jacobo
aliquamdiu habitus fuit; non tam amore in hunc, quàm 49
odio in Susneum, quem, ut ignotum ſibi, & exilio inter Gal-
lanos efferatum, averſabantur. Nec fratri ejus uterino *Ras-
ſeelaxo*, quem Proregem Tigræ conſtituerat, favebant, tan-
quam peregrino. Cùm igitur iſte tantis motibus compo- 50
nendis impar eſſet, Rex ipſe venire coactus fuit. Rebelles, au-
dito illius adventu, in diverſa dilapſi, prælium detrectabant.
Dux eorum quatuor tantùm comitibus, & capris nonnullis 51
quarum lacte viveret, ſtipatus, per calles invios in abditiſſimi
d. l. III. c. 36. montis latibulum ſeceſſit, unde, quamvis indagine factâ, fe-
ra iſta elici non potuit. Sic Rex fruſtratus in Dembeam re- 52
verſus eſt, inauguratione patrio more Axumæ prius peractâ,
Anſalaxum in locum fratris Tigræ præfecit; qui rebellem
aſtu duorum nobilium, amicos illius ſe ſimulantium, cepit
& capite multavit.

Sed nec noſtra Europa fraudis expers manſit. Etenim 53
impudentiſſimus mendax quidam *Tzagaxus*,[i] Jacobi filium
ſeſe adſimulans, Anno Chriſti 1635. in Galliam venit; poſt di-
verſas commendationes, quę à credulitate monachorum Pa-
læſti-

i) Sic enim pronunciatur Æthiopicum ጸጋ፡ክርስቶስ፡ Extat de eo libellus hoc titulo: *Les Eſtranges evenemens du voyage de S. A. le Sereniſſime Prince* Zaga Chriſt d'Ethiopie &c. ſupra modum abſurdus & fabuloſus.

læſtinæ initium ſumſerant, *Æthiopiæ Princeps* ac regni hæres
54 creditus, & amplâ penſione annuâ à Rege donatus fuit; qui exemplo nonnullorum Italiæ Principum, magis, quid magnificentiâ ſuâ erga tantum exulem dignum, reputare, quàm
55 quis ille revera eſſet, ſcrupuloſiùs anquirere voluit. Quod equidem jure mireris. Jam enim Romæ & in Luſitaniâ extabant annuæ Patrum Societatis relationes, ex quibus cædes Jacobi adoleſcentis & nondum uxorati, ante viginti ſeptem
56 annos facta, optimè ſciri poterat. Juverat impoſtorem eximia corporis ſpecies: vultus inter gravitatem & comitatem mirè compoſitus; ut inter alios Principes agens (*Bochartus mihi retulit*) dignitate formæ & ſuavitate morum illos ceu multò inferiores, longè poſt ſe relinqueret, & admirationem aſpectu ſui omnibus injiceret; ſive ea gratia homini inerat: ſive novitas rei & opinio antiquæ proſapiæ è genere Salomo-
57 næo id effecerat. Ille autem nullâ aliâ re, niſi enormi libidine, quaſi cum Hercule[k] vel Meſſalinâ[l] certare vellet, Æthiopiæ Regis filium egit; fortè veritus, ne fraus detegeretur, luxuriâ mortem, carnifici ob ſcelera debitam maturavit, ludicro hocce Epitaphio notatus:[35]

Cy giſt le Roy d'Ethiopie,	*Hic jacet Rex ex Æthiopiâ*
l'Original ou la copie.	*in Originali vel copiâ.*

58 Interrogatus de eo Gregorius reſpondit: *famam illius in Ægyptum & Æthiopiæ finitima perlatam fuiſſe; ſeque ex Principe fœminâ provinciæ Rumæ Rectrice audiviſſe, Tzagaxum ad illam veniſſe, ſeque filium Arzoi dixiſſe, qui Regis Zaden-*
59 *gheli frater, Leçanaxi filius & Menæ Regis nepos fuerat.* Idem dixerat popularibus ſuis in Ægypto & Hieroſolymis degentibus; non enim apud illos auſus fuerat Jacobi filium ſe mentiri, utpote quibus certò conſtabat, Jacobum ſine liberis legitimis, decimo octavo ferè ætatis anno, occubuiſſe. Ar-
60 zous autem ille in obſcuro vixerat; nec cuiquam compertum erat an? & quos liberos poſt ſe reliquiſſet. Nunc ad Susneum revertamur.

61 Natus erat Susneus, ut diximus, regio genere; & animo & corpore magno, robuſtus membris, facie liberali, naſo &
62 labiis tenuibus, ut non niſi colore ab Europæis differret. Ad-

k) Inter ejus labores refert fabuloſa Græcia quæ cum filiabus Theſpii patravit. De quibus vide Diodor. Siculum & alios.

l) De hoc propudio agit Sueton. in Claudio. Juvenal. Sat. 6. Tacit. Annal. lib. XI. 26. Plin. X, 23.

B.T.III.29. hæc prudens, benignus, & liberalis, nec non in libris Æthiopicis bene verſatus: &, quod parando regno maximè neceſſarium eſt, bellicoſus, laborum patiens, ac modico vitam tolerare inter Gallanos doctus. Sed regimine infelix fuit, ob 63
continua bella & ſuorum defectiones, quos vi cogere volebat ad id quod ſuadendum illis erat. Obedientiam Pontifici ſummo juravit, priusquam ſciret, quid in receſſu haberet. Quam ob cauſam res eventu caruit; & ſub finem vitæ co- 64
actus fuit indulgere id, propter quod multa hominum millia jam perierant. Obiit menſe Septemb. A. 1632. multis filiis & 65
filiabus poſt ſe relictis.

ፋሲለደስ፡ Basilides cognomento ሥልጣን፡ሰገድ፡ *Sel-* 66
tân-Saghed, defuncto Marco primogenito, patri ſucceſſit. Sedandis popularium animis Patres Societatis, cum Patriarchâ illorum Alph. Mendezio, totâ Æthiopiâ expulit, ut ne quidem Luſitanis ſacerdotem adminiſtrandis ſacris permit-
B.T.VI.40. §.1. teret, quod tamen ſævisſimus Regum Menas indulſerat. Fra- 67
tres ſuos, nominatim *Claudium (modo Tellezius fidâ relatione uſus fuerit)* falſis criminibus circumventos, interemit: nec quidquam certi de eo poſthæc cognovimus; ſublato omni cum Europæis commercio, metu armorum, quæ Patres Romæ & in Luſitaniâ, vindicandæ contumeliæ ſuæ, ſollicitare audiverat.

Vidi poſthæc literas, quas Rex Habeſſiniæ አፍ፡ሰገድ፡ Af- 68
saghedus, *Alam-Saghedi filius* ad Gubernatorem Hollandorum Bataviam Javæ Arabicè dedit, de quibus alibi pluribus agendi locus erit [36]; non enim certò mihi conſtat, num Baſilides duplici cognomento uſus fuerit, & iſtum *Afſaghedum* genuerit. *Tabulam genealogicam* noviſſimorum 69
Habeſſiniæ Regum à Gregorio acceptam, ſed nunc ex *Tellezio* correctam, cum lectoribus hîc communicamus.

CAP. VIII.

De ſucceſſione Regiâ, regiorumque filiorum in rupe GESHEN *cuſtodiâ, nunc abrogatâ.*

2. *Certa ſucceſſio* Regnorum ſalus eſt. 6. Omnis Imperii duo ſunt vincula: *Reverentia & Autoritas*. 7. Quæ non ſapientiâ parantur, ſed 10. nobilitate & potentia. 12. *Electio* ſucceſſioni non ſemper præferenda; 13. libertati propior eſt. 15. *Soli maſculi* apud Habeſſinos ſuccedunt, 16. Jus tamen eorum valdè dubium; 18. hinc bella civilia. 20. Incommoda regnorum hæreditariorum: *æmulatio & ſuſpicio*. 22. Incertæ ſucceſſionis malus eventus. 24. Regiorum filiorum *cuſtodia* in rupi-

TABVLA GENEALOGICA REGVM ÆTHIOPIÆ.

በትረ: ፃገድ:
ዘንጉሠ:ፃገሠት: ዘኢትዮጵያ:ኀፄ: ፈሲለደስ:
እስከ:ሀመተ:ክርስቶስ:ሀሠርቱ: ወስድስቱ:ምእት: ሠላሳ: ወክልኤቱ: በጐልቈ: ኤፍረንጅ ::

በእደ:ማርያም:
ወልደ : ዘርኣ:ያዕቆብ:ወልደ:ሀመደ:ኢየሱስ:
ወብእሲቱ:ኮነት: እሌኒ:

እስክንድር:
ሀመደ:ጽዮን:
ናኦድ:ዘመስለ:
ብእሲቱ: ሞገሣ: ወለደ:

አልቦሙ:ውሉደ:

እንገሌ:ዘተወልደ:
በአመባ:ግሸን:

ዳዊት: ዘተሰመየ : ወናግ: ሰገድ:
ወስሙ:ጥምቀቱ: ልብነ:ድንግል:
አው: ሀጣኔ: ድንግል: ወብእሲቱ:
ኮነት: ቀበሉ:ወንገል:

ሮማኔ:ወርቅ:
ብእሲተ:እንገሌ:
ወእሙ:ዘአቡኜር:

እንገሌ:

ፊቅጦር:ዘሞተ:
እምቅድመ:አቡሁ:

ገላውዴዎስ:ዘተሰመየ:
አጽናፍ:ሰገድ: ሞተ:
ዘእንበለ:ውሉድ:

ያዕቆብ:ዘሞተ:
እምቅድመ:እኁሁ:
ገላውዴዎስ:

ሚናስ:ዘተሰመየ:
አድማስ:ሰገድ:

ተዝባር: ተቀትለ:
በትእዛዘ: ሚናስ:
እኁሁ: አቡሁ:

ፈሲለደስ:
ዘብእሲቱ:ኮነት:ኅመልማል:
መበለተ:እንገሌ: አምኃራ:
ጻሕፈላም:

ሠርጸ: ድንግል: ዘተሰመየ:
መለክ: ሰገድ: ወብእሲቱ:
ማርያም : ሠና: ዘእሙ:
አልቦቱ: ወልደ:

ልሳነ:ክርስቶስ:

ሱስንዮስ:
ዘተሰመየ:
ሠልጣን: ሰገድ:

ያዕቆብ: ዘተሰመየ: መለክ:
ሰገድ:: ዓዲ: ሰመየ:
ሕፃነ: ንጉሠ:ሞተ: በቀትል:
እንዘ: ንኡስ: ውእቱ:

ዘድንግል:
ዘተሰማየ:
አጽናፍ:ሰገድ:

አርዘ:

መለኮታዊት:
ብእሲተ:ኤሌዎስ:
ትገሬ: መኰንን:
ማርቆስ:ዘሞተ:
እምቅድመ:አቡሁ:
ፈሲለደስ: ዘተሰ
መየ:ከመ: አቡሁ:
ሠልጣን: ሰገድ:
ቦዘደቤ:
ዓለመ : ሰገድ:
ልሳነ:ክርስቶስ:
ሞተ: እምቅድመ:
አቡሁ::
ገላውዴዎስ::
ክንፋረ:ክርስቶስ::
ያዕቆብ:
ዮስጦስ:
ዘድንግል:
ዘማርያም:
ልብነ: ድንግል:
እንገሌ:
እንገሌ:
እንገሌ:

ቁስጠንጢኖስ:
ሞተ:እምቅድመ:አቡሁ:

ዮስጦስ:
ዳዊት:
ዮሐንስ:
ብኵርተ:ክርስቶስ:

ወገብአን:ውሉድ:
ወአዋልድ::

Pertinet ad L. II. c. 7. in fin.

L.II.

B.T.

B.

§.

TABVLA GENEALOGICA,

REGUM HABESSINIÆ à BAƐDA-MARJAMO ZER-A-JACOBI F. AMDA-JESU Nepote, qui vixit circa annum Christi cIↄ cccc LX. usque ad tempora BASILIDIS Anno cIↄ Iↄc XXXII. & seqq.

Autore

IOBO LVDOLFO.

BAƐDA-MARJAM
ZARA-JACOBI F. AMDA-JESU N. *circa annum* 1465. *cujus uxor secunda fuit* HELENA.

- 1. ALEXANDER *ad regnum pervenit circa annum* 1475. *sine liberis mortuus A.* 1490.
- 2. AMDA-SION *obiit Anno* 1491. *postquam sex menses regnasset.*
- 3. NAOD *è rupe Ambaræ ad regnum vocatus, Anno* 1504. *mortuus, viduâ Mogheça relictâ.*

Children of NAOD:

- 1. *N.N.* Primogenitus *in rupe Ambaræ natus, antequam Pater ad Regnum venisset, ac propterea secundogenito postpositus.*
- 2. DAVID *cognomento* ETANA-DENGHEL, *item* LEBNA-DENGHEL *&* WANAG-SAGHED natus *circa annum* 1492. Rex *factus Anno* 1504. *Obiit* 1540. *Vxore* Kabelo-Wanghel *post se relictâ.*
- 3. Romana-Warck *Vxor.* 1. *N.* *N.* 2. Abucheri.
- 4. *N.N. qui ex rupe Ambaræ effugit.*

Children of DAVID:

- 1. VICTOR *in prælio occubuit paulo ante patris mortem. P. Jov. Hist. L.* 18.
- 2. CLAVDIVS *cognom.* ATZNAF SAGHED natus *circa fin. Anni* 1522. Rex *factus Anno* 1540. *cecidit in prælio contra Adelenses mense* Martio 1559.
- JACOBUS *obiit ante fratrem Claudium.*
- 4. MINAS *cognomento* ADAMAS-SAGHED Rex *factus* 1559. *in prælio* cæsus *d.* 20. *Apr.* 1562.
- 5. *N.* 6. *N.* 7. *N.* *tres filiæ, de quibus Alvarez c.* 61.

Children of JACOBUS:

- TAZCARO *F. naturalis*, Rex *à rebellibus creatus contra Patruum, in prælio* 2. *Julii* 1561. captus, *& postea de* saxo *dejectus.*
- BASILIDES *pugnans contra Gallanos occubuit. Vxor* Hamelmala *Proregis Ambaræ vidua, quæ filios habebat* (1) RASSULAXUM (2) AFAXUM *&* (3) JAMANAXUM.

Children of MINAS:

- SERTZA-DENGHEL *cognom.* MALAC-SAGHED Rex *factus* 1562. *obiit* 1579. *Vxor ejus Marjam Senâ.*
- AQUIETER. ABALE. LEÇANAXOS.

Children of BASILIDES:

- SVSNEVS *cogn.* MALAC-SAGHED: *dein* SELTAN-SAGHED *dictus*: natus *circa ann.* 1571. *cæso Jacobo* Rex *factus* 10. *d. Mart. A.* 1607. obiit *in Septemb.* 1632. *Multas uxores habuit, sed eas, exceptâ primâ, dimisit.*

Children of SERTZA-DENGHEL:

- *N.N. uxor Ras Athanasii.*
- *N. N. uxor Kaflavvahdi.*
- JACOBVS *F. naturalis, natus sub fin. Anni* 1589. *Rex factus septimo ætatis anno, ac ideo Rex infans dictus: depositus anno* 1603. *& revocatus Anno* 1604. *cæsus* 10. *Mart. Anno* 1607.
- *Za-Mariam alter Fil. naturalis.*

Children of AQUIETER, ABALE and LEÇANAXOS:

- ZADENGHEL *cogn.* Atznaf-Saghed *natus circa ann.* 1577. *à suis in prælio occisus d.* 13. *Oct.* 1604.
- ARZO *cujus filium Tzaga-Christus se dixit. vid. Hist. Æth.* 2, 7, 53.

Children of SVSNEVS:

- Leçanaxos.
- Marcus: *hi duo obierunt ante patrem.*
- Malacotawit, *uxor Ælii Tigræ Proregis.*
- BASILIDES *cognomento* SELTAN-SAGHED; *dein* ALAM-SAGHED, *natus Anno* 1607. *Rex factus mense Septembr.* 1632. †
- Claudius *Basilidis frater germanus.* †
- Canafraxos. †
- Jacobus. †
- Justus. †
- Zadenghel.
- Za-Marjam.
- Lebnadenghel *& alii. Balt. Tellezius enim scribit illum* XXV. Filios vivos *reliquisse*, multasque filias, *ut:*
- Wanghelawit *uxor Tecla-Georgii Proregis Tigrensis.*
- *N. Vxor* Za-Marjami *Adabo Proregis Bagemdræ.*
- *N. Vxor* Anda Michaëlis *Bahrnagashi B. T. L. VI.* 21.

Children of BASILIDES (son of SVSNEVS):

- 1. Constantinus *obiit ante Patrem.*
- 2. JUSTUS.
- 3. David.
- 4. Johannes.
- 5. Becuerta-*Christos uxor Proregis Tigrens. & alii, de quorum nominibus non constat.*

Pertinet ad L. II. c. 7. in fine

rupibus *Geshen* & *Ambaçel.* 25. De eâ relatio Tellezii. 30. Duravit ille mos per CCXXX. annos; 34. *abrogatus* à Naodo; 35. Alvarezii relatio 36. cum Tellezio discrepans 38. conciliatur. 39. Exemplum à sesquiseculo nullum. 40. *Amœnitas* istarum rupium *conficta.* 42. Dura ibi principum conditio. 43. Severitas præfecti rupis principi displicens, 44. eidem Regi facto placuit.

1 EX præcedentibus apparet, incertam esse in Habessiniâ Regum successionem: neque legitimorum aut illegiti-
2 morum magnam haberi differentiam. *Salus* tamen præcipua *regnorum in certâ atq; constanti succedendi ratione con-*
3 *sistit.* Si verò in regnis hæreditariis, vel patri licet ex filiis unū eligere: vel si primoribus concessum, non ordinem nascendi, sed regnaturi mores rimari: aut populi favorem spectare, turbas atque bella sequi necesse est; postpositi enim nun-
4 quam quiescent: nec illis factiosi deerunt. Prætexitur quidem, ut in regnis electivis fit, *nativitate mores non distingui;*
5 *electione & judicio optimum sumi posse.* Verùm ista, *verbis speciosa, effectu vana* sunt; prævalente naturæ humanæ imbecillitate, quæ affectibus paret, & gratiam vel odium magis sequitur, quàm virtutes; quod in comitiis plerumq; usu-
6 venire videmus. Duo autem sunt vincula, quibus salus ma-
7 gnorum imperiorum nititur, *reverentia* & *auctoritas*; quas sola sapientia atque probitas imperantibus non præstat; plurimi enim æquales imò præstantiores se illis putabunt; æquali autem ægrè paretur, nedum inferiori; ut vanum prorsus sit & scholasticum quod *Plato* de felicitate regnorum, si à
8 Philosophantibus regantur, scribit, nisi alia accedant. Certè nudo Philosopho, ut ut sapientissimo, vix quisquam triduo
9 pariturus esset. Externum quid & visibile esse oportet, quod & prudentiores & simpliciores pariter agnoscant, neque va-
10 go atque vario hominum arbitrio subjectum sit. Hanc ob rem in electionibus Regum & Principum sapientiæ & mo-
11 rum sanctitati *nobilitas* & *potentia* præferuntur. Sed altera alterius auxilio eget; illa facit, ut subjecti spontè atque liben-
12 ter parere velint: hæc, ut inviti cogantur. Igitur cùm electio nonmulto plus commodi regnis afferat, quam sors nascendi: interdum & turbis obnoxia sit, multi populi se illâ spontè
13 abdicarunt.[m] Propior tamen libertati est; quia eligentes eligendo leges præscribere, & conditiones imperandi statuere possunt; quamvis & id multoties in irritum cadat; quia contraveniens Princeps, vel planè non, vel ægerrimè in jus vo-

P 3

m) Ex. gr. Sueci seculo superiori: Dani nostrâ memoria; Sinenses jam olim. Joh. Neuhof Descript. Sinæ c. 18.

vocari poteſt. *ita humanarum rerum nihil ex aſſe beatum.*
Quapropter boni & prudentis civis eſt, Reipublicæ formam, 14
quam reperit, tueri.[n]

Sed ad Habeſſinos redeo, apud quos quidem ſapienter 15
conſtitutum, ut ſoli maſculi ſuccedant, agnatione propin-
quiores; ſed quia & patrum & matrum, regnique primorum 16
arbitrium admiſcetur: nec non illegitimis aditus ad Regnum
datur, infeliciſſimæ & turbulentæ ut plurimum ſunt illorum
ſucceſſiones; hæc potiſſima malorum cauſa.

Helenam initio ſuperioris ſeculi, *Metropolitâ Marco* 17
Alvar. c. 59 ſuffragante, Davidem *ſecundo genitum*, Naodi *primo genito*,
tanquam robore corporis ſtolidè feroci, prætuliſſe, ſupra re-
2, 6, 11. tulimus. Bella civilia *Menæ* cum *Tazcaro* fratris ſui natu 18
majoris filio: deinde *Jacobi* Malac-Saghedi filio illegitimo,
cum *Zadenghelo* legitimo illius agnato: & mox cum *Susneo*,
ex dubio ſuccedendi jure orta, triſtia nobis perhibent argu-
L. III. c. 14. menta. De illegitimis quidem tradit *Tellezius*, illos ſecun- 19
dùm leges Æthiopiæ non ſuccedere: alibi tamen de jure illo-
ib. c. 29. rum, allegato Johannis I. Luſitaniæ Regis exemplo, ita diſſe-
rit, ut lectori videri poſſit idem in Æthiopiâ obtinere. Cæ- 20
terum maximum incommodum, quod in hæreditariis re-
gnis, certæ familiæ obſtrictis, naſci ſolet, oritur vel *ex æmu-
latione & ſuſpicione* regnantium erga alios regio ſanguine
conjunctos: vel ex iſtorum ambitione factioſis paratâ. Fu- 21
neſta inter barbaros exempla, ubi neque leges, neque ordi-
nes regni dantur, ſed arbitrio imperantium aut fortunæ cun-
cta permittuntur, id docent. Quid olim Romæ *Cæſarum* 22
domum? quid *Imperium Romanum* peſſumdedit? quàm
quòd creatio Imperatorum vaga, & tantùm in manu mili-
tum eſſet. Vtique grande peccatum *Auguſti Cæſaris* fuit,
poſtquam omnibus æmulis amotis, cunctam potentiam in
ſe traxerat, quòd nullam certam ſuccedendi rationem ſtabi-
liverit. *Turcarum Imperatores*, ut ſcelera fratrum præve- 23
niant, majori ſcelere eos occidunt: & pœnas antecapiunt
perfidiæ fortaſſis non ſecuturæ. *Reges Habeſſinorum priſci*, 24
ut tantis malis obviam irent, filios regni exſortes, in arctam
cuſtodiam concluſerunt, ubi turbulentis hominibus ignoti
manerent: nec contra regnantes quidquam moliri poſſent:
& tamen nunquam ſucceſſores deeſſent. Rupes Amharæ *Ges-
hen*

n) Id prudentes vocant: τὴν παροῦσαν πολιτείαν διαφυλάττειν: Præſentem Reipubl. ſtatum conſervare. Iſocr. adverſus Callimachum.

hen & *Ambaçel* huic fini delectæ, in quibus Regii juvenes 1,6,10.
25 excelsæ nativitatis suæ pœnas dare coacti fuerunt. *Historiam*
totam *ex Tellezio*, quam ex relationibus P. *Antonii d'Almey-* L.I.c.17.
26 *da* testis oculati habet, nostro stylo referemus : Imperator
Icon-amlacus, quinque filios (alii novem ajunt) genuit; quos, 2,6,1.
cum æquali amore complecteretur, imprudentissimo con-
silio, omnes æqualiter regnare voluit, &, quod pejus est, alter-
27 nis annis imperare jussit. Natu minimus, moræ tot anno-
rum pertæsus, & fortassis altiùs metuens, in animum sibi in-
duxit, sceptrum semel acceptum non deponere, sed fratres in
28 rupem aliquam relegare, atque sic imperium ad posteros
29 suos derivare. Verùm proditus à familiari suo, qui præmia
à regnante accipere, quàm à regnaturo exspectare malebat,
insidias, quas fratribus struxerat, ipse expertus, & in rupem *Ge-*
shen abductus fuit. Ne verò Rex magis securitati suæ quàm
regni consuluisse videretur, filios proprios, quos jam habebat,
30 simul inclusit. Duravitque ista consuetudo instar legis funda-
mentalis in Æthiopiâ per ducentos & triginta ferè annos,
quibus pacatum imperantibus fuit regimen, usque ad Impe-
ratorem *Naodum*, qui anno circiter 1590. ultimus è rupe illâ
31 ad regnum evectus fuit. Is filium habebat novem circiter
annorum sibi charissimum, illum, patre præsente, unus ex au-
læ primoribus intuens, Regi ait : *multum certè crevit Prin-*
32 *ceps hic*. Statim intellexit perspicacis ingenii puer, quò ista
tenderent, & lachrymabundus patrem aspiciens, *Eheu pa-*
ter! inquit: *proptereáne crevi, ut ex aspectu tuo in rupem Ge-*
33 *shen migrare me oporteat*. Quæ verba in paternum Regis pe-
ctus tam altè descenderunt, ut convocatis Regni aulæque
proceribus, *ejurandum hunc pravum & immitem morem*
esse diceret. Idque & ipse & magnates fecerunt, non repu-
tantes privatos affectus patriæ saluti posthabendos esse. Ita-
34 que intempestivâ hujus Regis misericordiâ factum, ut mos
iste salutariter in Habessiniâ receptus, cum magno regni de-
trimento abrogaretur. Atque ex eo tempore nullus ampliùs
35 Æthiopiæ Princeps in rupem illam relegatus fuit. Franci- c.59.
scus Alvarez quidem tradit, *Davide in regnum evecto, fra-*
trem ejus natu majorem cum reliquis minoribus Naodi filiis
in rupem missos : & postea : *Effugisse unum è minoribus, sed*
36 *mox remissum, atque illum se vidisse*. Ex quibus Tellezio ob-
jici posset, morem hunc etiam post Naodi tempora in Æthio-
piâ

piâ durasse. Sanè ille talem objectionem prævidisse videtur; 37
p.45. quia asseveratione utitur, dicens: *Rem ita se habere, & testimoniis Patrum Societatis, & Susnei Regis exemplo confirmari: qui licet multos filios mares habuerit, nunquam tamen de illorum relegatione in montem Ambaræ tractaverit.* Cùm 38
L.II.c.5. p.112. autem alibi dicat, *Alvarezio fidem haberi posse in omnibus iis, quæ ipse viderit*, conciliatione opus est. Nimirum Naodi filios, Davidis fratres, de quibus Alvarezius agit, eo tempore, cum mos antiquus abrogaretur, jam tum in rupem fuisse deportatos, & postquam effugerant, eo retrusos; ita ut non illos, sed sequentium Regum filios nova constitutio juvaret.
Neq; enim à Davidis temporibus ullum exemplum, sive Prin- 39
cipis in rupem relegati: sive ex eâ in regnum vocati, occurrit; ut ex nostrâ quoque historiâ liquidò constare potest. Quæ 40
L.Vrr.I,8. 1,6,10. de amœnitate illorum locorum, & splendido regiorum exulum cultu narrantur, falsissima sunt. Rupes ipsas supra descripsimus. Cùm valeret ista consuetudo, arctissimâ custo- 41
diâ habiti fuerunt Principes illi; magnâ pœnâ in eos sancitâ, qui vel ipsi effugere ex hoc carcere tentarent: vel ab aliis liberari. Ipsi Principes sæpè malè habiti fuerunt: nec quis- 42
quam ad illos admissus fuit; ut ad privatam vitam magis, quàm ad regnum præpararentur. *Notabile facinus* de quo- 43
dam præfecto custodum narratur; qui Principem filium ornatiore veste, semet induentem, non modò reprehendit, vestemque discidit; sed & patri indicium detulit; idque bonus Princeps patienter ferre coactus fuit. Paulò post Rex factus 44
injuriam istam non solùm non vindicavit, sed potiùs inclementem Ephorum latentem exquiri, & metu ferè exanimatum laude atque præmio affici curavit; hortatus eum, ut eâdem fidelitate, quâ Regi defuncto servierat, in officio suo continuaret. *ita aliis libenter imponimus, quæ ipsi ægerrimè toleramus.*

CAP. IX.

De jure ac potestate Regis circa sacra & profana.

1. *Absolutam Regis potestatem* in *sacris & profanis* 2. experti sunt Patres Societatis pro & contra se. 3 *Alfonsus Patriarcha* 4. objicit Regi *Osiæ exemplum*, 6. qui eo offenditur. 9. *Jurisdictionem Ecclesiasticam* sibi vendicat 10. invito Patriarchâ. 11. Edicto *Latinam religionem* abrogat: 12. *Synodos* convocat: 13. *Jus nominandi* non exercet: 14. secularibus legibus est solutus. 17. Regni ordines non habet; 18. eorum utilitas. 22. Regalia omnia possidet, sed non omnia exercet.

23. Ve-

23. Venatio omnibus licita. 24. Privati nil proprii habent. 25. Rex illis bona pro arbitrio dat & adimit, 28. certis tantùm familiis exceptis.

1 ABſolutâ Rex Habesſinorum utitur poteſtate, tam in ſa-
cris quàm profanis: tam in eccleſiaſticis quàm civilibus
2 rebus. Quod ſatis experti ſunt *Patres Societatis*, in quorum
& favorem & odium ſummum ſacrorum jus exercuit, non
3 conſulto Patriarchâ Alexandrino. Primò quidem, cùm pro
ſuſcipiendâ religione Romanâ, abrogandisque ritibus Ale-
xandrinis, edicta promulgaret, volentibus Patribus id fa-
ctum; deinceps mutato rerum ſtatu, cùm ritus quosdam in-
differentes edicto publico indulgeret, Alfonſi Patriarchæ re-
4 prehenſionem incurrit. *Non enim fas eſſe*, inquit, *Regi tale* B.T.V,29.
mandatum promulgare, cùm ſit purè eccleſiaſticum, & ſui p. 482.a.
muneris: illum memorem eſſe oportuiſſe, quid ſummus ſacer-
5 *dos Regi Oſiæ dixerit.* Non eſt tui officii, ô Oſia! ut adoleas 2 Par.26,18
incenſum Domino, ſed ſacerdotum, nempe filiorum Aaron,
qui conſecrati ſunt ad hujuscemodi miniſterium; egredere
de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in
gloriam à Domino Deo; *additâ caſtigatione, quæ ſecuta fuit.*
6 Rex hâc vice quidem ceſſit Patriarchæ, & edictum aliâ for-
mâ alioque modo publicavit, ut ſuo tempore dicemus; 3,11,134.
comparationem tamen cum Oziâ factam concoquere non
7 potuit, inter cætera reſpondens his verbis: *Quare dicis, ut* B.T.
memores ſimus Oziæ, & quare nos comparas cum illo? Ille p. 483.a.
à Deo ideò caſtigatus fuit, quòd uſurparet officium ſacerdo-
tum illi minimè conveniens: & quòd adoleret incenſum &
ſacrificium Deo, quod nos nunquam facere tentavimus; ſed
tantùm juſſimus edictum promulgare ſuper iis adiaphoris, de
8 *quibus tecum convenimus.* Cætera ſuo tempore vulgabun-
tur.[37]

Nulla res magis commovit Regis animum, quàm quòd
videret jus ſuum, à majoribus ſuis per tot ſecula uſurpatum:
neque à Patriarchis Alexandriæ, etiam ante ſchiſma, unquam
negatum, in dubium vocari. Nec enim ignorabat, quæ Im-
peratores priſci poſt Conſtantinum in ſimilibus cauſis facti-
taſſent[38]: neq; tam hebes erat ingenio, ut non discerneret,
quæ vel Ordinis: vel legis Diœceſanæ eſſent: quæ verò juris-
9 dictionis; hanc enim ad ſuum jus ſpectare credebat. Atque
iſtud jus, quamvis Patriarchæ eſſet addictiſſimus, nullo mo-
do ſibi adimi patiebatur, ut potius rurſus aliud edictum evul-

Q garet,

garet, quod in manifeſtam diminutionem Patriarchalis ju-
riſdictionis vergebat. Etenim Patriarcha Monachum 10
quendam Habeſſinum juſſerat partem eccleſiaſticorum re-
dituum Parocho cuidam tribuere; cui ille non paruit, ſed
B.T.V, 29. apud antiſtitem ſuum *Ieegum* queſtus, decretum à Rege ob-
p.484. tinuit, quo Patriarchæ injungebatur, ut juriſdictionem ſuam
intra terminos priſcæ Metropolitarum Æthiopiæ poteſtatis
contineret: & *Ieegus* ſuo jure uteretur; cauſâ cum gravi il-
lius dolore retractatâ.

Summum iſtud ſacrorum jus maximè diluxit, cùm 11
ſanctio illa graviſſima de abrogandâ religione Latinâ & re-
vocandâ rurſus Alexandrinâ, proponeretur. Aliàs Rex Cle- 12
ricorum Synodos, quoties opus videtur, congregat: Metro-
politam ex Ægypto vocat: in eum, & omnes Clericos juris-
dictionem exercet: eosque pro ratione delictorum punit;
cap.60. quod exempla ab *Alvarezio* tradita ſatis demonſtrant. In 13
eo differt à noſtris Regibus, quòd jus nominandi ad benefi-
cia Eccleſiaſtica non exerceat. Nam Patriarcha Alexandri-
nus Metropolitam mittit, petente quidem, ſed ignaro Rege,
quis vel qualis ſit; Similiter Patriarcham, quem Papa Roma-
nus miſerat, admiſit; quamvis non ipſe, ſed Rex Luſitaniæ
3,7,14. eum nominaviſſet. Nec aliæ in Æthiopiâ ſunt dignitates
Eccleſiaſticæ; ideoque tale jus Archiepiſcopos vel Epiſcopos
nominandi locum habere non poteſt. In ſecularibus nullas 14
leges poſitivas agnoſcit; modò non etiam liberum ſe à legi-
bus regni fundamentalibus exiſtimaret; quarum obſervatio-
2,8,34. ne totius Reipublicæ ſalus nititur. Nam paulò ante dixi- 15
mus, quòd Naodus receſſerit à ſalutaribus majorum inſtitu-
tis, qui regios liberos privatos, pacis publicæ conſervandæ
cauſâ in rupem Amharæ ſepoſuerant. Nec laudabilis erat 16
2,6,47. *Malac-Saghedi* conatus, quòd illegitimum ſuum Iacobum
fratris legitimo filio *Zadenghelo* præferre parabat.

Scilicet talia contingere ſolent, ubi Regni Ordines non 17
dantur. Iſti enim fidisſimi ſunt legum cuſtodes, & vera ſum-
marum poteſtatum contra ambitioſorum machinationes
munimenta. Rempublicam enim, cujus pars & membra 18
ſunt, tanquam ſuam longè fideliori curâ & amore ample-
ctuntur, quàm Principum amici, quorum fortuna ad hære-
des vix unquam transmittitur; ut meritò mireris conſilia eo- 19
rum, qui privilegia Ordinum tollendo, cunctam poteſtatem
in

in ſe derivare conantur, omne, etiam leve, legum vinculum
20 grave ſibi & intolerabile putantes; ita gratiam civibus ſuis debitam, neceſſariò in milites transferre coguntur, quorum ſæpe intuta fides, dummodo ipſi locupletentur, reliquos
21 omnes pauperes eſſe geſtiunt: interdum etiam arma, defendendo Principi ſuo accepta, in offenſionem ejus vertunt; pecuniâ fortè, vel ambitione turbulenti cujusdam hominis in transverſum acti; quod in Habeſſiniâ, ſicut in aliis abſolutis imperiis, cum dominantium pernicie maximâ, crebrò uſu veniſſe, in aperto eſt.

22 Summus igitur belli pacisque arbiter eſt Æthiopiæ Rex, regia jura (*majora & minora regalia vulgò nuncupantur*[39]) omnia in ejus poteſtate ſunt; multa verò ignoratione illorum non exercet, veluti *jus metallorum, monetæ cudendæ*,
23 & ſimilia. *Venationem* libenter omnibus indulget; cùm tot ſint & tam ſævæ beſtiæ per invios ſaltus & altiſſimos montes ſparſæ, ut illas capere atque indagare periculoſiſſimum ſit ac moleſtiſſimum; ita *principale in aliis regionibus oblectamentum, ruſticis hìc nocumento non eſt.*

24 Iſtud verò ſtupendum & inter Turcas rarum, neminem privatorum, ſive nobilium, ſi pauciſſimos excipias, ſive plebejorum quicquam proprii habere[40]. *Fundi* atque *prædia* omnia Regis eſſe, & precariò à ſubjectis poſſideri cenſentur; B.T.I, 23. p.59.a.
25 adeò ut omnes patienter ferant, ſi Rex det, vel adimat poſſeſſiones & agros, quandocunque & cui voluerit; idque non tantùm poſt duos vel tres annos, ſed ſæpè intra anni ſpatium; ut interdum contingat, unum araſſe: alterum ſementem fe- Alvar.c.43
26 ciſſe; tertium verò metere. Quæ res equidem efficit, ut Regem ſuum veluti ſervi herum, & coloni ut dominum venerentur & colant: eique tam pace quàm bello ſerviant: nec
27 non pro virium facultate munera afferant; ſive ſpe acquirendi nova prædia, ſive metu amittendi acquiſita. Quippe emigrare juſſi non indignantur, ſed ſine irâ erga Regem, ſine invidiâ erga ſucceſſorem modeſtè parent; aſſuetudine & longo
28 uſu, dum idem aliis quàm plurimis accidere vident. Sunt tamen *illuſtres* & vetuſtæ quædam *familiæ*, in *Tigrâ* maximè, quæ non modò fundos ſuos & agros certos à majoribus ſuis acquiſitos, ſed & præfecturas nonnullas hæreditario iure poſſident, antiquo titulo retento, veluti *Bahar-nagash:*
29 *Shum-Serawè, Sirè, Tembên*, & plures aliæ. Nec non *Dembeæ*

Cantiba. In quos Rex nullum aliud jus sibi vendicat, quàm quòd munera publica biennio, vel annuatim, vel denique cùm libuerit, aliis, nemini tamen extra familiam, conferat.

CAP. X.

De potentia Regis Habessinorum, & reditibus Regiis.

1. *Potentia* Regum Habessinorum 2. olim maxima, & 3. exteris formidabilis. 4. Id exemplis docetur. 8. Decrevit post Saracenorum tempora. 9. *Domi* tamen validi fuêre 10. usque ad *Adelense* bellum: & 11. *Gallanorum* invasionem. 12. Restabilire eam possent, si artes & arma Europæorum adhiberent: 15. *Colonias* deducerent: 18. Feuda concederent: 19. & à nostris Principibus juvarentur. 20. Sed immites sumus erga peregrinos Christianos. 21. Id exemplis demonstratur. 24. Ipsi Habessini portus suos malè neglexerunt. 26. Reditus regii sunt proventus regionum naturales: 27. aurum rude: 31. vestes, tapetes: & 32. olim equi: 34. Vectigalia. 35. Prædia. 36. Cibaria. 37. Armenta. 39. Pretia rerum vilissima. 40. Regi suppetunt, quæ pace, 41. belloque necessaria sunt.

TAnta tamque absoluta potestas, tam liberum in suos 1
imperium, ingentem potentiam Regibus afferre posset,
si cætera paria essent. Maxima sanè olim fuit, cum Axumæ 2
manerent, & tot regna sub potestate suâ haberent.[o] Nullum
enim magnum imperium propè erat, quod illorum fortunæ
obstaret. Atque eam ob causam cuncti circum Reguli, nec
non barbari, magnitudinem Habessinicam colebant, & reverebantur.
Vana quidem sunt quæ nonnulli, ex malè in- 3
tellecto vel applicato Presbyteri Johannis vocabulo, de expeditionibus
illorum in Asiam septentrionalem[p] scripserunt.[(41)]
Id tamen negari nequit, quòd vicinis gentibus maximo
quondam terrori fuerint: magnas quoque in Arabiam expeditiones
fecerint.[q] Gloriosum & felix in Homeritas Calebi 4
2,4,25. bellum suprà narravimus. Non minore gloriâ *Cyriacus* Rex 5
auditâ Christianorum in Ægypto persecutione, numerosum
1,10,9. exercitum, de quo supra locuti sumus, contra Muslimos[r]
in Ægyptum duxit. Quapropter *Merwanus* Sarace- 6
norum Dux, mitius imperium pollicitus, Patriarcham Alexandrinum
rogavit, ut Regem à proposito dehortaretur;
quod

o) Nonnosus in Biblioth. Photii n. 3: *Æthiopes, Homeritas & Saracenos* τὰ ἰσχυρότερα τῶν τότε ἐθνῶν vocat.

p) Josephus Scalig. in not. ad Comp. Eccl. Æthiop. tanti alias judicii vir, nescio certe quâ autoritate.

q) Arabes fuerunt, qui tali uterentur æra: Ab invasione Habessinorum; Sic enim Alkodajus: Homeritæ & Cahlanenses أرجوا بظهور الحبشة على اليمن supputarunt annos suos ab *invasione Habessinorum* in Arabiam felicem. *Pocok. in not. s. cit. p. 172.*

r) Sic semetipsos vocant Muhammedani.

quod fecit, Regemque avertit, dum Christianos melius ha-
7 bere scripsit.[s] Quæ licet de Nubiæ Rege dicantur, sunt ta-
men qui id Habessinorum Imperatori tribuant; quòd Nu-
bia usque ad Nili fontes à Geographo Nubiensi porrigatur.
[t] Gregorius sanè idem affirmabat, historiam in patriâ suâ
8 descriptam dicens.(42) At postquam Saraceni invaluerunt,
atque regna vicina oppresserunt, Habessini, desertâ Axumâ
arma sua ad interiora Africæ vertendo, per imbelles gentes
imperium longè latèque protulerunt, nullâ amplius rerum
externarum curâ, occupandis aliis procul dissitis regionibus
distracti, nihil quicquam memoratu dignum foris gesserunt.
9 Domi tamen validi, vicinos quosdam Regulos ceu benefi-
ciarios diu sibi devinctos habuerunt, ut infra dicemus. 2,18.
10 Mansit illis ista potentia etiam Helenæ ac Davidis tempore, 2,15,11.
donec ferali bello Adelensi tantùm non concideret; neque
11 ex illo tempore constabiliri potuit. Quippe illo adhuc du-
rante coorti Gallani, nec unquam postea domiti, nobilissi-
ma regna, & opulentissimas provincias depopulati sunt; &
adhuc quotannis reliquas vicinas irruptionibus suis vexant.
12 Tantum tamen virium illis superest, ut si *artes* & *arma Euro-
pæorum* adhiberent, & Barbaros illos subigere: & provincias
13 amissas recuperare possent.(43) Nam regnum sub tali Mo-
narchâ intus benè compositum: ubi tanta in populum pote-
stas: tanta malè vel bene faciendi facultas est: concordibus
inter se civibus, *uno eodemque consiliorum tenore perpetuo
servato*, facilè prævaleret genti vagæ, in tot tribus & factio-
14 nes scissæ. Irrita prorsus foret truculenta illius feritas, si, *mu-
nimentis ad pylas montium positis*, campestribus tormentis
15 ingressu saltem prohiberetur. Deducendæ essent *coloniæ*, &
bona pacis ostentanda; quibus etiam efferatissimæ gentes
16 nonnunquam mansuescunt. Tandem, quod caput est, &
ipsi Habessini flagrantissimè cupiunt, *ædificanda oppida*, opi-
ficiis, variisque belli & pacis artibus & homines & opes au-
17 gendæ essent. Si denique *Rex* ipse *de jure suo*, quod in bonis
privatorum habet, aliquid *remittere*: & eos quidem agros
qui jam culti possidentur, suo arbitrio reservare, *novalia* au-
tem & hostibus rursus erepta militibus, eorumque hæredi-
18 bus in proprietatem irrevocabilem distribuere: provincias

 in-

s) Georgius Elmacinus Histor. Saracen. Lib.I. c. 17.
t) S. Bochartus in Geographiâ sacrâ. L. II. c. 23. Sed adhuc aliud nomen Cyriacum ha-
buisse oportet. Plura de hâc historiâ in Comm. nostro.

integras, ab hostibus recuperatas, magnatibus atque belli Ducibus, bene rem gerentibus, *feudi* masculini jure concedere vellet, dubitandum non est, quin brevi regnum florentissimum cum maxima Christianismi propagatione redditurus sit.

19 Æquum sanè esset, ut in componendo ordinandoque regno à Christianis Europæ Principibus juvaretur, non tantùm ex Christianâ charitate & spe proferendi per Africam Christiani imperii, sed & ad infringendam Turcarum potentiam, si mare rubrum illis eriperetur, & Ægypti commercia infructuosa redderentur. (44) At proh dolor! ita affecti sumus erga alias Christianas nationes, ut nisi per omnia easdem de rebus divinis nobiscum amplectantur sententias: vel nisi partem bonorum & præmia ampla polliceantur, æquis oculis videre possimus, ut pereant: illorumque opibus infensissimorum Christiani nominis hostium res augeantur; non considerantes, in nos tandem malorum omnium summam redundaturam: nosque aliquando, nisi Deus avertat, discordiæ nostræ pœnas daturos. 20

21 Sic *Imperatores Græcos*, multosque Orientis Principes, opibus nostris juvare & sustentare distulimus, donec prædæ Ottomannis fierent. Sic, nemine nostratium sollicito, *Ægyptus* in Turcarum venit potestatem, maximum profectò potentiæ eorum additamentum; quasi verò nefas esset, canes alere, eosque in lupos armare aut concitare. Quòd verò Habessini non magis ambiant Christianorum Europæ societatem, illorum vel ignorantiæ vel cum Latinis discordiæ tribuendum. Adhæc graviter in eo, peccant, quòd portus & insulas maris rubri in Turcarum manibus jam ultra seculum relinquant, ut quasi arbitri sint, & rerum & personarum, quæ vel exeunt, vel ingrediuntur. Non enim intelligunt, vix ullam potentiam satis magnam aut validam esse posse, quæ non aliquem maris portum possideat. 22 23 24 25

26 Cæterum reditus regii non in pecuniâ numeratâ, sed in proventibus regionum naturalibus, æquissimo tributi genere, consistunt. (45) Aliæ enim *aurum*: aliæ *equos, jumenta, pecudes, frumentum, coria boum*, & similia præstant: paucæ, ubi textores sunt, etiam *vestes*. Aurum rude & informe afferunt, prout ex fluminum arenâ, vel arborum radicibus eruitur: vel levi labore ex summâ tellure carpitur. Monetam 27

enim

enim cudere neſciunt, ſed veterum more metalla ponderant.
28 In quo ab exteris mercatoribus plerumque decipiuntur, qui
aurum probæ notæ eſſe negant: & propterea mercibus vili-
29 bus commutant. Quanto melius ſibi atque ſuis conſultu-
rus eſſet Rex, ſi nummis à ſe cuſis omne totius regni aurum
redimeret & ſignaret, ſuo & ſubjectorum emolumento.
30 Enarea *mille & quingentas auri uncias* pendit;[u] olim multò
plus: Susneo verò mille, interdum *quingentas* ſolum dedit, B.T.I,23.
cum Gallanorum bello, aut diſcordiis internis Enareenſes
31 diſtinerentur. Ex Gojama quotannis circiter *mille & cen-
tum unciæ* penduntur, & *veſtis* aliquantum, *trium millium
patacarum* Luſitanicarum ſeu Talerorum Germanicorum
valore: adhæc *ducenti tapetes* goſſypini, valdè lati & arctè
32 texti, ſinguli unius ferè unciæ pretio. Olim etiam equos de-
derunt, ſed hoc tributi genus *Malac-ſaghedus* illis remiſit,
quo latrocinantibus Gallanis eò melius reſiſtere poſſent.
33 Porro ex Tigrâ *viginti quinque millia patacarum*; ex Dem-
beâ *quinque millia:* tantundem ex aliis regnis, & ſæpe minus,
34 redit. Præterea *vectigalia* habent, ſed primatibus ferè uten-
da fruenda conceduntur, exceptis Lamalmonenſibus, celſiſ-
ſimi illius, quem diximus, montis, quâ transitus eſt mercato- 1,6,2.
rum merciumque omnium in Habeſſiniam ex mari rubro
35 venientium, quæ Rex ſibi reſervavit. Poſſidet etiam ipſe
fundos & prædia ſua, ex quibus omnis generis edulia, decem
36 vel duodecim jumentorum onere proveniunt. Denique
Dembeæ, Gojamæ atque Bagemdræ agricolæ *frumentum*
atque *cibaria* præſtant. Ex Dembea *decem* vel *duodecim* ſar-
cinas annonæ accipit, quæ inter milites, quibus nulli agri: vel
37 inter pauperes dividuntur. Sed præcipuum *armentorum*
tributum eſt, quod ſuperiori ſeculo demum cœpit, quo ar-
mentarii ternis annis decimam boum ſuorum ſolvere tenen-
tur, quod idem eſt ac ſi quotannis trigeſimam darent. To-
tum autem imperium ita diviſum eſt, ut quotannis certæ
38 penſiones boum Regi obveniant. Præterea quilibet textor
Chriſtianus annuatim *veſtem* ex goſſypio, Muhammedanus
verò ድሪሜ: *Drimê* ſeu Patacam pendit, unde Regi quotan-
nis ferè mille imperiales redeunt.

39 Perexigui certè ſunt hujus imperii reditus, ſi tot tantasq;
regiones ſpectes. Sed contra reputandum, *pretia* omnium
rerum eſſe viliſſima; bovem maximum ſesqui talero emi
poſſe;

u) Quindecim millia ſunt Patacarum Luſitanicarum, ſive imperialium Germanicorum.

posse; *milites* opsonio ferè contentos vivere: & salaria ministrorum non pecuniâ, sed mercibus solvi. Adhæc si rerum 40
omnium copiam spectes, sat amplæ & exuberantes sunt Habessinorum Imperatoris divitiæ; non quòd gemmis aut margaritis diadema illius corruscet: aut plenæ sint pecuniâ arcæ: aut vasis aureis & argenteis splendeat domus: aut peregrinis ferculis distendatur mensa: dum interim subjecti egestatem, ministri paupertatem, milites inopiam patiuntur; sed suppetunt illi, quæ ad modicum victum, & tenuem ami- 41
B.T.I,21. ctum pertinent: *ad bellum* autem *viri militares atque bellicosi*, scil. populares pauperes, nullis domi deliciis retenti, ad arma promti, quibus aurum & argentum & quæcunq; homines pretiosa & desiderabilia putant, si ratio & justitia adsint, facilè parare possis.

CAP. XI.

De urbe Regia Axuma *Regumque inauguratione.*

1. *Axuma* Habessinorum quondam Regia, 3. hodie *pago* similior; 4. aliò translatâ Imperii sede. 5. Sic olim Occidens à Græcis Imperatoribus neglectus. 7. Illius urbis *situs* bonus. 8. Ibi *auspicia regni* olim capessebantur. 10. *Inaugurationis* ritus mirabiles. 13. Vbi Rex Israeliticus creari dicitur. 18. *Pauca* aliàs Habessinis *oppida*; 22. quia vicatim habitant: 24. *nullæ arces aut castella*. 25. Mirantur urbes magnas stabiles.

REgia Habessinorum urbs, totiusque regni quondam 1
metropolis AXUMA አክሱም: *Acsum*[x] Habessinis dici-
1,1,8. tur,(46) unde eos *Axumitas* quondam vocatos initio statim
memoravimus. Pulcherrimis structuris, basilicâ, obeliscis, 2
epitaphiis aliisque ædificiis Regiis ornata olim fuit; quorum
aliqua *literis ignotis* inscripta, antiquitatis argumento adhuc
visuntur; at bellis dejecta, vel vetustate exesa. Vrbs ipsa *di-* 3
ruta & *pago similior* est; *adeò instabilia & fluxa sunt, quæ
multis mortalium æterna putantur*. Quot urbes, quot monumenta desolata passim jacent, quorum autores sciuntur? imo quot adhuc extant, quorum autores ignorantur? De- 4
crevit sensim urbs ista, ex quo à Regibus suis, aulâ procul abscedente, *deserta* fuit, emolumentis, quæ dominantium præsentia afferre solet, privata. Sic translatâ Byzantium Imperii 5
Romani sede, Occidens neglectus fuit; idemque fatum pro-

cul-

x) de quo Nonnosus in Biblioth. Photii, n.3. p.m.2. Ἄυξουμις πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ οἷον μητρόπολις τῆς ὅλης αἰθιοπίας. Auxumis urbs maxima est, & quasi metropolis totius Æthiopiæ; malè certè *Chaxumo* apud Alvarez. c.37. Plura de ea habes in Comment.

cui dubio experta fuisset Roma, (47) quod Axuma, nisi Episcoporum suorum, nunc Pontificum Romanorum, curâ re-
6 staurata fuisset. Tempore belli Adelensis, deinde sub Rege Menâ defectione Proregis Tigrensis, & invasione Turcarum prorsus vastata fuit; ut hodie vix centum colonis habitetur. Itaque urbem magnam fuisse, rudera tantùm ostendunt.
7 *Sita* est in decimo quarto & dimidio gradu latitudinis Septentrionalis, campis circum fertilibus, iisque amœnis, atque Regiæ urbi convenientibus. *Quadraginta quinque leucis* Lusitanicis, sive sex vel septem dierum itinere, ob inter-
8 jacentes montes difficili, à Mari rubro distat. *Auspicia regni* hoc in loco capessere soliti sunt Reges prisci: nec coronationem neglexit Rex Susneus, quamvis inaugurationis cerimonias, cum eas tribuno Lusitano narraret, ut ineptas
9 ipse derisisset. Nam *multa Principibus vulgi gratia facienda sunt, quæ supervacanea aliis videri possunt*; ut ferè sunt *solennes priscorum ritus à simplicioribus inventi, & à pru-*
10 *dentioribus retenti.* (48) Eos ex *Tellezio* breviter referemus. *L. III. c. 53.*
Cùm Susneus coronaretur, primò rituum solennium Ma- *A. 1609.*
gistri ex commentariis suis, quomodo, & quo ordine quæ-
11 que facienda essent, Regi prælegerunt. Deinde, instructo qui aderat exercitu, peditatus præcessit: hunc secuti sunt equites phalerati: deinde aulici comti, & pulchrè ornati: mox Imperator ipse in generoso equo ac festo cultu conspicuus, Damascena tunica punicea intus, externè togâ Attalicâ,
12 manicis angustis & ad terram demissis, ornatus. Cùm accessissent ad saxum quoddam ingens, peregrinis characteribus notatum, *haud procul templo Axumensi*, juxta quod solennia inaugurationis peragi solent, Imperator cum aulâ totâ equis descendentes humi in pretiosis tapetibus constite-
13 runt. Tunc *virgines* Axumenses, *funem sericum prætendentes*, viam occupaverunt; Regemque transire volentem semel atque iterum interrogaverunt; *quis esset?* respondenti: *Rex sum Israëlitarum: utique non es noster Rex, regesserunt.*
14 His dictis subridens retrocessit. Tandem, tertiâ vice interrogatus, respondit: *Rex sum Sionis*; strictoque acinace funem scidit, quo facto exclamaverunt virgines: *revera es*
15 *noster Rex Sionis.* Simul sublatis in cœlum clamoribus, explosis, quę habebant, sclopetis: concentu tubarum, tibiarum, atque tympanorum circumjacentes montes reboaverunt.

 Qui-

Quibus peractis Metropolita Simeon, cum universo Ordi- 16
ne ecclesiastico, clericis, Monachis, & canonicis hymnorum
ac psalmorum cantu, Regem in primum templi atrium de-
ductum, ceremoniis solitis coronavit. Rex inauguratus tem- 17
plum intravit: post actam Eucharistiam sacrâ cœnâ usus fuit.
Eâ finitâ equitans in castra rediit diademate redimitus; *sce-*
ptro enim in Æthiopiâ non utuntur: neque *corona* aliud quid
est, quàm galerus lato margine holoserico cæruleo duplica-
tus, & bracteis aureis atque argenteis in modum liliorum or-
natus: &, quod mireris, adulterinis gemmis (veras enim eos
1,7,13. non habere diximus) interstinctus.

Præter Axumam nullæ in Habessiniâ urbes & *pauca op-* 18
pida sunt. In Tigra regno est ዶባርዋ፡ *Dobarua* Proregum
sedes & ፍሬሞና፡ *Fremona*, ubi prima patrū Societatis Residen- 19
tia, ut vocant, à Lusitanis ampliata fuit. *Gubay* oppidum est
Dembeæ, Reginæ habitatio, *Naninæ* in Gojama Lusitani 20
diu habitaverunt. መካነ፡ ሥላሴ፡ *Macana-çelaçe* in Amhara.
Plura nominare operæ pretium non est: nec constat an ad- 21
4,4,33. huc extent; nam ob vilitatem ædificiorum æquè facilè dese-
runtur & desolātur. Quippe *vicatim habitant* Habessini; quia 22
ædes conjungere non amant, multarum ob id litium exper-
tes. Neq; enim de tigno jungendo, luminibus obstruendis:
vel cæco pariete aperiendo:[y] aut stillicidio avertendo, actio-
nes metuunt. In locis cultis atque fertilibus agros vicis at- 23
Alv. que villis veluti consitos videre est, haud inamœno aspectu.
Neque arces aut castella habent; decantatissima enim Amha- 24
ræ loca ግሸን፡ ወአንባሰል፡ ubi Regum liberi olim custoditi fu-
1,6,10. erunt, rupes esse, supra monuimus. *Mirantur* Habessini 25
tot magnas apud nos urbes, easque stabiles & vicinas inter
se dari; vix enim ligna atque pabulum sufficere putant, tot
hominibus atque jumentis tam diu uno in loco hærentibus;
scilicet ipsi ubicunque castra ponunt, sine modo atque ordi- 26
ne obvia quæque cædunt atque avehunt, nullâ futuræ neces-
sitatis sollicitudine; neque enim flumina sua navigant: neque
convehendi aut coacervandi modos norunt; sine provisu fu-
turorum in diem viventes.

y) Sic cum J. Cujacio I. Observ. 31. legendam & exponendam censeo l. Eos 40. ff. de servitut. præd. urban. loco lectionis vulgatæ: aperto pariete communi, Græc. ἐν τυφλῷ τοίχῳ.

CAP.

CAP. XII.

De aulâ Regis, apparatu menſæ & officiis aulicis.

1. Reges ſub *tentoriis* degunt. 2. P. Pays primus *palatium* extruxit 3. *Gorgoræ*; 4. quod miraculo ſimile Habeſſinis. 6. *Menſa regia* ſuperba, non lauta; 8. humilis. 9. *Pro mappâ* placentæ ſunt. 10. Nulli *orbes*, nec *cultri*, &c. nec *ſal*, *piper*, &c. 14. *Fœminæ miniſtrant.* 13. *Cibi ſimplices*: 14. Regi Magnatibusque *in os* infer- ciuntur. 17. Poſt cibos potant. 18. *Pſalterium* totum in epulis regiis peroratur. 20. Modus excipiendi *Legatos* antiquus. 25. Nunc mutatus. 26. Primi aulæ mi- niſtri olim duo. 27. Ob nimiam potentiam 28. tandem abrogati. 32. Nunc *Râs* in bello ac pace ſummus eſt. 35. Poſt quem *duo Aulæ Magiſtri*; *Superior* & 36. *Inferior*; eorum officium. 38. Hinc *Proreges*, *Præfecti*, *Conſiliarii*, &c.

1 RElictâ igitur Axumâ Reges Habeſſinorum nuſpiam ſta-
bilem regiam, nullaque palatia habuerunt, *tentoriis* con-
2 tenti. At *P. Petrus Pays*, de cujus viri ſolertiâ plura ſuo loco 3, 10, 8.
dicemus, Regi domum ad formam Europæorum exſtruxit,
incredibili labore & induſtriâ; cum opifices idonei deeſſent,
eos omnes ipſe docere, illisque in opere inſtar Architecti præ-
3 eſſe neceſſe habuit. *Gorgoræ* in peninſulâ quadam lacus Tza- *A.* 1614.
nici, ubi Rex hybernare ſolitus erat, commodiſſimo & amœ- *B.T. IV*, 13.
niſſimo loco palatium ædificavit, cœnaculis, conclavibus, po-
diis atq; menianis ornatiſſimum, unde proſpectus in lacum
& circumjacentes campos jucundiſſimus dabatur; ita ut villæ
4 ſummi alicujus Europæ Principis non cederet. *Miraculo*
id fuit Habeſſinis; qui unam & alteram contignationem,
quam ſuperædificari poſſe non putaverant, cum ſtupore vi-
ſebant, & ቤት: ላዕለ: ቤት: Domum ſupra domum vocabant.
5 Quippe ad eum diem Patribus non crediderant, tot ſumtuo-
ſa palatia, ſplendidas baſilicas, & monaſteria magnifica in
Europâ dari. Iſta enim narraverant Habeſſinis, ad oſtentan-
dam eccleſiæ Romanæ magnitudinem & majeſtatem.
6 *Menſæ* regiæ apparatus à noſtro diverſiſſimus eſt, pau-
lò majore ſuperbiâ, at multò minore luxu; etenim prorſus
nemo ad convivium adhibetur, vel ſi maximè ex primoribus
aliqui invitentur, exſpectare coguntur, quoad Rex ſurrexe-
rit; tum demum ad eandem menſam accumbunt, & reli-
quias Regis conſumunt; idque illis valdè honorificum vide-
7 tur. Patribus Societatis id honoris datum, ut, ante Suſnei *B.T. III*, 32.
8 cubiculum, in eodem triclinio ſeparatim pranderent. *Duæ*
humiles menſulæ rotundæ, octodecim ferè palmorum am-

 bitu,

bitu, in ſolo ſtragulis conſtrato locabantur, una minor Regi: altera major patribus, *ſine* ullis tamen ſive *mantilibus* ſive 9
mappis, quarum loco *placentis* triticeis vel ſiligineis, ambitu ſex palmorum latis, atque tenuibus, menſæ operiuntur; ita panis illis pro mantilibus eſt, quæ famuli non amovere, neque componere aut lavare opus habent; cum cibis enim conſumuntur. Non *orbes*, non *cultros*, nec *furculas*, nec 10
etiam *cochlearia* apponunt. Imò ne *ſalinum* quidem: nedum *piperarium* aut *ſachararium*: nec quidquam luxurioſi inſtrumenti hîc viſitur. magno illis tempore belli compen- 11
dio, nobis impedimento; ubi tot equi, tot plauſtra, vehendo culinario inſtrumento, alendisque tot luxuriæ miniſtris requiruntur. *Dapes à fœminis* inferuntur, non in aureis vel 12
argenteis vaſis, ſed fictilibus patinis latis, minimèque profundis, nec furto aut rapinæ obnoxiis. Ex argillâ nigrâ fiunt, & operculis è ſtramine affabrè factis, pictisque ceu pileis teguntur. *Cibi ſimplices*, olera, carnes, juſcula varia, more eorum cocta. Statim ac fercula appoſita ſunt, aulæa præten- 13
duntur, ne quis Regem veſcentem conſpiciat; idque jure meritiſſimo. *Nam* quod vix credideris, & Rex, & ſummi re- 14
gni Proceres proprias manus ad os ferre grave ſibi putant.
B.7.d.1. p.288.b. Pueri enim aulici cibos ſecant, offas in os ingerunt, juſto ma- 15
jores autem inferciunt, haud ſecus ac ſi altiles aves ſaginarent. Etiam micas, quę fortè deciderunt, colligunt, easq; juſculo interdum benè tinctas ori indunt. Mos quovis craſſo te- 16
gumento velandus; delicatulis certè noſtratibus, qui vix ex eâdem lance cum convivis edere ſuſtinent, cum fame ſurgendum eſſet. Hoc verò magnates commune cum privatis ha- 17
bent, quòd *potum* poſt epulas differant, cibos ceu ſtabilimenta ventris præmittentes.

Id autem ſilentii velo tegendum non eſt, quòd precibus 18
epulas incipiant & finiant, quarum nonnullos noſtrorum aulicorum pudet, qui vix benedictiunculam exſpectare poſ-
Gregor. ſunt, cùm hîc *Pſalterium* ſæpe *integrum* in frequentibus conviviis ſine morâ epularum recitetur. Etenim is, cujus id of- 19
ficium eſt, inter præſentes omnes dispertitur pſalmos; Rex ipſe, quique ordinarii ſunt, jam penſum ſuum norunt: longiores inter plures dividuntur: breviores aliquot ab uno ſolo recitantur; ita à diverſis brevi ſpatio totum Pſalterium peroratur. *Id enim* omnium manibus teritur, neque alium li-

brum

brum quotidianarum precationum habent. (49)

20 *Modus excipiendi* Legatos longè diversus est ab eo, qui olim usurpatus fuit, Narrat enim Alvarez, post longam moram & magnum fastum, à crebris internunciis quater interrogatum fuisse Legatum Lusitanicum, Rodericum Li-
21 mæum: *unde cum suis venerit?* nec aliud responsum primo die accepisse, quàm *gratum esse illorum adventum*; neque illis Regem videre datum, & tamen munera allata ibi relin-
22 quenda fuisse. Quoniam sine donis coram Asiæ vel Africæ Regibus comparere non licet: neque ulla bonæ expeditionis
23 spes est. Contigerunt etiam illi Legato insolita nonnulla, nobis inurbana, scilicet, ne à quoquam, priusquam Regem
24 salutasset, visitaretur, & similia. Aliquoties vocatus, & ad colloquium primò interpositis aulæis, tardè demum ad videndum & salutandum Regem admissus fuit; sive more tum temporis apud illos ita recepto: sive quòd *Rodericus Limæus* non pro Legato Regis, sed à Gubernatore Indiæ missus haberetur: maximè quòd nec dona regia attulisset, nec
25 literis à Rege instructus venisset. *Quæ hodie* multò aliter se habent; nam superbiâ tot cladibus acceptis depositâ, comitatem & urbanitatem in virtutibus ponunt. cap. 69.

26 *Inter* officia aulica eminebat olim dignitas illius qui ብሕት:ደድ: *Bahtuded* vocabatur, cujus generis *duo* aulam
27 regebant, alius *manus dextræ*, alius *sinistræ* dictus. *Penes* hos summa rerum: hi secretorum omnium participes erant: cum his solis Reges familiariter loquebantur: à paucis aliis conspiciebantur; quasi majestas in arcano venerabilior esset.
28 Sed Regibus tanta potentia tandem gravis esse cœpit: quidam etiam eâ abusi sunt. *rarâ hominum moderatione, om-*
29 *nia posse, & non omnia concupiscere.* Dantur enim exempla eorum, qui, cupidine retinendi imperii, dominis suis malam gratiam pro maximo beneficio reddiderunt; autoritatem, quam à Principibus acceperant, in illos vertentes. (50)
30 Eo factum, ut vel Reges populo invisi perirent: vel ministros, à se in summum fastigium evectos, cum periculo suo rursus
31 deturbarent. Longè sapientius illi Principes agunt, qui maximam potestatem sibi retinent, nec summam rerum uni soli credunt: nec minus providi ministri sunt illi, qui eam non affectant, *tutiùs enim & faciliùs imperii munia à pluribus administrantur.*

 In

In illorum locum successit summum munus illius, qui 32
Æthiopicè ራስ: *Râs* ab Arabico رایس *caput* vocatur. Cujus
instituti ratio primò fuit *Ducatus belli.* Verùm ut autoritas 33
bellica & rei militaris gloria aliis muneribus facilè præpollet:
ita brevi factum, ut hi summi Duces bellici super reliquos omnes
exsurgerent, & arbitri regiorum consiliorum, adeoq;
præcipui rerum agendarum ministri & domi forisque habe-
2,6,77.&c. rentur. Talis fuit *Ras-Athanasius*, qui primò Zadenghe- 34
lum: dein Jacobum deposuit. Quare Susneo haud visum
alii quàm fratri uterino *Raas-Seelaxo* tantam dignitatem
conferre. *Post* hunc duo sunt *Aulæ Magistri. Superior* በለ 35
ቴኖት: ጌታ: *Bellatenôt Gueta*, q. d. *famulorum herus*, jurisdi-
ctionem in majores magistratus, Proreges, Præfectos, Præsi-
des provinciarum & judices inferiores exercet: *Inferior* verò 36
ደቀቅ: በለ ቴኖት: ጌታ: *Dakak Bellatenot Gueta*, familiam auli-
cam, stabularios atque reliquos regios famulos regit; qui
plerumque servilis conditionis, & diversarum nationum
sunt. *Manumissi* verò ad officia & dignitates evehuntur. 37
Reges enim Libertos sibi maximè fidos fore putant, quos
2,18,14. alias nemini fortunam suam debere sciunt.[51]

Post istos aulæ magistros sequuntur *Proreges* & provin- 38
ciarum *Præsides*, *Præfecti castrorum*, (de quibus mox) *Sena-
tores* sive *consiliarii Regii*, qui vocantur ሊቃን: *Prætores* & *ma-* 39
gistratus minores ወንበር: dicti nulla distinctione (ut vulgò lo-
quuntur) superioris vel inferioris jurisdictionis, *h. e. meri vel
mixti imperii*; nam & notionem criminum, & jurisdictio-
nem simul habent. Præfectum Prætorianorum ሀቃቤ: እሳት: 40
Custodem ignis vocant, Regem haud absurdè igni assimilan-
tes. Nam, *qui propè Reges & Principes agunt, ceu juxta
ignem incalescere, sed, nisi prudentiâ utantur, graviter adu-
ri possunt.*

CAP. XIII.

De castris regiis.

2. Regii *tentorii* descriptio. 3. *Castrametationis* pulcher ordo. 6. Eadem semper castrorum *dispositio.* 10. Quatuor partibus constant. 11. Olim in *Shevvâ* fuêre: nunc in *Dembeâ*; 12. non uno tamen in loco. 13. Eorum amplitudo. 14. *Vrbs* quasi *ambulatoria*; 15. veluti illa natans in India. 17. Castrensium ingens potentia.

VAna sunt, quæ de aliâ regia, vel metropoli Habessinorum
præter Axumam à nonnullis finguntur; *nam* Re-
ges

ges continuò ſub tentoriis degunt, ſive ædificiorum inſueti:
ſive quòd crebra bella & longinqua itinera haud diuturnam
2 quietem patiantur. *Regium* tabernaculum ampliſſimum, *Alv. c.88.*
colore album, in medio caſtrorum eminet, ſpatio ſat amplo
circum relicto, tam contra vim ignis, quàm ut turba aulico-
rum, nec non jumenta atque equi procerum peregrè adve-
nientium locum habeant. Deinde duo templa, nec non *Re-
ginæ*, ejúsque comitatus tabernacula viſuntur. Poſthæc ma-
gnates, amici & neceſſarii Regis, cæterique aulici tendunt.
3 Quatuor autem partibus conſtant caſtra, quarum quælibet
ſuum præfectum habet: anterior pars vocatur ፊት: *Frons*,
q. d. *Antica*, & præfectus ejus ፊት፡አውራሪ: *Fit aurari*. Po-
ſterior verò pars ኋላ: *Chuala, poſt* q. d. *Poſtica*. Prior ille præ-
cedit capiendo idoneo loco, ubi lignorum & graminis ſatis,
maximè verò juxta flumen vel lacum aliquem; ne aqua deſit.
4 Is primò præaltam perticam cum vexillo Regio erigit; quo
viſo, procerum metatores, ſumtâ menſurâ, herorum ſuorum
tentoria figunt. Poſt illos cætera militaris turba multique alii,
qui vel victus quærendi, vel negotiorum causâ caſtra ſequun-
5 tur. Ita paucarum horarum ſpatio eodem ordine caſtra
ſtant, quo paulò ante viſa fuerunt; quilibet enim ſuum ten-
6 dendi locum ejusque menſuram novit, quia eadem ſemper
eſt caſtrorum conſtitutio, iidemque vici ſunt & angiportus:
eadem fora, eædemq; plateæ & inſulæ; ut, niſi foris alia mon-
tium, alia camporum atque fluminum facies oculis obverſa-
7 retur, in eodem loco, atque vico morari te crederes. Cum
per præconem dies profectionis proclamatur, ſciunt quan-
do & quo ordine convaſare & proficiſci oporteat: qui ad pri-
mum, qui ad poſtremum agmen: quique ad dextrum, vel
ſiniſtrum cornu ſpectent; ita caſtra ſine tumultu moventur.
8 Nec ullâ in parte Habeſſinorum induſtriam magis lau- *B.T.I, 21.*
daveris. Eam, longo tempore & continuis bellis acquiſi-
tam, perpetuò retinent, ſine confuſione pergentes & reſiden-
9 tes. Conſtantiam diſpoſitionis & magnitudinem caſtro-
rum vel ex eo agnoſcas, quòd eadem dialectus, & eadem vo-
10 cabula in iiſdem vicis & plateis manent: alia autem in aliis
eorum partibus, (prout in magnis urbibus nonnunquam fit)
uſurpantur; nam pro ደለ: *Dala, Impoſuit*, anterioris partis
vocabulo; poſterioris partis vulgº dicit ጨመራ: *Tshammara*.
11 *Olim* in *Shewa* fertili atque omnibus rebus abundante regno,
prius-

priusquam Gallani id occuparent, caſtra plerumque poſita
fuerunt: at hoc ſeculo ferè ſemper in *Dembea* & quidem
duobus, tribus vel quatuor annis, uno in loco. Primis *Susnei* 12
temporibus, circa annum *1607. Cogæ* fuerunt. Deinde *Gor-
goræ* Anno 1612. & ſequentibus annis. Tandem *Dancazam*,
& noviſſimè ጐንደር : *Guendram* fuêre translata, quem lo-
cum *Bernierus* quia Regem in eo morari forte intellexerat,
Metropolim Æthiopiæ vocat, poſt paucos annos fortè nus-
piam apparituram.

Ampliſſima autem ſunt caſtra iſta, tam æſtiva quàm hy- 13
berna; non enim milites tantùm, ſed & omnis eorum fami-
lia, uxores cum filiis & filiabus pinſendis placentis, & aquæ
mulſæ miſcendæ præſto ſunt. Sic armatorum copias turba
inermium duplo major: Regem verò ipſum triplo vel qua-
druplo major vis hominum comitatur. Nec deſunt merca- 14
tores, opifices, lixæ & calones omnis generis; ut urbs potius
ambulatoria, inſulæ atque domus mobiles, quàm caſtra dici
mereantur. Vtique tot tentoria & tabernacula procul con-
tuentibus ſpeciem magnæ urbis faciunt. Sed minus mirum 15
hoc eſt, quàm quod ex *India* nunciatur: *eſſe juxta* Suma-
tram *inſulam, quasdam veluti urbes in ratibus perpetuò na-
tantes, in quibus nundinæ atque mercatus habeantur: mul-
tosque mortales in illis morari, quibus alia patria non ſit.*

Cæterum Caſtrenſes (ሰብአ : ከተማ : Habeſſini vocant) 16
in ſucceſſione Regum, & maximi momenti negotiis, pluri-
mum poſſunt: illorum nutum & ſtudia Reges in ferendis vel
abrogandis legibus ſæpè ſequuntur: ibi plerumque factiones
& ſeditiones naſcuntur. Haud aliter ac alibi prætoriano- 17
rum: vel in Regiâ aut metropoli quadam, ſtudia Principum
vel plebis præpollent, & reliquis regni partibus veluti exem-
plum dant, quod imitentur: ita apud Habesſinos benè vel
malè conſulta omnia è caſtris originem ducunt. (52)

CAP. XIV.

De re bellica Habeſſinorum.

1. *Bella* continua. 3. Inducias hyems facit. 4. Habeſſini boni milites, 5. robuſti & agiles. 6. Sine ſtipendiis militant. 8. Ideò regiones in transitu vaſtant. 11. Gallani paupertate ſuâ tuti; 12. Habeſſini rei tormentariæ imperiti ſunt. 13. Sclopeta pauca, & pauciores adhuc ſclopetarios, 14. eosque imperitos habent. 15. Militum numerus in peditatu ut plurimum conſiſtit. 16. Armatura levis. 18. Tympana equeſtria. 19. Peditum arma. 20. Dimachi nulli: 21. mala militaris diſciplina; quia 22. ſine metu infamiæ fugiunt. 23. Impetu prælia patrant. 24. Rupes illis

pro

pro arcibus & castellis sunt. 25. Rex ipse belli Dux. 26. Latrones impunè grassantur.

1 Bellicosos Habessinos esse, & continua illis bella gerenda, supra diximus: *nec* ullæ sunt induciæ, nisi quas hyems facit; quo tempore ob inundationes fluminum ab armis ces- 2,10,41.
2 satur. *Destituuntur* enim ratibus & navibus: ut & arte construendi pontes, quò flumina superstagnantia sine periculo
3 transire possint. Qua de re *Gregorius* sic ad me scripsit:

አልቦ፡ ተፃብኦ፡ በኢትዮጵያ፡ በወርኃ፡ ክረምት፡ ጸላኢ፡ ኢይመጽኡ፡ ኀቤነ፡ ወንሕነ፡ ኢንሐውር፡ ቦቱ፡ በእንተ፡ ብዝኀቱ፡ ለዝናም ወመልእቶሙ፡ ለአፍላጋት።	*Nulla belligeratio in Æthiopiâ est mensibus hyemalibus; neque enim hostes ad nos veniunt: neque nos ad illos; propter multitudinem pluviarum, & exundationes fluminum.*

4 *Bonos* milites Habessinos esse *Tellezius* quoque testatur; commodè equitant & promtè consurgunt ad bella; cùm erga Regem obedientiâ, tùm alias ob causas, quas supra retu- L. I. c. 21.
5 limus. *Robusti* sunt & agiles: famem & sitim æqualiter, ultra quam crederes, tolerant: modico victu quamlibet cœli 1,14,26.
6 intemperiem patienter ferunt. *Sine* stipendiis militant; adoreâ, & agris, quos Rex benè merentibus tribuit, veterum Ro-
7 manorum (51) militum more, contenti. Igitur propulsando communi hosti, & patriæ defendendæ multò fideliùs pu-
8 gnant, quàm pro mercede. Quia *neque* belli trahendi artem norunt: neque sibi parcunt, ut locupletes domum re-
9 deant. Nullas ab hostibus prædas, nec lytra exspectant; ideò nec illos in præliis servant. *Ista* tamen militum pauper-
10 tas provinciis, quas transeunt, paupertatem affert. Cùm enim difficile sit, per tot asperos montes, tamque longa itinera, commeatum secum vehere, rapiunt quæ sponte non dantur, & sic regiones suas non minùs ac hostes vastant, miserosque colonos in societatem militiæ cogunt, idem mox sui si-
11 milibus facturos. Quamobrem Gallanos, nec vincere, nec procul persequi possunt; etenim illis cū armentis suis procul abscedentibus, agros incultos & mapalia vacua offendunt.
12 *tam validum contra hostes munimentum est paupertas.* Aliis tamen artibus Gallanos domari posse supra docuimus; mo- 2,10,12.
13 do rei tormentariæ periti essent Habessini, atque bombardas tractare possent. Sclopeta (*Musquet*) ut Tellezius tradit, mille quingenta: sclopetarios verò duntaxat quadringentos, vel ad summum quingentos habent, sed parùm exercitatos; neq;

enim eos ita diſponunt, ut poſt aggerem vel vallum ab ho-
ſtium incurſu tuti eſſe poſſint. Itaque ſemel exploſum ſclo- 14
petum, ingruentibus magnâ velocitate hoſtibus, dum cele-
riter refercire non poſſunt, nec etiam pulvere pyrio abun-
dant, abjiciunt. Exercitus regius maximus, nunc temporis 15
quadraginta quinque hominum millia vix excedit; in quo
quatuor tantùm vel quinque millia equitum: reliqui pedites
1,10,7. ſunt. Generoſos & agiles equos, quales ſupra deſcripſimus,
Habesſini alunt, ſed eos non priùs conſcendunt, quàm cum
hoſte congrediendum ſit. Ipſi in mulis molliùs equitant,
equos juxtà ducentes. Velitum more leviter armati ſunt, & 16
quamvis pollicem tantùm pedis anguſtisſimo ſtapedi im-
mittant, ne ſcilicet lapſu equi pede hæreant, firmiter tamen
equis inſident. Gladios atque ſpicula, nec non lanceas & 17
veruta geſtant, hisque ſummâ vi eminus pugnant; mox gla-
diis vel haſtis rem gerunt, parmâ muniti. Tympana eque- 18
ſtria, ſed noſtris majora uſurpant; Regia, quæ maxima ſunt,
ድብ : ወአንበሳ :: *Vrſi* & *Leonis* nomine veniunt. Adhæc litui
& tibiæ Regem præcedunt. *Pedites* plerumque duabus ha- 19
ſtis inſtructi ſunt; quarum alteram ceu pilum in hoſtem vi-
brant, alterâ dimicant, ſcutis tecti. *Dimachis* non utuntur, 20
quod tamen in tali regione maxime neceſſarium eſſet, ut,
cum aditus equitibus ſunt præcluſi, pedites certent. Sed *di-* 21
B.T.I,21. *ſciplina militaris* Habesſinorum non laudatur. Ducum ma-
gis, qui eos regere neſciunt, quàm militum vitio. Fugiunt 22
enim ſine infamiæ aut pœnæ metu: neque transmittere fugi-
entes, aut hi ſeſe rurſum colligere docentur; quare primâ acie
concuſsâ, ſequentes, veluti torrente, ſimul abripiuntur. Ne
alas quidem ſubſidiis firmant: neque veteranos à tyronibus
ſegregant, virtutem inæquali miſturâ corrumpentes. Impe- 23
tu ferè prælia patrantur; in quo, quia Gallani prævalent, to-
ties Habesſinos vicerunt. Ea tamen facilè non detrectant,
quia cunctatione hoſtem laſſare, & ad occaſionem idoneam
circumducere, ignavum putant. Quæ res multis Regibus
exitio fuit, dum audaciùs, quàm conſultiùs pugnas iniverunt.
Artem muniendi caſtella, vel aditus munimentis occupandi, 24
prorſus ignorant, rupes ſuas ſibi ſufficere putantes. Reges 25
plerumque ipſi, inter bella nati & educati, copiarum ſuarum
ducatum gerunt: vel ſummum belli Ducem, quem ራስ : Ras
2,12,32. vocari diximus, creant. Cæterùm non hoſtibus modò, ſed 26
etiam

etiam latronibus valdè infesta est hæc regio; qui sæpè militum specie turmatim grassantur, & intuta itinera reddunt; idque impunè, quia Rex & Præsides provinciarum perpetuis bellis occupati, regnum ab his malis hominibus purgare non possunt; quos si persequaris, montium latebris se tuentur.

CAP. XV.

De bellis superiori seculo gestis; speciatim de internecino bello Adelensi.

1. Vetera bella incerta. 3. Intervallum inter Ægyptum & nostram Æthiopiam. 5. *Calebi* in Arabiam expeditio, & 6. superioris seculi bella. 7. Inprimis Adelense 10. calamitosissimum. 12. Lamenta Æthiopum Romæ. 13. Causa calamitatis, segnitia & voluptates Regis: 14. & Turcarum auxilia atque bombardæ. 17. Lusitanorum auxilia pro Habessinis. 19. Ductu Gamæi 22. hostes vincuntur. 23. Insignis istius fama. 25. Fides ejus tentatur à Graino, 26. sed frustra. 27. Confligere statuit. 28. Cautè agit, ut & Grainus; 30. cujus equus globo trajicitur. 31. Secundum prælium. 32. In quo memorabilis casus. 34. Castra hostium capta; 35. Rupem Judæorum 36. Gamæus aggreditur, & 37. expugnat. 38. Bellum redintegratur. 39. Gamæus sauciatus, 40. & in fuga deprehensus, necatur; 41. quem Claudius ulciscitur. 42. Hortantibus Lusitanis aggreditur 43. Grainum, & vincit. 45. Caput ejus jucundum spectaculum. 46. Regnum stabilit. 48. Post annos aliquot Adelenses vires reparant, 49. & Claudium vincunt & trucidant: 50. cui *Menas* frater succedit, 51. qui etiam in acie occiditur. 52. *Sertzadenghelus* F. Patre felicior. 53. Turcas vincit. 54. Post illius mortem bella civilia ob successionem orta.

1 NOn persequemur nunc vetera nimis & incerta, de expeditionibus Regum Æthiopiæ in Ægyptum; cùm nobis non constet, de quâ parte Æthiopiæ autores loquantur: &
2 quam latè Habessinorum imperium olim patuerit.(54) Non enim ea, quæ Historici de Æthiopibus Ægypto vicinis prodidêre, statim ad Habessinos applicanda; quia intervallum
3 inter Ægyptum nostramque Æthiopiam octo vel novem gradus, sive centum & amplius milliaria Germanica continet: in quo tam amplo spatio Nubia sita fuit, & juxta illam aliarum nationum Æthiopicarum Reges existere potuerunt.
4 Igitur, donec ipsas Habessinorum historias videamus, incerta pro certis tradere nolumus. At celeberrimæ & indubitatæ sunt Habessinorum in Arabiam expeditiones, ut aliqui
5 etiam annos suos ab irruptione eorum supputaverint. Homeritarum Regnum à Calebo eversum supra narravimus. 2, 4, 23.
6 Vt taceamus alia multa bella cum vicinis gesta, quorum historia nobis incomperta, veluti illud, quod superiori *A.* 1525. seculo cum Nubæis gestum, Alvarezius memoriæ prodidit.
7 Sed luctuosissimum & internecinum fuit, quod cum Adelen-

 len-

lensibus antiquis hostibus suis gesserunt. Primis quidem re-
gni sui annis David aliquot ab illis victorias reportavit. At 8
postquam Turcæ Ægyptum, nonnullosque Maris rubri por-
B.T.II,6. tus occupassent, Adelenses illorum auxiliis aucti, versâ planè
fortunâ, superiores evaserunt. Etenim Rex *Adelis Ahme-* 9
dem Muhammedanum, vulgò *Grainum* vel *Grañum*, h. e.
Scævolam dictum, ad capiendam vindictam cum exercitu in
Habessiniam misit. Is circa annum 1526. Fatagaram occu- 10
pavit. Primis quidem duobus annis vario Marte bellatum
fuit; at sequentibus duodecim annis, usque ad annum 1540.
quo David decessit, semper adversam fortunam experti sunt
Habessini. Rex præcipuis regnis exutus, *Mena* filio secun- 11
do (quem post Claudium regnasse diximus) capto, preca-
riam animam in rupe *Damo* traxit. In summam desperatio-
nem deductæ erant res Habessinorum, ut actum de patriâ
A.1548. suâ putarent. Sic enim lamentantur, qui tum temporis Ro- 12
N.T.Æth. p.100.b. mę agebant, in epilogo post Evangelium Johannis impresso:

ርቱዕ፡ ንበኪ፡ ተዘኪረነ፡ ፄዋ
ዌ፡ ሰብእነ፡ ወንስቲተ፡ ሀገርነ፡
ወውዕየተ፡ አብያተ፡ ክርስቲያና
ተነ፡ ወመጻሕፍቲነ፡ ወመሥዋዕቲ
ነ፡ ወአርኰሶ፡ አድባራቲነ፡ በእ
ደ፡ መሠሪ፡ ጕራኝ፡ ዘውጉ፡ ጠሊ፡
ረዋዴ፡ ወደጋፄ፡ በግዕ፡ እምዋ
ሲ፡ ጋሲ፡ እስከ፡ ባሕ
ረ፡ ኤርትራ።

Meritò autem nos flemus, recordantes captivitatis conterraneorum nostrorum: & vastationis patriæ nostræ: & combustionis templorum nostrorum: & librorum nostrorum: & sanctuariorum nostrorum: & profanationis monasteriorum nostrorum, per veneficum illum Grainum, hircorum socium, persecutorem & invasorem ovium, a Waçi-gaçi *incipiendo usque ad* Mare rubrum.

Inter causas tantæ calamitatis non minimæ erant, quòd 13
Rex ipse segnitiâ corruptus, voluptatibus totum se tradidis-
set, ut supra meminimus; pellicibus ita deditus, ut quibus-
B.T.I,19. dam ex illis idola in palatio suo habere permiserit: præter- 14
p.49. ea Turcæ, Christiani nominis odio, amicum Muhamme-
danum sclopetariis juverant, quos fulminantes tum pri-
mùm auditos, Habessini nullo modo sustinere, neque vul-
nera glandium insueta curare poterant: adhæc Muhamme- 15
dani plurimi per Habessiniam, ut diximus, sparsi, hostes suæ
sectæ secundo favore exceperant. Multi etiam Habessini, 16
ut rebus desperatis fieri solet, fortunam victoris secuti, Regem
suum

17 ſuum deſtituerunt. Ad internecionem cuncta ſpectare videbantur, cum Rex, per rupes latitans, auxilia Luſitanorum
18 circumſpicere cœpit. Miſſus igitur Anno 1535. quidam Johannes Bermudes Luſitanus; qui Romam primò An. 1538. *B.T.II,7.*
(ubi Æthiopiæ & Alexandriæ Patriarcha junctim creatus *& ſeqq.*
fuit) deinde in Luſitaniam Anno 1539. venit: ibique mandatum Regis Johannis III. ad Proregem Indiæ, de auxilio Luſitanorum in Habeſſiniam mittendo, ut quidem Tellezius tra-
19 dit, obtinuit. Ductor eorum fuit *Chriſtophorus Gamæus*, *Id. II,8.*
vir fortiſſimus, qui menſe Julio anni 1541. cum quadringentis & quinquaginta ſclopetariis in Regnum ingreſſus eſt, ſex machinis manuariis, ſive minoribus tormentis inſtructus.
20 Aſperum initio iter habuêre; jumentis enim & equis carebant, (tanta agrorũ deſolatio erat!) ut per arduos montes humeris
21 ſæpè cuncta bajulare cogerentur. Pauci hi milites, ſed lectæ virtutis, & gloriâ liberandi Regni Habesſinorum accenſi, im-
22 pigrè labores omnes ſuſceperunt. Quare mutatâ fortunâ, qui modò victores erant, ubique fundebantur, bombardas paventes. Primò rupem *Amba-Sanêt*, inexpugnabilem viſam, Gamæus aggreſſus eſt, ac de eâ hoſtes magnâ virtute
23 deturbavit. Quæ res illi famam magnam: Habesſinis verò animum addidit vires reſumendi. Primò Regis mater de rupe, in quam non niſi funibus trahebantur & demittebantur
24 homines, paucis his viris confiſa, deſcendit. *Claudius*, qui procul in Shewa latebat, venturum ſe quidem ſcripſerat: ſed cum per tot hoſtes ſalvus transire non poſſet, Gamæus ſolus belli molem incredibili audaciâ cum paucis Habesſinis ſuſti-
25 nere coactus fuit. Non ignarus erat virtutis Luſitanorum Barbarus: neque ſatis fortes putabat ſuorum animos contra machinas Luſitanorum. Itaque tentare animum Gamæi, ſimul explorare copias ejus, miſſoque in ſpeciem legato, *temeritatem ei exprobrare, & tutum abitum, tanquam ab Habes-*
26 *ſinis decepto, polliceri.* Sed Gamæus, quaſi contumeliâ irritatus, ferociter & contemtim reſpondit: *ſe à potentisſimo Luſitanorum Rege miſſum ulciſcendis Habeſſinorum injuriis, neque retrocedendi, ſed oppugnandi Graini causâ veniſſe.*
27 Quamvis autem hoſtium exercitus quindecim millium peditum, & mille quingentorum equitum æſtimaretur: inſuper ducenti Turcæ ſclopetarii adeſſent, quos maximè timere poterat; attamen virtuti ſuorum, quamvis paucorum, fretus,

 con-

confligere ſtatuit. Luſitanos autem caſtris tam diu conti- 28
nuit, donec hoſtes ea aggrederentur. At Grainus ſuos quo-
que cohibuit, gnarus paucorum dierum cibos Luſitanis ſu-
pereſſe; quò fame preſſi de colle, quem caſtris ceperant, de-
A. 1542. ſcenderent, eoque facilius circumdari poſſent. Nec illum 29
d. 4. *April.* ſpes ſua fefellit; tumulum relinquere coacti fuerunt Luſitani,
à Barbaris tamen circumveniri non potuerunt; tantum enim
terrorem cauſabantur illorum parva tormenta & bombar-
dæ, ut Barbari, ſpreto Ducis ſui imperio, propiùs ſuccedere
B.T.II, 10. non auderent. Cumque Grainus ſuos urgeret, accidit ut glo- 30
bulo in coxendice vulneraretur, equo illius ſimul occiſo.
Cadente Duce animus militum quoque concidit; idcirco ter
demiſſis tribus prætoriis vexillis, (*ut apud illos moris*) ſignum
receptui datum; Luſitani, locum prælii tuendo, ſe pro victo-
*d.l.II.c.*11. ribus geſſerunt. Poſt duodecim dies prælium à Barbaris 31
redintegratur, paratis ad id Luſitanis. Eodem, ut antea, ſuc-
ceſſu pugnantibus, caſus contigit atrox, primò lamen-
tabilis viſus, at mirâ Dei providentiâ victoriæ cauſa fuit.
Nam *pyrius pulvis*, dum illum fomitibus accenſis feſtinan- 32
ter petunt, ignem concepit; edito tanto fragore, ut equi Bar-
barorum, Luſitanos jam prementium, territi, vectoribus ſuis
ampliùs non parerent, ſed per campum vagi aciem ſuorum
turbarent. Quo viſo, Luſitani Turcis maximè inſtabant, in 33
quibus potiſſima barbarorum fiducia; his tandem propulſa-
tis, reliqui omnes terga dant. Eos tamen procul perſequi non
potuerunt, quia octo tantùm equos habebant. Caſtra ho- 34
ſtium capta & direpta. Sed hyems ſuperveniens prælia dire-
B.T.II, 12. mit. Eâ jam vergente Luſitani, nihil ſibi difficile rati, aliam ru-
pem arduam in Samenâ, Judæorum dictam, aggreſſi ſunt.
Adelenſes illam, pulſis Judæis, præſidio mille quingentorum
militum inſederant. Ampla enim erat, agros, prata, fontes ju- 35
gis aquæ, & rivos perennes continens. Judæus autem præ-
fectus quondam rupis, auditâ Luſitanorum virtute, autor fit
Gamæo illius oppugnandę: *multos* enim *ibi dari equos:* (qui-
bus indigere ſciebat Luſitanos,) exiguum eſſe barbarorum
numerum, quos centum Luſitani vincere poſſent, ſi per oc-
cultos calles, quos ipſe monſtraturus eſſet, barbaris ex impro-
viſo ſupervenirent: neque Claudium ſecurum tranſitum ha-
biturum, ſi rupes iſta in hoſtium poteſtate maneret. Ga- 36
mæus ex Reginâ intelligens Judæum vera dicere, expeditio-
nem

37 nem ipſe ſuscepit, proſpero ſucceſſu. Nam barbaris cæſis,
octoginta pulchros equos, trecentos mulos, ſervos multos
& prædæ ſatis cepit. Judæis rupem reſtituit, quòd audiviſ-
ſet, eos Habeſſinis ſemper fidos fuiſſe.

38 Interim Grainus, cognito ſine tormentis & ſclopetis
contra Luſitanos nihil effici poſſe, auxilia à vicinis *Turcis*, &
Arabiæ Regulis properè accivit. A *Baſſa Zebidenſi*, qui tri-
bus millibus Turcarum præſidium Maris rubri agitabat, ſe-
ptingentos, vel ut alii ſcribunt, nongentos circiter ſclopeta-
rios, & decem campeſtria tormenta obtinuit. Venerunt et-
iam nonnulli *Arabiæ Satrapæ* amici ejus opitulatum. *Ga-
mæus*, ſive iſta neſciens: ſive duabus victoriis elatior, non
exſpectato, ut par erat, Claudio, qui (incertum quibus de
cauſis) juſto diutiùs morabatur: neque etiam Luſitanos, *B.T. II, 13.*
qui equos aliquos adducebant, opperiens: ſive denique co- *A.1542. d.28. Aug.*
actus, quòd nullibi tutum receptum ſciret, neque Grainum
ante exitum hyemis venturum putaret, haud longam mo-
ram prælio fecit; ſed vim Turcarum non ſuſtinuit; nam dum
39 eos ſummâ vi trudit, ictu globi in crure vulneratur. Ipſe
multis ſuorum, fortiſſimisque centurionum amiſſis, à ſuis,
nocte juvante, in proximam rupem rapitur. Saucii & pu- *Id. II. 14.*
gnâ feſſi interfecti: reliqui per ſylvas ſparſi: caſtra hoſtibus
manſerunt. Quatuordecim ſolummodò Gamæum comi-
tabantur, plerique vulnerati; ſine medicaminibus, ſine fo-
mentis, inter denſa arbuſta, omnis conſilii inopes, juxta fon-
40 tem ægerrimè corpora reficiebant. Sed ibi ab Arabibus &
Turcis nonnullis deprehenſi, ad Grainum victoriâ exultan-
tem ducuntur. Is, propoſitis centum & ſexaginta circiter Lu-
ſitanorum capitibus, Gamæo inſaniam tentati contra ſe belli
objecit: dein illum, cum animoſiùs reſpondiſſet, excrucia-
tum necavit.

Conclamatum rurſus erat, cum Rex tandem advenit; *Id. II, 15.*
congreſſu haud læto, triſtis ipſe, auditâ Gamæi nece, quem
oculis ſuis videre cupidiſſimè voluerat: nec minùs triſtes, ad
quos veniebat; cùm ob cladem recentem, tum quòd exi-
41 guam militum manum ſecum adduxiſſet. Igitur tres vel
quatuor menſes inſumti, donec plures copiæ contraheren-
tur. Supererant centum & viginti circiter Luſitani, qui mor-
42 tem Ducis ſui vindicare ardebant. Hi vehementer Regem
urgent, ut prælium rurſus audeat, ſpem victoriæ certam fa-
cien-

cientes. Nam audiverant quod Turcæ, ducentis tantum 41
ſuorum relictis, discesſiſſent, ſive mandato Baſſæ à quo miſſi
erant: ſive indignatione, quòd traditus illis non fuiſſet Ga-
mæus. Rex, quanquam non niſi octo peditum millia, &
quingentos equites penes ſe haberet, ardorem tamen Luſita-
A. 1543. norum ſequi voluit. Et primò proſperâ velitatione aliquot 43
m. Febr. Barbarorum cohortes præmiſſas fudit: mox Grainum, qui
B.T. II,16. exercitum tredecim millium ducebat, aggreditur, & vincit.
Dux ipſe, tot annis Habesſiniæ terror, globo à Luſitano ictus, 44
occubuit. Turcæ omnes præter quatuordecim occiſi. Grai- 45
ni caput cum ſummâ animi voluptate ab omnibus ſpecta-
Id. II, 17. tum, per pleraque regna & provincias oſtentatum fuit. *Illo*
conſpecto animam & ſpiritus reſumere Habeſſini: Regi ſuo
gratulari: qui defecerant, redire, & neceſſitatis prætextu ve-
niam petere. Rex, temporum illorum ſtatum conſiderans, 46
condonare omnibus, nutantes confirmare, clementia popula-
rium animos demulcere, vires diſperſas colligere, omnia de-
nique facere, quæ ſtabiliendo regno utilia videbantur. Vnum
modò ex præcipuis belli Ducibus, cui Rex jam ignoverat,
Luſitani trucidarunt, Gamæi cædem illi imputantes. Mor-
tem perfidiâ ſuâ meruiſſe credebatur; ſic juſtitia valuit, nec
invidia facti Luſitanis nocuit. Interea *Gallani*, obſcura huc- 47
usque gens, negligebantur, quamvis multas provincias, bel-
lo Adelenſi vaſtatas, invaſiſſent; quia in tantam perniciem
non erupturi credebantur. Major tunc metus ex Adelenſi- 48
bus erat, qui interjecto tempore vires reparaverant, opportu-
Id. II, 29. nitatem modò invadendi ſpeculantes. Cum ergo explora- 49
tores apud Habeſſinos neglecta & incurioſa omnia nuncia-
rent, *Nuro* Duce magnâ vi in Habeſſiniam irrumpunt: *Clau-*
dium obviam progreſſum fundunt: & circumventum, ut
2,6,25. ſupra memoravimus, trucidant. Poſt cædem Claudii *Me-* 50
A. 1559. *m. Martio.* *nas* frater regnum obtinuit, popularibus ſuis ob ſuperbiam
2,6,33. & ſævitiam inviſus. Exinde nata *bella interna*: Turcæ in re- 51
gnum vocati, Regem prælio victum vitâ privarunt; atque
tum *Arkiko* portu, & inſulâ *Matzuâ* potiti ſunt, ut alibi
1,16,6. narravimus. Filius ejus *Sertzadenghelus* patre multo feli- 52
2,6,36. cior fuit; magnâ enim gloriâ multas res præclarè geſſit. Tur- 53
cas quidem è Tigrâ, non verò portu & inſulâ ejecit. Conti-
nuis bellis, partim cum Gallanis, partim cum rebellibus, tri-
2,6,55. ginta tres annos regni ſui transegit. Poſt ejus mortem *crebra* 54
bella

bella civilia ob ſucceſſionem regni inter Regios juvenes ſuſcepta, Habeſſinorum vires debilitaverunt: Gallanorum verò auxerunt, ut ex eo tempore ad hunc usque diem debellari non potuerint. Quæ verò *bella ſacrorum causâ* tempore Patrum Societatis geſta fuerint, infra dicemus. 3,10. *& ſeq.*

CAP. XVI.

De fœderibus & legationibus Habeſſinorum.

1. Ad *Luſitanos*, famâ inclytos, 3. *Helena* Legatum mittit *Matthæum Armenum*, 4. exterum cur? 6. Qui poſt longam in *India* moram in Luſitaniam venit. 7. *Suſpectus* ob varias cauſas. 9. Legatur viciſſim *Odoardus Galvan*: 10. cui *Rod. Limaus* ſurrogatus; ejus ſacerdos *Alvarez*. qui 11. poſt ſex annos demum dimiſſus, 12. adjuncto *Tzagazaabo* cum literis ad Pontificem. 13. quas tamen non ipſe, ſed Alvarez Romam tulit, 14. Leguntur Bononiæ publicè cum applauſu, ſed vano, quia Claudio alia mens fuit. 15. Sed acceptis Luſitanorum auxiliis, 18. *religionem* Latinorum averſati non ſunt. 19. Vnde *ſpes* acceſſionis ad Roman. Eccleſ. 20. Miſſæ ad *Papam Epiſtolæ*: & 21. *Legatio* decreta, ſed 24. eventu caruit. 26. Poſtea *interrupta* cum Europæis *commercia*: nec intromiſſi niſi priùs tentati matrimonio. 27. *Legationes Habeſſinorum* raræ; 28. niſi fortè *Conſtantinopolim*: & 29. ſemel *Bataviam* in Indiâ. 30. *Legati* plerumque *exteri* ſunt. 31. Fictum cum *Perſis* fœdus.

1 QVo tempore *Luſitani*, claſſibus in *Indiam* profecti, mul-
tos mortales bello aggreſſi ſunt, fama eorum etiam ad
Habeſſinorum aures pervenit; qui Saracenorum potentiam
labefactari gaudentes, & *Ægyptum*, *Patriarchamque* ſuum
Alexandrinum in libertatem vindicari: & *iter Hieroſolymi-*
tanum (quod plurimi cupidè expetebant) patefieri poſſe
2 ſperabant. Jamque *Petrus Covillianus* (de quo ſupra) apud 2,1,5.
Habeſſinos erat: illisque de Luſitanorum rebus certiora nar-
3 raverat. Igitur *Helena*, quam Davidis aviam, regnique
adminiſtratricem fuiſſe diximus, circa annum ſuperioris ſe- 2,6,13.
culi nonum, Legatum ad Luſitanos miſit *Matthæum*, na-
tione *Armenum*, Arabicæ linguæ, rerumque peregrinarum *Prœm.n.7.*
4 probè gnarum, addito nobili juvene Habeſſino. Extero
uti voluit, ſive quòd neminem inter populares ad talem le-
gationem obeundam idoneum reperiret: ſive quòd nemi-
nem ſuorum tutò pervadere poſſe crederet ad Luſitanos,
pleriſque vicinis ob direptionem navium Saracenicarum
5 valde inviſos. In magno ſanè periculo Matthæus, & ali-
quamdiu captivus fuit; variis tamen artibus è manu Ara-
bum elapſus, *Goam* ad *Albuquerquium* Indiæ Proregem
cum comite ſuo pervenit. Qui illum, etſi ſplendidè exce-

ptum, in Lusitaniam mittere dubitavit; quòd ista legatio ne-
que dignitati, neque magnitudini famosi illius Presbyteri Jo-
hannis respondere videretur. Mandatum igitur à Rege suo 6
prius opperiebatur. Tres annos in Indiâ detentus Matthæus,
circa annum Christi 1513. demum in Lusitaniam venit. Lite- 7
ræ[z] quas ab Helenâ attulit, Æthiopicâ simplicitate, sine ul-
2,1,52. lius tituli præfatione scriptæ, plus continere, quàm præstari
posset, videbantur. Commeatum enim, aliasque res mille 8
navibus necessarias, liberaliter obtulerat. Id pro vanâ jactan-
tiâ à Lusitanis habitum, qui fortè naves suas Indicas intelle-
xerunt, Helena autem de navigiis accolarum Maris rubri lo-
cuta fuerat. Ipse Matthæus mercator vulgaris, sine regio co- 9
mitatu, vix apparebat dignus tanto munere: & pudor agniti
falsi Legati metuebatur. Post longam cunctationem tan-
dem agnoverunt: & vicissim alia legatio ad Habessinos de-
creta; missusq; *Odoardus Galvan*, qui eâ fungeretur. Huic 10
in itinere fato functo *Rodericus Limæus* successit; cujus sacer-
*Prooem.n.*8. dos fuit *Franciscus Alvarez*, qui Itinerarium Lusitanicè sty-
B.T.II,5. lo simplici & plano scriptum reliquit, postea in varias linguas
translatum.[a] Sex annos in Æthiopiâ Legatus iste hæsit, pri- 11
usquam à Rege dimitteretur, quò vicem, ut videtur, Lusita-
nis redderet. Tandem eum dimisit, addito *Tzagazaabo* 12
cum literis ad Pontificem & Regem Lusitaniæ, insolenti illo
2,1,44. titulo, quem supra retulimus, scilicet ornatis. Sed, quod 13
mireris, *Tzagazaabus* Romam non venit, usque in Annum
1539. Vlissiponæ retentus. Alvarezio commendatæ fuerunt
epistolæ,[b] qui eas Bononiam detulit, simulque de Regis Ha-
bessiniæ erga sedem Romanam obsequio prolixè disseruit.
Lectę fuerunt coram Clemente VII. Pontif. Max. & *Carolo V.* 14
Imperatore, magno aulæ Romanæ applausu, sed irrito even-
tu; nam & ista, & quæ *Johannes Bermudes* postea in eandem
sententiam Romanis nunciavit, *Claudius* Rex planè rata ha-
bere noluit; tanquam nunquam mandata, neque sic intelle-
cta, sed totum hoc legationis negotium, adeoque literæ ipsæ,
operâ

z) Reperiuntur post præfationem Itinerarii Alvarezii, ut & in libello Damiani à Goëz: De Legatione Magni Indorum Imperatoris ad Emanuelem Lusit. Regem, primùm Antverpiæ excuso, deinde Dordraci Ann. 1618. recuso: sed lapsus memoriâ est Tellezius II, 5. dum scribit: Matthæum attulisse Davidis Epistolam titulis plenam. Id enim de Tzaga-zaabo vel Alvarezio accipiendum.

a) Michaël de Selves Hispanicè: Alii Italicè & Germanicè verterunt: Paul. Jovius idem Latinè reddere promisit, sed non præstitit.

b) passim extant apud Alvarezium. Dam. à Goëz de Æth. moribus; & Tom. II. Hisp. Illustratæ p. 1290.

operâ & ſtudio Luſitanorum confictæ fuiſſent; de ſe certè *N.G.II,18.*
15 conſtanter negavit, tale quid in mentem ſibi veniſſe. Inte- *p.321.*
rim afflictis Habeſſinorum rebus, auxilium quadringento- *2,15,18.*
rum quinquaginta armatorum, orante *Johanne Bermudez*,
in Habeſſiniam miſſum, mandato Regis *Johannis III.* ut qui-
16 dem *Tellezius* narrat. At *P. Petrus Pays (cujus relationem* *L.II.c.6.*
L.II. cap. ſeptimo ipſe edit & laudat) diſertè ſcribit, *imploran-* *p.114.b.*
te Reginâ Æthiopiæ id factum: & Stephanum Gamæum, qui *p.117.a.*
aliam ob cauſam, videlicet incendendæ Turcarum claſſi in
Mare rubrum venerat, & caſu ad Matzuam inſulam ap-
pulerat, habito præcipuorum claſſiariorum concilio, decre-
viſſe auxilium mittere, quòd id videretur è re Dei & Regis
17 *ſui eſſe.* Quâ deliberatione certè opus non fuiſſet, ſi Rex id
jam antea mandaviſſet. Vtcunque ſe ea res habuit, certiſſi-
mum eſt, auxilium illud Habeſſinis & neceſſarium valde &
18 perutile fuiſſe, ut ex ſupra dictis conſtat. Ex illo tempore
honorificum & gratum fuit Habeſſinis Luſitanorum no-
men: neque religionem tunc averſati ſunt; ſed potiùs eorum
templa frequentaverunt, eosque in ſua rurſus admiſerunt:
nec non facultatem dederunt Luſitanorum uxoribus Habeſ-
ſinici generis, Miſſam cum maritis ſuis frequentandi, iisdem- *2,6,31.*
19 que ſacris cum illis utendi. Propterea temporibus Claudii
Romæ & in Luſitaniâ ſpes erat, poſſe Habeſſinis Romana ſa-
cra perſuaderi. At poſtquam id fruſtra fuit, aliquamdiu à le-
gationibus ceſſatum: & interrupta quaſi fuit cum Luſitanis
amicitia; donec Patrum Societatis artibus Regum poſterio-
rum animi ad obedientiam, ut vocant, ſedi Romanæ præ-
ſtandam flecterentur.
20 Miſſæ deinceps ad Papam & Regem Hiſpaniæ, qui tunc
Luſitaniæ dominabatur, epiſtolæ & ſecuta reſponſa, occaſio- *B.T.IV,3. & ſeqq.*
nem dederunt Susneo legationis in Europam decernendæ.
21 Delectus ad eam ፍቁር፡እግዚእ፡ *Fecur-egzie*,[c] adjunctusque
fuit Pater *Antonius Fernandezius*, qui per avia & ignota iti-
nera meridiem verſus proficiſci, & Melindam ad littora O-
ceani Indici penetrare juſſi ſunt, unde facilior & tutior in In-
22 diam trajectus foret.(59) Hi ergo è *Gojamâ* profecti *Ena-* *A. 1613. m. Aprili.*
ream petiverunt: exinde in regnum *Zend'erò*, deinde in
Cambatam, ultimum Habeſſiniæ ditionis regnum pervene-
23 re. Dehinc in *Alabam* profecti, ulterius progredi à Regulo
loci, ſectâ Muhammedanô, prohibiti fuerunt. Is legatum

 cum

c) malè *Tecur-Egzy.* apud Tellez. L. IV. c. 3. & ſeqq.

B.T.IV,10. cum ſociis cepit: & niſi jus gentium etiam inter barbaros valuiſſet, (Epiſtolas enim & munera ab Imperatore attulerant) impunè occiſi fuiſſent. Rurſus dimisſi, anno & ſeptem 24
menſibus exactis, irriti domum redierunt; nihil aliud, niſi barbaram feritatem, & innumera pericula experti. Incer- 25
tum verò eſt, cur ignota & periculoſa iſta via, per barbaras & ignotas gentes, per vaſtas & incultas regiones electa fuerit; cum per regnum *Dancalè*, Habesſinis amicum, ad portum
3,11,12. *Baylur*, quô Patriarcha Luſitanus poſtea ſecurè uſus fuit, tutò pervenire potuiſſent; planè quaſi non legationis obeundę, ſed explorandorum itinerum, & cognoſcendarum peregrinarum regionum causâ iter iſtud ſuſceptum fuiſſet.

Poſt illa tempora orto cum Eccleſiâ Romanâ disſidio, 26
pulſisque Patribus, omnia commercia cum Europæis ceſſaverunt; ut, quos olim ſtudio bonarum artium & opificiorum amaverunt, & ægerrimè dimiſerunt, nunc ægerrimè introrſum admittant; maximè ſi clericos & votis religioſis obſtrictos eſſe ſuſpicentur. Tentant ergò priùs, uxores ſingulis offerendo.

Raro aliàs legatos foris mittunt, niſi fortè in Ægyptum, 27
accerſendo Metropolitæ. Rerum enim & linguarum peregrinarum, æque ac viarum ſunt ignariſſimi. Ob vicinita- 28
tem Turcarum, & inde nata negotia, interdum Conſtantinopolim mittere legatos coguntur, ſicuti Anno 1660. qui-
1,10,38. dam Michaël cum muneribus ſolitis, Zecorâ vivâ: & mortuarum pellibus: pygmæis, & ſimilibus illuc profectus eſt; ut Thevenotius ſcribit.[d] Circa annum 1671. quidam cum pi- 29
ctis illis quadrupedibus, & literis ad Hollandicum Indiæ Gu-
1,7,68. bernatorem Bataviam venit, ut ſupra dictum. Sed qui mit- 30
tuntur, exteri ferè ſunt; Maronitæ, Armenii, vel etiam Arabes. Vanum verò ac falſum eſt, quod *Leonhardus Rauch-* 31
P.II.c.17. *wolff* in ſuo itinerario ſcribit: Presbyterum Johannem percuſſo cum Perſis fœdere, præſulem Chriſtianum cum ſacerdotibus miſiſſe, qui duodecim annorum ſpatio, ultra viginti urbes Perſiæ ad Chriſtianam religionem converterit. Vetus 32
atque confuſa videtur iſta relatio, & de antiquo illo Preſter-Chano Aſiatico Perſis vicino accipienda; ſed ille Habesſinorum Imperatori tribuit, idque duodecim ante adventum ſuum annis contigiſſe ſcribit. Credidit illi Philippus Nicolai,
L.I.c.1. atque figmentum hoc libro ſuo de regno Chriſti intulit, addito

d) Voyage du Levant. P. II. c. 68.

dito Anno 1562. quo tempore res Habeſſinorum erant afflictiſſimæ, ut ex ſupradictis liquet.

CAP. XVII.

De Proregibus, Præſidibus atque Præfectis provinciarum.

1. Varii *Præfectorum tituli.* 2. quidam *Reges* dicuntur, alii *Nagash* Rectores: 4. vel *Râs :* Capitanei, 5. ſicuti Tzagazaabus: 6. nonnulli *Shum*, i.e. Præfecti. 7. *Proreges.* 8. *Tzahfalam* & alia cognomenta. 9 *Ded* Azmat communis præſidum titulus. 11. Cauſa & origo *varietatis* horum titulorum ; ut & 12. Imperatorii tituli.

1 PRoreges, Præſides, atque Præfecti provinciarum, quos Rex pro lubitu conſtituit vel deponit, non communi quodam tituli genere cognominantur; ſed pro diverſitate re- *Alv. c. 43.*
2 gionum diverſas ſortiuntur appellationes. Sunt etiam qui Regis titulo condecorantur, veluti:

ንጉሠ፡ጋኛ፡ *Rex Gañ.*

እናርያ፡ንጉሠ፡ *Enareæ Rex.*

3 Alii veteri appellatione ነጋሢ፡ *Nagaçi :* (Amharicè ነጋሽ፡ *Nagash*) digni habentur; quæ vox *Rectorem, Dominatorem, Dynaſtam* denotat: & olim Æthiopiæ Regi ab Arabibus ſpeciatim indita fuit, ſicut in antecedentibus dictum eſt; ut : 2,1,32.

ባሕር፡ነጋሽ፡ *Bahr-nagash*, Regionis maritimæ Rector.

ጎዣም፡ነጋሽ፡ *Gojam-nagash.* Gojamæ Rector.

ወለቃ፡ነጋሽ፡ W*alaka-nagash.* Walakæ Rector. Regentem vulgus diceret.

4 Vocabulum ራእስ፡ *Râs* abſolutè, vel cum nomine proprio viri poſitum, ſummum belli Ducem (*Generaliſſimum vulgò*) denotat, ut alibi diximus; at ſi regnum addatur, præfectum 2,12,32.
illius ſignificat, quem vulgus *Capitaneum* **Hauptmann** / ſive **Lands-Hauptmann** dixerit; ut:

አንጎት፡ራእስ፡ *Angot-Ras* i.e. Angotæ Capitaneus.

ቡግና፡ራእስ፡ *Bugna-Ras*, Bugnæ Capitaneus.

5 Hoc titulo uſus fuit Tzaga-zaabus tametſi monachus, qui confeſſioni fidei à ſe editæ ſubſcripſit:

ቡግና፡ራእስ፡ሊቀ፡ካህናት፡ጸጋ፡ዘአብ፡ቃለ፡ሐፄ፡
ዘዣን፡ብሉል፡ሐፄ፡ልብነ፡ድንግል፡ i. e.

Bugna Râs, Archipresbyter, Tzaga-za-ab *Ian Beluli*[e] *Hatze Lebna Dengheli Legatus.*

e) Hoc nimirum illi ſonat *Johannes pretioſus* ſive *altus.* Idem illi eſt ዣን፡ሆንቅ፡ Sic inſanit in confeſſione ſuâ Fidei, quæ legitur Tom. II. Hiſpaniæ Illuſtr. de Æthiop. moribus p.1311.

Nonnulli ሹም : *Shum* i. e. præpositi titulo gaudent, qui aliàs 6
communis est omnibus minorum provinciarum vel præfecturarum alicujus Regni præfectis; specialiter verò competit iis, qui Guragæ & Cambatæ præsunt; ut:

ጉራጌ : ሹም : *Guragæ præpositus*

ከምባት : ሹም : *Cambatæ præpositus*, quem alioquin *Regem Hadiensium* vocant.

Prorex Tigrensis መኰንን : *Macuenen* dicitur, ut : ትግሬ : መኰንን : 7
Præses vel *Judex Tigræ.* Reliquorum cognomenta ex linguâ Æthiopicâ sic exponi non possunt, & forsan in linguis
vulgaribus solùm sunt significativa; veluti 8

አምሓራ : } ጽሕፈላም : *Ambara* } *Tzahfalâm.*
ዳሞት : } ጽሕፈላም : *Damota* } *Tzahfalâm.*
ሽዋ : } ጽሕፈላም : *Shewa* } *Tzahfalâm.*

ደምቢያ : ከንቲባ : *Dembea-Cantiba.*

በጌምድር : አዝማች : *Bagemder-Azmat.*

ገድም : ቃጠን : *Gedma-Katen.*

ኢፋት : ወላስማ : *Ifatæ Walasma.*

ፈጠጋር : አስጓ : *Fatagar Asgua.*

ሰሜን : አጋፋሪ : *Samen Agafari.*

Præfectus ጃባይ : *Diabai* ደጅ : አዝማች : *Ded-azmat* nomi- 9
natur, qui aliàs communis omnium Præsidum titulus est; & 10
propriè *Ducem militiæ provincialis*, seu *Tribunum militum*
denotat. Ista titulorum diversitas inde orta videtur, quòd 11
antiqui harum regionum possessores, priusquam in ditionē Regis venirent, ista cognomenta usurparint, eademque postea vulgus Proregibus & Præsidibus illarum vel dederit: vel ipsi retinuerint (60); conniventibus Æthiopiæ Regibus, quasi
augendæ existimationi suæ. Nā summæ dignationis voca- 12
bula ንጉሥ : *Negûs* & ነጋሢ : *Nagaçi* nonnullis Præfectis & Regulis relicta, in causâ fuêre, ut Imperator semet ንጉሠ : ነገሥት : *Neguça Nagast* i. e. Regem Regum vocaret.

CAP. XVIII.

De Regis Æthiopiæ beneficiariis Regulis, aliisque pleno jure illi subjectis.

1. *Reges tributarii* nunquam *quadraginta*, nedum *sexaginta* fuerunt. 2. Quatuor tantùm Gregorius noverat. 3. Præsides ii quatuor ad tempus à Rege præficiuntur. 4. Paucis dignitas hæreditaria. 5. Reliqui omnes pari jure *subjecti*. 6. Ejus rei causa. 7. Omnes *servi* dicuntur: & 8. ipsa Regina serva. 9. Id Lusitano cuidam intolerabile visum. 10. *Russorum* idem institutum. 11. Servi nomen licet laxius sumatur, 12. tamen à *servili conditione* parum absunt. 13. *Ritus* id arguentes,

14. in

14. in Ministrorum summo. 15. Nuncii Regii honor. 16. *Regis tentorium* sacrum. 17. *Supplicantium* voces variæ & mirabiles. 18. *Ambarensium.* 19. *Lusitanorum.* 22. *Gallanorum.* 23. *Castrensium*, & 24. *aliorum*: 25. *Monachorum.* 26. Quomodo Rex se gerat erga supplices. 29. Supplicum apud *Turcas*, & 30. *Indos* ritus. 31. Principum Europæ comitas amorem illis conciliat.

1 ÆThiopiæ Reges olim Regulos quosdam tributarios habuisse, in præcedentibus docuimus. *Sexaginta* fuis- 2, 10, 9.
se procul à vero narravit Matthæus ille Armenus: [f] nec magis
verè, qui *quinquaginta*, vel *quadraginta* scripsere, cum ne P. Jov. H.
2 quidem tot Proreges habeant. Quatuor tantùm Gregorius L. 18.
noverat, nempe *Sennaræ*, *Dancalæ*, *Guragæ*, atque *Enareæ* Reges. Verùm *Sennaræ* Rex dudum defecit: interdum etiam Habessinis bellum intulit. *Dancalæ* Rex amicus quidem est,
3 sed nullo tributi genere Neguço obstrictus. Reliqui omnes, sive Reges, sive Rectores aut alio modo vocentur, Regnis at-
4 que provinciis à Rege ad tempus præficiuntur. Paucis antiquo jure debetur, ut dignitas ista in familia eorum maneat.
5 Omnes autem etiam Regio sanguine orti: & nobiles, qui ex Israelitarum genere procreati putantur, pari jure Regi subjecti sunt; nullis Ducum, Comitum, Marchionum aut Baronum familiaribus titulis (ut Matthæus nugatur [g]) distincti.
6 Nolunt enim Æthiopiæ ut plerique Orientis Reges, illustribus familiis imperitare; *alios extollendo auctoritatem suam diminui censentes: nec idem à generosis viris servitium quàm ab humilibus exspectari posse: denique obesse virtuti hæreditarias dignitates: & viros magnos certiùs fieri quàm nasci.* Fideliores etiam putant eos, quos veluti è pulvere sustulerunt
7 ipsi, quàm qui fortunam à majoribus suis derivant. Se igitur solos Dominos, reliquos servos perhibent, neque in eo fratribus aut agnatis suis parcunt, si illis præfecturam aliquam conferant, hac formula utentes: *Præfectum creavimus hujus vel illius provinciæ N. N.* ለ ገብርነ፡ *servum nostrum:* neque aliter quàm in singulari cum illis loquuntur, *Tu* dicentes, cum aliàs honestiores inter se more nostro plurali secun-
8 dæ personæ utantur. Ipsam uxorem, quamvis lectissimæ nobilitatis, tali epitheto ornat: አንገሥነ፡ ለአመትነ፡ እገሌ፡ *Regnare fecimus (h. e. uxorem duximus) servam nostram N. N.* Proceribus suis scribit Rex: ለገብርነ፡ እገሌ፡ *Servo nostro N. N.* neque illi titulum hunc fastidiunt: sed vicissim se *servos* illius ap-

f) Hoc de eo refert Dam. à Goëz in libello supra allegato Tit. *De Regno & statu Presbyteri Johannis.* n. 11.

g) Ibidem n. 13. *Innumeros* ait (in Abassiâ) *dari Regulos, Duces, Comites, Barones, Dominos, &c.* Averem scire quomodo Æthiopicè dicti fuerint.

appellant. Vrebat ista vox generosum quendam Lusitanum, 9
ingenuo sibi appellationem mancipii dedecori esse ratus.
Itaque Præconi, more solito collatam Præfecturam procla-
manti, multum pecuniæ obtulit, ut, servi prænomine omis-
so, nomen ejus nudè pronunciaret; nec impetrare potuit.
Sed non est ut soli Neguço id vitio vertas, cùm omnes Afri-
cæ atque Asiæ Reges (61) eodem utantur instituto. Idem exi- 10
git *Russorum Autocrator*, tametsi Christianus; cujus proce-
res non nisi Γολοπ *Golop Servos* ejus se vocare, nec nomina sua,
nisi in diminutivo, literis ad eum datis, subscribere consueve-
runt.[h] Sciendum verò vocem ገብር፡ *Servus*, paulò laxiùs ac- 11
cipi quàm apud nos, neque tantùm mancipia, sed & alios
subjectos & famulos significare. Verum enim verò, si quod 12
res est dicere velimus, haud procul à servili conditione absunt
illi, qui corpore & bonis quovis tempore Regi suo servire te-
nentur: neque si paucos excipias, quidquam proprii habent.
Quin & ritus, quibus submissionem & reverentiam suam er- 13
ga Regem testantur, à servilibus parum absunt. Ipse *Bah-* 14
c. 117. *tu-dedus* ministrorum præcipuus, *Alvarezio tradente*, fe-
c. 69. & 74. more tenus nudus & vili fasciâ redimitus, inclinato capite, &
dextrâ ad solum usq; demissâ ante Regis tentorium stetit, suũ
አቤቶ፡ *Abeto* i.e. *Domine clementissime*, ter proclamans. In-
terrogatus pro more, *quis esset?* respondit: *esse se aulæ infi-
mum, jumentis Regiis sellas imponentem, ad jussa omnia pa-
ratissimum.* Cum nuncius Regius (quem ቃለ፡ንጉሥ፡ *Vocem* 15
Regis vocant) mandata Regis pedes exponit, pedites oportet
Alv. c. 72. esse omnes auditores. Nec ante tentorium Regis tanquam 16
ante sacrarium quoddam equitare licet, sed procul ab eo de-
scendendum est equo.

Supplices, desideria sua Regi expositui, certo quodam 17
in loco stant, & pro literis supplicibus, quas scribere ne-
sciunt, vocibus diversis (62) & sono peculiari, ut nationes di-
stinguere possis, dormientem Regem, summo manè, forti
voce inclamant, exaudiri se flagitantes. *Amharenses, She-* 18
wani, quique eâdem dialecto utuntur, celerrimè multisque
vicibus ingeminant has voces: ጃን፡ ሆይ፡ ጃን፡ ሆይ፡ *Jan hhoi,
Jan hhoi*, i.e. Rex mi! Rex mi! nonnulli addunt በሉል፡ ሆይ፡
ጃን፡ ሆይ፡ በሉል፡ ሆይ፡ *Belul hhoi, Jan hhoi, Belul hhoi*, i.e. Pu-
pilla mea! Rex mi! pupilla mea!

Hinc

h) scilicet: *Hansellus, Stephanulus, Laurentiolus*, &c. Servus tuus. A. Olearius in Itine-
rar. Muscov. & Pers. L. III. c. 6.

19 Hinc compoſuit Tzagazaabus ridiculum ſuum *Jan Belul* (aliis corruptiùs Beldigian) *Regem pupillam* & multo magis ridiculè reddidit *Johannem altum* vel *pretioſum.*[i]

20 *Tigrenſes* clamant ኀደሬዬ : *Hadarijè*! Domine mi.

Dembeæ & *Daræ* incolæ, ዬጌያ : *Iegja* Domine noſter.

Gafatæ & *Gojamenſes* ኣብቀዎ : *Abkawò*! ô pater Orphanorum.

Muhammedani ſuum يا سدي *Ia Siddi*! ô Domine mi.

Gongani & *Enareenſes* ዶንዞ : *Donzo*, Domine.

21 Luſitani morem indigenarum ſecuti, ſuum, *Senhor, Senhor,*
22 *Senhor* clamitant, donec exaudiantur. *Barbari* quo truculentiores eò truciores vocibus; nam *Gallani* more luporum, *Hu*! *hu*! *hu*! ululant: alii inſtar canum latrant, vel ſimiarum aliarumque ferarum voces imitantur, quibus dignoſci pos-
23 ſint. Sed caſtrenſes atque civiliores አቤቶ : *Abeto, Abeto, Abeto, Domine, Domine, Domine* dicunt; quæ honoris appellatio & Regi & aliis, quos nos Heros vel *Dominos clementes*
24 vocamus, tribuitur[k]. Alii aliis vocibus, quibus Regem honorari putant, eum compellant: *Solem,* vel *Dominum cordis*
25 *ſui* eum ſalutantes. At *Monachi* preces ſuas ad Regem delaturi (niſi aditus illis detur) *hymnum* quendam *canunt.* (63)
26 Hæ ſupplicum voces notantur; illuceſcente autē die Rex hos
27 vel illos vocari & audiri jubet: vel ſi momentoſa res ſit, ipſe audit, illisque reſponſa dat. *Præcipuum* ſanè *Regum officium* eſt exaudire ſupplicum preces, ſubjectisque jus & juſtitiam
28 tempeſtivè adminiſtrare. Cujus rei memores etiam barbari Reges facultatem dedêre pauperibus, & miſerabilibus perſonis, quib. aula occluſa, nec ullus Patronus eſt, deſideria ſua ad
29 aures regales ferendi. Ante feneſtras Turcarū *Sultani* ignis in
30 capitibus ſupplicum noctu ardet (64). In cubiculo Indię Regis, qui *Magnus Mogor* dicitur, campana pendet, quam in extremâ palatii parte ſupplici calamitoſo trahere licet; ſed ab excubiis retinetur, & ſi poſtea causâ ceciderit, importunam
31 ſollicitationem capite luit. *Principes noſtri* laudabili more libellos è ſupplicum manibus accipiunt, idque illis amorem ſubjectorum conciliat. Qui verò id detrectant: vel, ne miſeros audire & videre cogantur, per poſticum exeunt: vel literas ſine ullâ curâ aut mandato reponunt, triſtitiam ſubjectis, ſibi contemtum cum odio parant.

i) in Confeſſ. ſua Fidei ſæpe allegata. Tom. II. Hiſp. Illuſt. p. 1311.
k) Vide ſis relationem P. Hieronymi Lupi Anglicè impreſſam Tit: A short relation of the river Nile &c. p. 40. Plura habet Sandovallus de reſtaur. Æth. ſalute. 250.

V CAP.

CAP. XIX.
De judiciis & pœnis.

1. *Modus judiciorum* apud Habeſſinos ſimplex. 2. *Teſtes* perfunctoriè tantùm audiuntur. 3. Rara à Judicum ſententiis *appellatio*; & cur? 4. *Amneſtia* criminum, improbitatis hortamentum. 5. Inter pœnarum genera *lapidatio* : 6. *fuſtigatio*: 7. *relegatio* in inſulas lacus Tzanici, vel rupes. 8. *Homicidæ* noxæ deduntur. 9. *Mulcta* ab innocentibus boni publici cauſâ exigitur. 10. Diſſertatio de pœnâ talionis.

MOdus judiciorum hic ſimplex & planus eſt; nam, ut 1
1,14,5. ſupra retulimus, *ſine ſtrepitu proceſſus*, ſine ſcripturâ,
B.T.I,20. quam plerique ignorant, ore & verbis peraguntur. *Teſtes* 2
actori producere licet, quos quidem, ut ſuſpectos, reprobare poteſt reus; verùm cùm ignorent rationem articulorum probatoriorum & interrogatoriorum, in cauſis gravibus, ad accuratam veritatis inveſtigationem, & dicta teſtium rectè intelligenda, utique neceſſariorum, credibile eſt, & innocentiam & juſtitiam ſæpè ſuccumbere, teſtibus perfunctoriè duntaxat auditis. A latâ ſententiâ ad Regem, aut tribunalia 3
aulica *appellare* quidem licet, ſed id perrarò fit; partim ob paupertatem & moleſtiam itinerum: partim ob exiguam ſpem melioris ſententiæ; quia Præfecti atque Provinciarum judices appellationibus offenduntur, quaſi eo ipſo injuſtitiæ accuſarentur; quam ob rem ſententiâ gravati, eorum odium metuentes, malunt causâ quàm favore judicum excidere. Nec abdicatio à magiſtratu auxilium contra iniquam ſen- 4
tentiam affert; creberrimè enim vel gratiâ, vel pecuniâ *veniam & amneſtiam* omnium, quæ durante magiſtratu patraverunt, in aulâ obtinent; peſſimo improbitatis hortamento: illi clementiam vocant. Inter pœnarum genera, 5
quibus maleficos coërcent, præter *decapitationem* & *ſuspendium*, promptiſſima eſt *lapidatio*; quia lapidum ſat fertile eſt ſolum Æthiopicum: nec non *fuſtigatio*, ſi pœna ca- 6
pitalis non ſit; dum fuſtibus vel flagellis atrocia verbera nudis atque humi expanſis infliguntur. Nobiliorum pœna 7
deportatio eſt, vel (65) *in inſulam* Lacus Tzanici: vel in rupes excelſas atque aſperas, quæ illis inſularum loco ſunt; ſed non ſatis tuta, ob facile effugium, & agreſtes corruptionibus ob-
B.T.d.l. noxios. *Homicidæ* occiſorum propinquis quaſi *noxæ dedun-* 8
tur[1], in eorum enim arbitrio eſt, reo pro pecuniâ vel gratiam de-

1) Id *in Perſiâ* adhuc uſitatum, uti *Helvetus* quidam ob conſtantiam fidei memoriâ dignus, idem expertus eſt. A. Olear. Itin. Muſc. & Perſ. L.IV. c. 41.

delicti facere, vel illum exteris mercatoribus venundare: vel *P.Iov.d.l.18*
quo genere mortis voluerint, supplicium de eo sumere.
9 Quod si occisor ignoretur, incolæ loci & vicini omnes mulctam solvere tenentur, quâ cautelâ homicidia multa vel præ-
10 caventur vel produntur. Cæteroquin talionis pœna justissima & simplicissima apud multas gentes habita fuit, & etiamnum habetur; æquissimum enim videtur, ut *quod quis* Novell.143. c.1. *alii fecerit, idem patiatur.* Hinc Mosaicum illud: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* *Exod. 21,23* Deut.19,21. Sed quia non idem membrorum inter homines usus est: nec eadem æstimatio; nam pictor vel scriba dextrâ minus carere potest, quam cantor aut cursor: Lusco oculus suus multo magis necessarius est, quam qui utrumque salvum adhuc habet: denique nec membrum semper rumpi potest ad alterius rupturæ æquilibrium, ut Aul. Gellius ait; ideo apud cultiores gentes in desuetudinem venit. *L.20. c.1.* Id demum periniquum est parti læsæ executionem, illiusque iræ reum committere, cum judici incumbat sententiam sine affectibus & ferre & exequi.

FINIS LIBRI II.



LIBER III.

De

REBUS ECCLESIASTICIS HABESSINORVM

CAP. I.

De priscâ Habessinorum Religione, & ritibus eorum Iudaicis.

1. *Historia Ecclesiastica* Habessinorum quare tam *corrupta*. 2. Prima relatio *Matthæi Armeni* ambigua & falsa. 3. Nec melior Confessio Fidei *Tzagazaabi*; quæ 4. *Gregorio* stomachum movit; ideoque 8. illum *bestiam campi* vocavit. 10. Certiora *Patres Societatis*, 11. nominatim *Tellezius*, tradiderunt. 12. Commendatur Historia Ecclesiastica variis rationibus. 17. *Traditio* nonnullorum de origine rituum Judaicorum. 19. *Circumcisio* aliis gentibus usitata, 24. quomodo à Judaica differat. 28. *Præputii superinductio* quid? 31. Apud Habessinos Circumcisio non est cultus sacer. 32. Probatur ex Confessione Claudii. 37. Circumcisio *fæmellarum* 38. in Africâ, Ægypto & Arabiâ familiaris. 39. Quomodo fiat: 41. alibi ignota est. 42. Cur Habessini abstineant à *carne suillâ*, 43. ex eâdem confessione docetur. 46. Varii gentium circa cibos mores. 47. *Pythagoræi* hodie *Baneani* omnium: alii 48. nullorum animalium carne *abstinent*. 51. *Sabbatum* in primitivâ Ecclesiâ observatum docetur 53. è Constitut. Apostol. & aliis auctoribus. 56. Ejus *differentia* à die Dominicâ. 63. Num *defuncti fratris viduam* ducere in Habessiniâ liceat? 66. *Nervo luxato* abstinent cum Judæis. 67. *Rempubl.* quandam *Judaicam* fingit *Alf. Mendez*. 68. Quid de Eunucho Candacis sentiendum? 69. Secundum quosdam posteritas Menileheci defecit à verâ religione. 70. Judaismi suspicionem *Claudius* à se suisque amolitur.

NVnc ad Ecclesiasticam Habessinorum historiam progredimur, quâ vix alia corruptior; non enim ex illorum libris publicè receptis: nec à viris rerum sacrarum peritis profecta sunt, quæ in libris nostris sparsa reperiuntur; sed partim temeritate narrantium malè relata: partim ignorantiâ linguæ Æthiopicæ malè intellecta fuisse videntur. 1

Primam de Habessinorum religione relationem edidit *Damianus à Goëz* nobilis Lusitanus, ex narratione *Matthæi Armeni*, primi Æthiopici ad Emanuelem Lusitaniæ Regem Legati;[a] quæ multa ambiguè dicta: multa etiam falsa continet(1); ut *Tzaga-zaabus* secundus Habessinicus Legatus auctorem illius, tanquam peregrinum imperitiæ arguerit.[b] 2

Quam-

a) In opusculo sæpius allegato: De Legatione Magni Indorum Imperatoris, &c.

b) Sic enim in Confessione suâ Fidei aliquoties allegata ait: *Matthæus, quoniam Armenius erat, non poterat res nostras perspicuè scire, præsertim eas, quæ ad fidem spectabant. Idcirco multa coram Rege Emanuele exposuit, quæ minimè apud nos habentur. Id autem fecit, non quòd mentiri voluerit, quippe vir bonus erat, sed quod in rebus religionis nostræ non admodum erat edoctus.* Sed, ut mihi videtur, bonus ille Matthæus multa dixit quæ meliùs scivit.

3 Quamvis iste ipse in *Confessione* suâ *Fidei*, quam idem *Goëzius* edidit,[c] non multò meliora vulgaverit, atque eam ob
4 rem non injuriâ à *P. Balth. Tellezio* perstringatur.(2) Certè L. IV. c. 13.
Gregorius istâ visâ & auditâ multùm stomachabatur: & p. 334.
cum sequentia illius dogmata audiret:

(1) Iesum Christum esse Filium Patris, & Filium sui, & principium sui: eodem modo Spiritum Sanctum esse Spiritum sui, & procedere à Patre & Filio.

5 *(2) Descendisse ad inferos, ubi fuerit anima Adæ atque ipsius Christi, quam animam Adæ ipse Christus acceperit ex S. Maria virgine.* Et in fine libelli: *Christum descendisse ad inferos pro anima Adæ, atque pro suâmet anima.*

6 *(3) Sabbato & dominicâ die animas piè defunctorum in purgatorio minimè cruciari.*

7 *(4) Jussu & decreto Reginæ Maquedæ mulieres quoque circumcidi; eas enim quandam glandulosam carnem ········· habere, non ineptam accipiendo characteri circumcisionis;*
8 aliaque ejusdem farinæ plura, cùm audiret, inquam, non parum commotus, exclamabat: *figmenta, deliria, imò mendacia esse*; sæpiusculè addens: ለእመ:ይቤ፡ዘንተ፡እንስሳ፡ገዳም፡ኮነ። h.e. *Si dixit hoc, bestia campi fuit.*

9 Ex his tamen libris pleraque promanarunt, quæ nostri
10 scriptores de sacris Æthiopum memoriæ prodidere. At *Patres Societatis* tot annos in Æthiopiâ versati, inspectis Habessinorum libris, post crebras cum illis disputationes, certiora
11 tradere potuerunt. Quamobrem ex *Historiâ P. Tellezii*, cui Acta Patrum evolvere licuit, sacras Habessinorum res, quanta poterimus diligentia narrabimus: & quæ fortè obscuriùs, aut odio Alexandrinæ religionis invidiosiùs dicuntur, vel ex eorum scriptis, vel ex Gregorii dictis fideliter explanabimus.

12 Nulla autem *historia* Christianis jucundior esse potest, quàm *Ecclesiastica*, præsertim si altiùs ad Ecclesiam primiti-
13 vam recurramus. Quem non in summam admirationem rapiat veneranda Dei providentia in fundandâ & conservandâ Ecclesiâ suâ? cum videat, non armis, non artibus humanis propagatam, sed truculentis Ethnicorum persecutioni-
14 bus pressam, crevisse. Quem non juvet piâ mente contemplari invictos Martyrum animos, Doctorum constantiam, Christianæ plebis sinceritatem, fidei puritatem, bonorum operum certamen, infirmiorum tolerantiam, rituum ceri-

 mo-

c) Extat etiam in Tom. II. Hispaniæ illustratæ p. 1302.

moniarumque ſimplicitatem? At poſtquam iſta cum pace 15
Eccleſiæ verterentur, pro modeſtiâ ſuperbia: pro mutuæ dilectionis officiis, ambitio: denique factiones atque contentiones inceſſerunt; prorſus quaſi bonum otium ad id conceſſum fuiſſet, ut rimando myſteria fidei, & ſupervacaneas quæſtiones movendo, tempus, pietatis & charitatis exercitiis
dandum, conſumi oporteret. Ita *Satanas*, à vi apertâ ad 16
inſidias converſus, Eccleſiam, quam quæſitisſimis cruciatibus & acerbiſſimis ſuppliciis peſſundare non poterat, vitiis diſſipare tentavit.

Sed ad Habeſſinorum cultum ſacrum redeo, de cujus 17
origine diverſæ ſunt multorum ſententiæ. Qui *traditionem* Habesſinorum de Reginâ *Maquedâ* admittunt, ii ferè ſunt, qui putant eos cognitionem veri Dei à tempore Salomonis
B.T.1.25. tit. habuiſſe: ritusque Judaicos, veluti *circumciſionem: abſtinentiam à cibis lege Moſaicâ vetitis: obſervationem Sabbati: conjugium leviri cum glore*, & ſimilia, originem ſuam inde
traxiſſe. Verùm cùm iſta vel cum aliis gentibus, vel cum 18
Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ, qui ſeſe Judæis accommodabant (ut infra fuſiùs dicetur) communia habeant, haud firmiter affirmaveris, veſtigia hæc eſſe rituum à tot ſeculis ex
ipsâ Judæâ acceptorum. Nam *circumciſionem* (3) non Ju- 19
dæi tantùm, ſed etiam aliæ gentes & olim uſurparunt, & etiamnum uſurpant, ſine ſcientiâ originis, aut cultus alicujus
ſacri cogitatione. *Ægyptios* illam primitùs inſtituiſſe, vel ab 20
Æthiopibus didiciſſe: dehinc ad alias gentes, *Colchos, Phœnices, Syros* manaſſe, vetuſtisſimi hiſtoricorum ignoratione
veræ originis tradiderunt.[d] *Alnajah* gens Æthiopum cul- 21
tris lapideis circumciſionem peragit. *Homeritas*, ex quibus noſtri Habesſini oriundi, inter alios expreſsè nominat Epi-
Hær. 30. §. 30. phanius. Vt taceamus Troglodytas, Nigritas, aliasque in- 22
numeras gentes, quæ vel cauſam ejus ignorant: vel munditiem prætexunt:[e] vel circumciſionem generationi utilem eſſe fingunt:[f] vel quod illis præputium longius & propterea
præcidendum ſit, ut probabiliter *Thevenotius* ſcribit;[g] ne ſci- 23
licet puri illi Muſulmanni ſaccato humore (quem tamen intus in veſicâ geſtant) polluantur.

Nec Muhammedes imitatione Judæorum illam Arabi- 24
bus

d) *Herodot.* in Thalia, ſive L. II. c. 104.
e) τῆς καθαρειότητος εἵνεκεν, puritatis gratiâ, ait Herod. d. L. II. c. 27.
f) *Philo* Judæus cap. peculiari de circumciſione, has & plures alias rationes affert.
g) In itinere Orient. P. I. c. 32.

bus suis tradidit, sed repertam reliquit: nec ullam in toto suo
25 *Alcorano* illius fecit mentionem. Adhæc permagna est inter Judæorum, & aliarum gentium circumcisionem *differentia*; hæ enim genitalia tantùm circumcidunt: illi verò pelliculam etiam unguibus lacerant, ut glans planè detegatur, de-
26 ciduo utrimque præputio; quia nisi פְּרִיעָה *denudatio*, ut vocant, accesserit, circumcisio ritè peracta non censetur. Nam sic docent Apellæ: המל ולא פרע כאלו לא מל *Qui circumcidit &*
27 *non denudavit*, (est) *tanquam qui non circumcidit*. Quod, si fortè rursum coalescat, denuò rescindendum est, nisi quis
28 עָרֵל *præputiatus* haberi velit. Jam facilè intelligi possunt,
29 quæ de *præputio superinducendo* in sacris leguntur[h]. Etenim præcisum semel præputiũ, nullâ arte chirurgicâ restitui potest, quamquam sint qui id gratis asserant(4): lacerum verò, ceu labium fissum, si utrimque leviter vulneres, consui rursus &
30 consolidari potest. Ex isto solo intelligitur, Habessinos ean-
31 dem cum Judæis circumcisionem non usurpare. Neque ullâ aliquâ insigni cerimoniâ, aut commemoratione finis cujusdam notabilis peragitur, quidquid etiam incomtus ille Tzagazaab[9] ineptiat; *patratur* enim *privatim* à muliercula quâdam, remotis arbitris: idque ne vir quidem spectare voluerit.
32 Quod verò octavum diem observent, id potissimam suspicionem Judaismi auxit. Sed omnem dubitationem tollit *Claudii* Æthiopiæ Regis *confessio*, qui, suspicionem Judaismi de se suisque amoliturus, sic ait:

33 ወበእንተ፡ ሥርዐተ፡ ግዝረት
ኒ፡ አኮ፡ ዘንተገዘር፡ ከመ፡ አ
ይሁድ፡፡ እስመ፡ ንሕነ፡ ናአምር፡
ቃለ፡ ምህርሁ፡ ለጳውሎስ፡ ፈ
ልፈለ፡ ጥበብ፡ ዘይቤ፡፡ ተገዝ
ርኒ፡ ኢይበቍዕ፡ ወኢተገዝር
ኒ፡ ኢያሠልጥ፡ ዘእንበለ፡ ዳ
ግም፡ ሐዲስ፡ ፍጥረት፡ ዘውእ
34 ቱ፡ አሚን፡ በእግዚእነ፡ ኢየ
ሱስ፡ ክርስቶስ፡፡ ወካዕበ፡ ይቤ፡
ለሰብአ፡ ቆረንቶስ፡ ዘኪ፡ ነሥ
አ፡ ግዝረተ፡ ኢይንሣእ፡ ቍልፈተ፡ ኵሉ፡ መጻሕፈ፡ ትምህርቱ፡ ለጳውሎስ፡
ሀለዉ፡ ቢኀቤነ፡ ወይሜህረነ፡ በእንተ፡ - - -

Quod verò attinet ad morem circumcisionis, non utique circumcidimur sicut Judæi; quia (nos) scimus verba doctrinæ Pauli fontis sapientiæ, qui dicit: & circumcidi non prodest, & non circumcidi non juvat; Gal. 6, 15.
sed potius nova creatio, quæ est fides in Dominum nostrum Iesum Christum. Et iterũ dicit ad Corinthios: qui 1. Cor. 7, 18.
assumsit circumcisionem, non accipiat præputium[i]. *Omnes libri doctrinæ Paulinæ sunt apud nos, & docent nos*

h) Περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω. *Si quis circumcisus vocatus fuerit, ne superinducat* sc. præputium per denudationem dilaceratum.

i) Variat hic Codex impressus, qui habet: ለእመቦ፡ ዘቦአ፡ እንዘ፡ ግዙር፡ ውእቱ፡ ኢይፃእ፡ *& si quis circumcisus ingressus fuerit; ne egrediatur*, sensu obscuro.

ግዝረት ፡ ወበእንተ ፡ ቍልፈት ፡፡
ወባሕቱ ፡ ግዝረትሰ ፡ ዘኮነ ፡ በኀ
ቤነ ፡ በልማደ ፡ ሀገር ፡ ከመ ፡ ብ
ጣኔተ ፡ ገጽ ፡ ዘኢትዮጵያ ፡ ወኖ
ባ ፡፡ ወከመ ፡ ቍስረት ፡ እዝን ፡
ዘሰብአ ፡ ህንድ ፡፡ ዘንተሰ ፡ ዘንገ
ብር ፡ አኮ ፡ ለዐቂበ ፡ ሕገገ ፡ ኦሪ
ት ፡ ዳእሙ ፡ በልማደ ፡ ሰብእ ፡፡

nos de circumcisione, & de præputio.
Verùm circumcisio nostra secūdùm 35
consuetudinē regionis fit, sicut incisio
faciei in Æthiopiâ & Nubiâ: & sicut
perforatio auris apud Indos. Id au- 36
tem, quod facimus non (facimus)
ad observandas leges Mosaicas, sed
tantùm propter morem humanum.

Hæc res nos admonet *circumcisionis* (si ita dicere fas est) 37 *fœmellarum*(5); de qua loqui Gregorium pudebat, & nos de eâ silere maluissemus, nisi ille toties à nobis explosus Tzagazaabus in inconditâ suâ Confessione Fidei, de illâ tanquam de re aliquâ egregiâ, jussu Reginæ Maquedæ introductâ, scri-
Hist. L. 18. psisset: nisi etiam *Paulus Iovius*, Episcopus utique Novo-Comensis, istius propudii meminisset. *Est autem mos* non 38 Habessinis solummodo, sed *aliis* etiam *Africæ populis, Ægyptiis*[k] ipsisq; *Arabibus* familiarissimus. Puellulis enim quid- 39 piam abscindunt, quod naturæ superfluum, & indecens esse putant. Impudentissimæ promontorii *Bonæ Spei* fœminæ, brutis similiores, id retinent, & nautis pro vili mercede ostendunt. *Carunculam* vocat Paulus Jovius: *excrescentem rem* 40 *oblongiorem*, Golius: Arabes speciali vocabulo بظارة & بظر *Bedhron* & *Bedhara* vocant, & multo plura vocabula ad totum hoc negotium spectantia habent. Inter fœminas illorum æquè magnum convicium est, si alicui dicatur يا بنظر *ô Bandaron*! i. e. *ô indecisa*[l]! quam si virum inter Judæos voces ערל *Arel, Incircumcisum*. Id demum mirabile est, Africæ tan- 41 tummodò & partim Asiæ fœmellas tali procidentiâ laborare; nam Judæorum fœminæ in Germaniâ, de hoc more ex scriptoribus suis audientes, rident, tanquam ignorantes, quid puellis abscindi possit (6).

Nihilo magis huc facit *abstinentia à carne suillâ*, aliis- 42 que cibis lege Mosaicâ vetitis, sicut egregiè monet idem Rex Claudius in suâ confessione:

ወበእንተ፡

k) *S. Ambrosius* de Abrahamo l. 2, c. 11. id jam suo tempore audiverat; ait enim: *Et fœminæ apud Ægyptios circumcidi feruntur.* Propterea Rabbinus quidam scribit, ubi circumcisionis mentio fit in S. Scriptura, semper *masculos* addi; ut in Commentario docebimus.

l) Sic melius, quàm *incircumcisa*. Est autem vox Arabica tam fœda & probrosa, ut inserto N. transformanda fuerit, prout id in obscœnis fieri consuevit. Nam secundùm radicem *Badaron* dicendum esset.

43 ወበእንተ፡ በሊዐ፡ ሐሬውያኒ፡
አኮ፡ዘንትከላእ፡በዐቂበ፡ሕገ
ገ፡ኦሪት፡ ከመ፡አይሁድ። ለዘ
ኒ፡ በልዐ፡ ኢናስቆርሮ፡ ወኢናረ
ኵሶ፡ ወለዘኒ፡ ኢበልዐ፡ ከመ፡
ይብላዕ፡ ኢናገብር። በከመ፡ ጸ
44 ሐፈ፡ አቡነ፡ ጳውሎስ፡ ለብሔረ፡
ሮሜ፡ እንዘ፡ ይብል፡ ዘኒ፡ በልዐ፡
ኢይመንኖ፡ ለዘኢይበልዕ፡ ወለ
ኵሎሙ፡ እግዚአብሔር፡ ተወ
ክፈሙ። መንግሥተ፡ እግዚአ
ብሔር፡ኢኮነት፡ በመብልዕ፡ወበ
መስቴ። ኵሉ፡ ንጹሕ፡ ለንጹ
ሓን፡ ወእኩይሰ፡ ለሰብእ፡ በሊ
45 ዐ፡ምስለ ፡ዕቅፍት። ወማቴዎ
ስ፡ወንጌላዊ፡ይቤ። አልቦ፡ዘይክ
ል፡ አርኵሶቶ፡ ለሰብእ፡ ዘእን
በለ፡ ዘይወፅእ፡ እምአፉሁ።
ወዘሰ፡ወስተ፡ ከርሥ፡ ይበውእ፡
ወይትገመር፡ ጽሙ፡ ወይትገደፍ፡
ወይትከዐው፡ ወያነጽሕ፡ኵሉ፡
መባልዕት፡ወበብሂለ ፡ዝንቱ፡ቃ
ሉ፡ ነሠተ፡ኵሉ፡ሕንጸ፡ ስሕተ
ቶሙ፡ ለአይሁድ፡ እለ ፡ተመሀ
ሩ፡ እመጽሐፈ፡ኦሪት።

Quod autem spectat esum carnis suillæ, non utique prohibemur eo, propter observationem legis Mosaicæ, sicut Judæi. Eum enim, qui eâ vescitur, non abominamur, neque immundum judicamus: neque eum, qui eâ non vescitur, ut vescatur, cogimus. Sicut scripsit Pater noster Paulus ad Romanos dicens: Qui vescitur non contemnat eum, qui non vescitur; omnes enim Dominus suscipit [m]; *Regnum Dei non consistit in cibo & potu, omne mundum est mundis. Malum verò est homini edere cum scandalo. Et Matthæus Evangelista dicit:* Nihil potest contaminare hominem, nisi quod egreditur ex ore ejus; quicquid enim ingreditur in ventrem, atque ventriculo retinetur, id tandem in abscessu ejicitur, & effunditur; *& sic mundum pronunciat omnem cibum. Dùm verò dixit ista verba sua, destruxit totam structuram erroris Iudæorum, qui docti fuerunt ex libro legis Mosaicæ.*

Rom. 14, 4. c. 15, 11.

46 Nationes pleræque peculiarem ciborum usum habent; quædam superstitione: quædam etiam consuetudine. Ne loquar nunc de Muhammedanis, qui & ipsi carne suillâ, nec
47 non vino abstinent. Nonne stupendus *Baneanorum* [n], haud secus ac olim *Pythagoræorum* mos est, qui nullum omnino animal mactant, nedum illorum carne vescerentur? sed oleribus duntaxat & lacticiniis vivunt, quibus solis homines
48 sustentari posse, nos vix putaremus. Aliæ contrà omnibus animalibus vescuntur, etiam carnivoris, & esui aliàs ingra-
49 tis, ut Pamphagi. *Tartari* Orientales omnis generis feras camelos & vulpes pro ferinâ apponunt, cui assuescere non

m) Hic quoque variat Codex impressus: ለኵሎሙ፡እግዚአብሔር፡አእመሮሙ፡ *Omnes Dominus novit.*

n) Populus in India notissimus, ut ex Itinerariis constat.

Itin.Orient. potuit Georgius Andreas Holſatus (8). Quidam noſtratium,
L.III.c.8. gulæ ſtudioſi, cibos apponunt aliis mortalibus planè abomi-
& ſeqq. nabiles, veluti *ranas, teſtudines, cochleas*, & neſcio quid inſe-
ctorum ampliùs. Gregorius meus *aſtacos, cancros, cam-* 50
maros & menſarum noſtrarum decus, *oſtreas*, deniq; omne
teſtaceum genus, mirum in modum faſtidiebat: ſed & *gallo-
pavones, lepores* & alia inſueta ſibi animalia inter dapes no-
ſtras videns, nauſeabat. Interrogatus, *cur abſtineret carne
ſuillâ?* viciſſim percunctabatur, *cur nos equina?* Et faten-
dum eſt, ſi cum Tartaris convivandum nobis eſſet, neminem
ſine ſtomacho equinam facilè eſurum, cum tamen inter il-
lorum dapes ſit frequentiſſima. Imò Legati eorum apud
Principes noſtros *equos pingues* pro culinâ ſuâ petere ſolent.
A ſanguine verò & ſuffocatis abſtinent, non vigore Le- 51
Act.15,29. gis Moſaicæ, ſed ſtatuti Apoſtolici in Eccleſiâ Orientali ſem-
& 16,4. per: in Occidentali verò per multa ſecula obſervati °, & in
Conciliis nonnullis repetiti: nosque reprehendunt, quod id
in deſuetudinem paſſi fuerimus venire.
Nec *Sabbati* feriæ Judaiſmum probant; non quòd illas 52
à gentibus quibusdam didicerint, quæ ſeptimum diem tan-
quam ſacrum celebraverunt, ut quidam ſcribunt; ſed anti-
quus Eccleſiæ primitivæ uſus, alliciendis fortè Judæis, & aſſi-
duo precum ſtudio, in Oriente diu retentus (9), in Æthiopiâ
quoque invectus fuit. Sic enim in pervetuſtis conſtitutio- 53
lib.8.c.33. nibus (*quas vocant Apoſtolorum*) legitur:
& 7,24.

Ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. Σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας.	*Quinque diebus ſervi laboranto. Sabbato verò & Dominicâ ferian- tor in Eccleſiâ propter piam doctri- nam, &c.*

In Sabbatis *Evangelia cum aliis ſcripturis legenda eſſe*, ſanxit 54
Can.16. concilium Laodicenum, cum antea Paraſchæ legis Moſaicæ
ſolùm: Evangelia autem non niſi die Dominicâ lecta fuiſ-
ſent; quaſi Veteris Teſtamenti textus Veteri: Novi verò, no-
L.VI.c.8. vo tantùm Sabbato convenirent. Adhæc Socrates teſtatur: 55
in pr. SABBATO ET DIE *Dominicâ congregationes in Eccleſiis haberi
ſolitas.* Et Gregorius Nyſſenus p, cujus ſcripta Æthiopes ha-
bent, ait: *Quibus oculis diem Dominicam intueris, qui Sabba-
tum dedecoraſti? an neſcis, hos dies germanos eſſe, ac ſi in al-
terum*

o) Tertullian. Apolog. c.9. argumento Can. 2. Concil. Gangr. Trullan. c. 67. Euſeb. L. V. c.1. Sixtus Senenſ. annot. 16. & 173. Mart. Delrio ad loc. Gen. 9,4. & P. Martyr. ibid. Extat quoque libellus Gallicus de la defenſe du ſang. Colon. 1678.
p) Adverſus eos, qui caſtigationes ægrè ferunt.

56 *terum injurius ſis, te in alterum impingere?* Verùm Claudius talem inter utrumq; diem facit differentiam, ut cultum diei Dominicæ Sabbato longè præferat, (10) ſic ſcribens:

57 ወበእንተ፡ ምክንያተ፡ አክብሮ
ትነ፡ ዕለተ፡ ቀዳሚት፡ ሰንበት፡
አኮ፡ ዘንከብሮ፡ ከመ፡ አይሁ
ድ፡ እለ፡ ሰቀልዎ፡ ለክርስቶስ፡
እንዘ፡ ይብሉ፡፡ ደሙ፡ ላዕሌነ፡
ወላዕለ፡ ውሉድነ፡፡ እስመ፡ እ
ሙንቱ፡ አይሁድ፡ ኢይቀድ
ሑ፡ ማየ፡ ወኢያነድዱ፡ እሳ
ተ፡ ወኢያበስሉ፡ ጸብሖ፡ ወኢየ
58 ኀብዙ፡ ኅብስተ፡ ወኢይፈልሱ፡
እምቤት፡ ውስተ፡ ቤት፡ ወባሕ
ቱ፡ ንሕነሰ፡ ናከብሮ፡ እንዘ፡ ነዐር
ግ፡ ባቲ፡ ቍርባነ፡ ወንገብር፡ ባ
ቲ፡ ምሳሐ፡ በከመ፡ አዘዙነ፡ አ
በዊነ፡ ሐዋርያት፡ በዲድስቅል
59 ያ፡፡ አኮ፡ ዘናከብሮ፡ ከመ፡ ሰን
በተ፡ እሑድ፡ እንተ፡ ይእቲ፡ ዕ
ለት፡ ሐዳስ፡ ዘይቤ፡ ዳዊት፡ በእ
ንቲአሃ፡ ዛቲ፡ ዕለት፡ ገብረ፡ እግ
ዚአብሔር፡፡ ንትፈሣሕ፡ ወንት
60 ኀሠይ፡ ባቲ፡፡ እስመ፡ ባቲ፡ ተን
ሥአ፡ እግዚእነ፡ ኢየሱስ፡ ክር
ስቶስ፡፡ ወባቲ፡ ወረደ፡ መንፈስ፡
ቅዱስ፡ ላዕለ፡ ሐዋርያት፡ በጽ
ርሐ፡ ጽዮን፡፡ ወባቲ፡ ተሰብአ፡ ው
ስተ፡ ከርሠ፡ ቅድስት፡ ማርያም፡
ድንግል፡ በኵሉ፡ ጊዜ፡፡ ወባቲ፡
ይመጽእ፡ ዳግመ፡ ለዕሤተ፡ ጻድ
ቃን፡ ወለፍዳ፡ ኃጥአን፡፡

Quòd verò attinet ad celebrationem noſtram (diei) *priſci Sabbati: non ſanè celebramus illud ſicut Judæi, qui crucifixerunt Chriſtum, dicentes:* Sanguis ejus ſit ſuper nos, & ſuper liberos noſtros. *Mat. 27, 25* *Quia illi Judæi neque hauriunt aquam, neque accendunt ignem, neque coquunt ferculum, neque pinſunt panem, neque migrant de domo in domum. Nos autem ita celebramus illud, ut adminiſtremus in eo ſacram cœnam & exhibeamus in eo Agapas,* (i. e. convivia charitatis pauperibus vel viduis dari ſolita) *ſicut præceperunt nobis Patres noſtri Apoſtoli in* διδασκαλίᾳ. *Non celebramus iſtud ita ſicut Sabbatum feriæ primæ, quæ dies eſt nova, de qua David ait:* Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. *Pſ. 118, 24* *Quia in eâ reſurrexit Dominus noſter Jeſus Chriſtus: & in eâ deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in Oratorio Sionis: & in eâ incarnatus fuit in utero S. Mariæ virginis perpetuæ: & in eâ veniet iterum ad remunerationem juſtorum & ultionem peccatorum.*

61 Gregorius quoque teſtatus eſt, *Habeſſinos ſuos à nullo alio, quàm agreſti & vili labore in Sabbato abſtinere.* Diu autem duravit mos iſte in Eccleſiâ, donec paulatim abrogaretur; nam Canone XXIX dicti Concilii Laodiceni Chriſtiani ju-
62 bentur *in Sabbato operari.* Lectiones ſacræ nihilominus continuatæ fuerunt, ut ex Canone ſupra allegato patet, donec etiam hæ intermitterentur; forte quia, laborandi veniâ datâ, pauci auditores reperti fuerunt.

Fratrem fratris defuncti viduam in Habaſſiâ more Ju- 63
c.21.in fin. daico ducere licere, *Alvarez* autor eſt, cujus rei exemplum
inſigne(11) profert, addito: *Habeſſinos id defendere legibus*
Deut.25,5. *Veteris Teſtamenti.* Sed Gregorius diſertè negavit id licere; 64
à magiſtratu quidem non puniri, uti nec polygamiam: tales
c.20. tamen conjuges à ſacrâ ſynaxi arceri; quod Alvarezius quo-
que tradidit. Verùm exinde non ſequitur morem iſtum à Ju- 65
dæis ad Habeſſinos eſſe translatum, non magis, quam ſi quis
gentium polygamiam & divortiorum jura à Judæis profe-
cta dixerit. Id verò mirum, nec diſſimulandum eſt, illos 66
Gen. 32. 33. muſculo ſeu nervo illo (quem Judæi גִּיד הַנָּשֶׁה Æthiopes
ሥርው፡ ሕሩም :h. e. *Nervum interdictum*, Amhar: ሹሊዩ : vo-
cant) abſtinere, illumque mulionum tantùm cibum eſſe.
Sed hoc ſolum fortaſſe à Judæis ſuæ regionis didicerunt, quo-
1,14,43. rum aliquot colonias in Æthiopiâ dari ſupra narravimus.
Neque nos movet Patriarchæ Alphonſi Mendezii autoritas, 67
qui Rempublicam quandam Judaicam in Abaſſiâ ſibi repræ-
2,3,17. ſentavit (ut ſupra diximus) donec exempla & caſus ſpeciales
audiamus, quos illum recenſere oportuiſſet. Non multo 68
plus ad rem facit, quod de Eunucho Reginæ Candaces affer-
tur; illam enim non Habeſſinorum, ſed Æthiopum Me-
2,4,8. roën incolentium Reginam fuiſſe, alibi docuimus: nec ſi ille
Judæus fuit, & Heram ejus cum popularibus ſuis talem fu-
iſſe ſequitur. Quin ſunt qui ſcribant, *Menileheci* poſteros 69
brevi ad idolorum cultum reverſos; quod ſi doceatur, vana
erit aſſertio de continuatione Judaicæ religionis usque ad
tempora Apoſtolorum. Judaiſmi certè in Europâ diu ſuſpe-
cti fuerunt Habesſini, & adhuc multis ſunt. Id animadver- 70
N.G.II,18. p.317. tens Rex Claudius ex disputationibus cum P. *Gonçalo Rodri-
guezio* habitis, illiusque ſcriptis, quæ impugnandis Habesſi-
norum erroribus compoſuerat, Confesſionem edidit, cujus
partes modò retulimus, & in commentario noſtro integram
(12) rurſus cum lectore communicabimus. Illius præcipuus
ſcopus fuit, ſuſpicionem illam à ſe ſuisque dimovendi; quod,
ut mihi quidem videtur, egregiè præſtitit.

CAP. II.

De Habesſinorum converſione ad Fidem Chriſtianam.

1. *Converſio* Habeſſinorum Reginæ Candaces *Eunucho* vulgò adſcribitur; ſed 3. contra hiſtoriarum authenticarum fidem. 4. *Conciliatio* nonnullorum *vana.* 5. *Re-*

gina

gina Candace non Habeſſina, ſed 7. *Meroënſis* fuit. 8. Aliæ traditiones non meliores. 12. Tempore *Athanaſii* eam contigiſſe demonſtratur, 17. per *Frumentium* primum Æthiop. Epiſcopum. 19. Conſentit *Codex Axumenſis.* 20. Rationes dubitandi, 25. & decidendi, 26. ex *Ruffino*, 27. *Baronio* & 30. *Gregorio*. Frumentius *Abba Salama* dictus. 31. Encomium ejus apud Poëtam. 36. *Cedrenus* & *Nicephorus*, tempore Juſtiniani converſionem factam aſſerentes, refutantur 38. variis argumentis, & 41. ſpeciatim ex *Nicænis Arabicis* Canonibus.

1 COmmunis inter Europæos fama eſt, converſionem Ha-
beſſinorum ad Fidem Chriſtianam autore *Eunucho* illo *Act.8.27.*
2 Æthiopico factam fuiſſe. Et fortè Habeſſini ipſi, id ſibi *Alv.c.38.*
glorioſum rati, idem adſtruxerunt; freti *codice Axumenſi*, *B.Tell.l.28.*
ubi eadem hiſtoria, ſicut in Actis Apoſtolorum, de Æthiopi- *& ſeq.*
bus memoratur, at ſine aliis circumſtantiis; ut facilè colligas
autorem illius libri plures neſciviſſe: adeoque hiſtoriam hanc
3 apud illum non natam, ſed exſcriptam. Nec plus novit Tzaga-
zaabus in Confeſſione ſuâ Fidei ſupradicta. Id oppidò mirũ 1,1,3,
eſt, Davidẽ Regem idem vel aſſeveraſſe: vel aſſeveranti Alva- *Alvar.c.83.*
rezio aſſenſum fuiſſe; ſiquidem hiſtoriarum cùm Æthiopi- *in fin.*
4 carum tùm Græcarum fides aliud planè ſuadeat. *Concilia-
tionem* equidem nonnulli hanc afferre ſtudent, *quaſi initia
Chriſtianiſmi & quidem tenuia valde & obſcura tum pri-
mùm cœperint*; ſed & hoc firmis rationibus non de Æthio-
picâ aliquâ gente in genere: ſed de Habeſſinicâ in ſpecie de-
monſtrandum fuiſſet; cum teſtimonia, quæ nos jam jam
afferemus de converſione non ſemi-Chriſtianorum, ſed vel
5 Judæorum, vel Ethnicorum loquantur. Nam *Candacen*
illam non fuiſſe Reginam Habeſſinorum, paulò ante dixi-
6 mus. Neque nomen ejus proprium *Lacaſa*, quod in Catalo-
gis vulgatis legitur, apud Tellezium reperitur. ኅንዴኬ: *Hhen-
daqe* autem, vel Hindake, aliud vocabulum non eſt, quàm
Græcum Κανδάκη *Candace*, ex quo alii, abjectâ aſpiratione, *In-*
7 *dich*: alii, quaſi ſphalma correcturi, *Judith* fecêre [q]. Illud
verò nomen Meroënſibus olim familiare, Habeſſinorum
Reginis ignotum manſit. Sed de his ſupra ſatis dictum. 2,4,7.
8 *Alii* converſionem Habeſſinorum non quidem ad
Candaces Eunuchum, attamen ad Apoſtolorum tempora *P.Jov.d.l.*
referunt, eamque *Bartholomæo*: alii *Matthæo* [r], vel quia in 18.
9 vita ejus non reperitur, *Matthiæ* adſcripſerunt. (13) Quæ om-
nia Habeſſinis ſunt ignota, qui iſta à noſtratibus referri audi-
entes, non malè reſponderunt: *de inferiore fortaſſis Æthio-* *B.T.p.72.*

 piâ

q) Fuêre qui per inſignem oſcitantiam ipſum Eunuchum *Iudich* dictum fuiſſe putarent. Dreſſer. Orat. p. 7.

r) ſcil. *Ruffinus* ait L.I.c. 9. Matthæo *Æthiopia: eiq; adhærens citerior India* Bartholomæo *dicitur ſorte decreta.*

piâ, quæ Abassiam & Ægyptum interjacet, accipienda illa
esse. Nuspiam tamen docetur, quis successus illius prædica- 10
tionis fuerit: qui Reges aut populi pro vel contra eam stete-
rint: quibus pastoribus, vel ritibus vel libris usi fuerint: quæ
forma Ecclesiæ, quæ doctrina illius temporis extiterit. De 11
quibus omnibus cum altum sit ubique silentium, nec nos ta-
le Religionis Christianæ initium in Habessiniâ agnoscere
possumus.

Id demum certum est, quod & Habessinorum & Græ- 12
H.E.L.I. corum Latinorumque scriptores, cumprimis Ruffinus & qui
c.5. eum sequuntur,[s] consensu (14) tradunt, *tempore S. Athanasii*
Patriarchæ Alexandrini sub Constantino Magno circa an-
p.77. num Christi 330. (ut quidem *Tellezius* computat) vel non ita
multo post, conversionem Æthiopiæ hoc pacto contigisse:
B.T.I.28.& seqq. Meropius, *mercator Tyrius*, (Philosophum Ruffinus vocat) 13
in Indiam[t] *profecturus, appulit ad littus Æthiopiæ in Mari*
I, I, II. *rubro*; (quod stylo illorum temporum etiam *Indicum* à qui-
busdam vocitatur) *ibi mortuus* (occisum à barbaris ait Ruffi- 14
nus) *reliquit duos adolescentes*, Frumentium & Ædesium:
(ፍሬምናቶስ፡ወሲድራኮስ፡Fremonatum & Sydracum Habessini
vocant) *qui capti & ad Regem adducti, ob ingenii solertiam*
& industriam chari & accepti, tandemque libertate donati,
&, quod literas scirent, chartophylacio atque ratiociniis Re-
giis præfecti fuerunt. Rege mortuo, in istis muniis apud Regi- 15
nam tutricem permanserunt, quoad filius Regis pupillus ado-
lesceret. Interim mercatores Christianos, qui illuc appelle- 16
bant, omni officiorum genere prosequebantur, tantumque de
se virtutis & integritatis specimen inter illas gentes dabant,
ut Christiana religio ab omnibus magni æstimaretur. Quo 17
velut fundamentô positô, Frumentius ad S. Athanasium *pro-*
fectus, ab illo ob præclaras ingenii dotes, & Fidei constantiâ pri-
mus Æthiopiæ Episcopus *creatus fuit. Itaq; in Æthiopiam* 18
reversus Baptismo initiavit incolas: Presbyteros & Diaco-
conos constituit: templa exstruxit: & sic primus *religionem*
Christianam in Æthiopia fundavit. His planè congruentia 19
B.T.I, 29. habent Æthiopes in codice suo Axumensi, nisi quòd, stabi-
liendæ conversionis sub Candace factæ, addant: *Miratos*
fuisse adolescentes illos Tyrios, quòd Æthiopes crederent in
Chri-

s) *Socrates* Histor. Eccl. L. I. c. 15. *Theodoret.* Hist. Eccl. L. I. c. 22. de Indorum fide. *Sozomenus* L. II. c. 23 *Baron.* A. 327. Tom. 3.
t) de quâ suprà L. I. c. 1. & in Commentario plura.

Christum, & adorarent S. S. Trinitatem, & mulieres crucem in capite gererent, cùm tamen à nullo Apostolo prædicatum
20 *illis fuisset Evangelium.* Nos multo magis miramur Æthiopiam (ut quidam scribunt) tempore Apostolorum ad Christum conversam, nullum habuisse Episcopum, nullum baptismum, nullosque sacerdotes & diaconos; & ista omnia
21 tempore Athanasii primùm constituenda fuisse. Præterea nemo sibi facilè persuaserit, tale initium tanto tempore sine incremento mansisse, & vel Æthiopes ipsos: vel vicinos Christianorum Episcopos tam incuriosos sui fuisse, ut primordia
22 fidei Christianæ non ampliùs excolerent aut juvarent; præsertim illâ tempestate, quâ Christiani per universum Imperium Romanum, in Ægypto maximè, crudelissimam persecutionem tempore Diocletiani paterentur. Quî factum est, quòd non catervatim se receperint ad solum hunc tum temporis in toto orbe existentem Christianorum Principem, jam à tempore Eunuchi, si non plenè illis addictum, utique non malè affectum, protectionem vel refugium apud illum quæ-
23 rentes? Sileretne omnis *Historia Ecclesiastica*, & Patriarcharum Alexandriæ annales, tantum Regem, quem omnium primò Deus luce verbi sui illuminaverit? Nullíne ibi dati fuissent Martyres, quorum memoriam tam sollicitè conservarunt Habessini? Nulláne bella, turbæ aut seditiones ob novum Christianorum cultum orta, sed pacificè omnia pera-
24 cta? Tanti momenti rem asserere, & tamen nullas circumstantias, nullos rerum eventus addere, à veritate historicâ alienissimum videtur.

25 Sufficit nobis, Æthiopes cum nostris scriptoribus in præcipuis circumstantiis concordare; in quibus enim discrepant, veluti quòd *Meropius* mercator morbo obierit, & quòd duo illi socii *Fremonatus* & *Sidracus* vocentur, eæ ni-
26 hil ad summam rei faciunt. In loco mirè deceptus fuit *Ruffinus* (15); nam Indiam propriè dictam, cum aliis [u] intellexisse videtur, cujus tamen neque situm, neque fines scivit; *Æthiopiæ* enim *cohærere* dicit *citeriorem Indiam: inter quam & Parthiam, ulteriorem Indiam mediam* facit; ita illi propin-
27 quior fuit India ulterior: & Parthia remotior. Hæc causa est, quòd *Baronius* [x] duos Frumentios fuisse putaverit, *alterum*

u) *Theodoretus* loco suprà cit. de Frumentio ait: τȣ̃ μεγίϛȣ πελάγȣς καταφρονήσας. *Maximum pelagus* (Oceanum) *non curans.*

x) In Martyrologio Roman. d. 27. Octob.

rum Axumæ prædicatorem(16); cum tantùm unus idemque fuerit Habesſinorum, ſive Indos, ſive Axumitas appelles, Apoſtolus & Epiſcopus.

Hanc ſcriptorum conciliationem usque ad hoc tempus 28
I,28.p.72. occultam fuiſſe, ait *Tellezius*: nec immeritò gloriatur veritatem iſtam à Patribus Societatis detectam, & tum primò IN
L.I.cap.30. p.77. FORMA (ut loquitur) introductam fuiſſe religionem Chriſtianam; ſcilicet traditione perſuaſus, antea quoque Chriſti cognitionem in Æthiopiâ viguiſſe. Sed quanta vel qualis 29
fuerit, à nemine docetur: neque Ruffinus Judaicæ, vel informis alicujus ſectæ Chriſtianæ, quæ præceſſerit, mentionem facit; quin potius ait: *terram hanc nullo Apoſtolicæ prædicationis vomere proſciſſam.* Mihi verò *Gregorius* dudum retu- 30
lerat, *nullam aliam prædicationem Evangelii in Habeſſiniâ ſciri, quàm quæ tempore Athanaſii regnantibus* Abreha &
2,4,16. Atzbeha *fratribus* (quorum ſupra meminimus) *ab religioſo viro* አባ ፡ ሰላማ ፡ Abba-Salama *facta ſit*; ſic enim nomen Frumentii, uti & aliis factum, mutaverunt. Celebratur iſte in- 31
ter Æthiopiæ Metropolitas in *Liturgiâ Æthiopica*[y]: nec non à Poeta noſtro, ceu *primus* qui facem Evangelio prætulit,
Encom. 26. Iulii 3. hoc carmine:

ሰላም ፡ በቃለ ፡ ትፍሥሕት ፡ እብሎ ፡
እንዘ ፡ አዐብዮ ፡ ወአሌዕሎ ፡
ሰላማ ፡ ኆኅተ ፡ ለምሕረት ፡ ወለተሣህሎ ፡
አሥረቀ ፡ በኢትዮጵያ ፡ ሉብርሃነ ፡ ክርስቶስ ፡ ጸዳሎ ፡
እንዘ ፡ ላዕሌሃ ፡ ጽልመት ፡ ወቆባር ፡ ሀሎ ፡

Salutem voce lætitiæ dico ei, 32
magnificans & extollens eum,
(nempe) SALAMAM, *januam miſericordiæ & clementiæ;*
Qui oriri fecit in Æthiopia luminis Chriſti ſplendorem.
Cum (antea) *in ea* CALIGO & TENEBRÆ *fuiſſent.*

Nota hîc verba *tenebræ* & *caligo*, quibus Poeta uſus non fu- 33
iſſet, ſi ſecundum ſupra dictam traditionem aliqualis ſaltem
Encom. 18. Dec. 3. Chriſti notitia in Habeſſiniâ extitiſſet. Porrò idem *Poëta:* 34

ሰላም ፡ ለከ ፡ ሰላማ ፡ እዙዝ ፡
ለከሠተ ፡ ትምህርት ፡ ገኑዝ ፡
ሰበ ፡ ሠረቀ ፡ ሞስቴታ ፡ ለአምኃለ ፡ ቤዝ ፡
ሉብርሃንከ ፡ አደም ፡ ወበሠንከ ፡ ሐዋዝ ፡
እስከ ፡ ዮም ፡ ትትፌሣሕ ፡ ወትትሐሠይ ፡ ገዕዝ ፡

Salu-

y) Novo Teſtam. annexa p. 160. c. ubi pro ላማ ; corrige ሰላማ : & 165. a.

35 *Salutem tibi* SALAMA! *qui jussus fuisti*
manifestare doctrinam occultam (scil. præcedentibus seculis)
Quòd exorta fuerit in ea (sc. Æthiopiâ) *sicut Phosphorus,*
per lucem tuam suavem, & pulchritudinem tuam jucundam,
usque hodie lætatur & exultat ÆTHIOPIA.

36 Quæ historia veræ conversionis Æthiopiæ cum firmo talo
stet, utique consistere non possunt, quæ *Cedrenus* [z], & post *L. XVII, 32.*
eum *Nicephorus* Callistus [a] alioquin exiguæ fidei & judicii
Historicus de conversione Habessinorum longo tempore
37 post factâ prodidêre. Scribunt enim, *Adadum Axumi-* 1,1,9.
tarum (qui non alii quàm nostri sunt Habesini) *Regem,*
circa annum Christi 541. Justiniani XV. vovisse, se, victo
Homeritarum Rege, Christianam religionem amplexurum,
votique compotem factum, per Legatos ab Imperatore Ju-
stiniano petiisse Episcopos, eosque primos omnium Christia-
38 *nismum ibi locorum publicavisse.* Cum tamen, ut supra 2,4,27.
liquidò ostendimus, Homeritarum Regnum à Calebo Chri-
stiano Æthiopum Imperatore, septuaginta circiter annis
ante fuerit eversum; postea autem in Persarum, tum tempo-
ris ea loca tenentium, Habessinis, Christianorum defensori-
39 bus, frustra obnitentibus, venerit potestatem, à quibus pau-
lo post in Saracenorum ditionem cessit. Quis ergo Home-
ritarum Rex ab Adado vinci potuit? Neque etiam verisimi-
le est, Adadum (si unquam talis Rex extitisset) tam procul
petiturum fuisse Episcopos, linguæ morumque regionis suæ
40 ignaros, quos tum temporis multò propiùs Alexandriâ, vel
Hierosolymis poterat accersere. Et si factum fuisset, Justi-
nianus utique non missurus erat Jacobitas, sed Melchitas:
41 & sic Melchitarum sectam secuti fuissent Habessini, cum
tamen semper fuerint, & adhuc sint Jacobitæ. Vt taceam
canonem Nicænum XXXVI. [b] in quo Prælato Æthiopiæ se- 3,7,6.
ptimus post Prælatum Seleuciæ in conciliis assignatur locus;
certissimo documento, Æthiopes nostros tempore illius
concilii Christianos fuisse, & Præsulem Christianum scilicet

z) Anno XV. Justiniani. n. 140.

a) Istorum autoritate multi clari viri decepti fuêre; cumprimis *Josephus Scaliger*, de emendat. temp. in Comp. Ecclesf. Æthiop. & post eum *Calvisius* in Op. Chronol. *Joh. Laet.* in Comp. Histor. Univers. *Cluver.* Histor. Univers. in Justiniano circa fin.

b) In editione Turriani; sed est XLII. in novâ versione Abrahami Ecchellensis, qui LXXXIV. Canones numerat. Arabicè & Æthiopicè habentur, & superiori seculo primùm in Europam invecti fuerunt, ut infra dicetur.

Metropolitam habuiſſe. In omnibus ergò circumſtantiis falſos eſſe hiſtoricos illos (17) nunc ſatis liquere putamus.

CAP. III.

De incrementis Chriſtianiſmi in Habesſiniâ, & origine vitæ monaſticæ, ut & de ſanctis Habeſſinorum.

1. Poſt Frumentium multi *Monachi* 2. ex *Romano Imperio*, & quidam 3. ex *Ægypto* venerunt. *Novem* inſigniores 4. nominatim recenſentur. 5. Primus *Aragavvi* à Poëta laudatur, quod deſtruxerit *Regnum Arvvè:* 7. quid hoc ſit? 8. Ædiculæ *Pantaleontis* ejusque ſepulcrum & encomium. 9. *Likani* unius ex illis *Novem* Encomium. 10. Alii Doctores & Martyres. 11. *Miracula* ſanctorum portentoſa. 12. Quidam eques Leonis. 13. Auſteri *Aſcetæ.* 14. *Gebra-Menſes-keddûs.* 15. *Tecla-haimanotus* vitæ monaſticæ inſtaurator, 17. quæ in Ægypto cœpit, 18. autore *Antonio.* 19. Hunc ſecuti *Anachoretæ* multi, diverſo fine. 20. Eorum ſpontanea tormenta. 22. Antonio ſucceſſit *Macarius* & huic *Pachomius*, & *Aragavvi*, cujus 23. ſucceſſores recenſentur. 24 De *ſchemate Monachali* traditio. 26. *Icegue* Monachorum Antiſtes. 27. *Debra Libanos* olim ſedes ejus, poſtea *Bagêmdra.* 29. *Abba Euſtathius*, 30. miraculis celebris: 31. Leges tantùm non ſucceſſores reliquit. 32. Plena Monachis Habeſſinia. 33. Eorum *inſtituta* & *habitus* diverſa à Græc. & Lat. 36. agros colunt: 37. *civilia officia* gerunt. 40. Monaſteria multa.

IGitur converſione Æthiopiæ per S. Frumentium cœptâ, 1
multi pii viri, partim vocante illo, partim ſponte illuc pro-
B.T.I,31. fecti ſunt. In Chronico Axumenſi legitur, tempore Regis 2
Amiamidæ Saladobæ Filii, multos Româ veniſſe monachos,
atque totum Regnum impleviſſe. Imperium Romanum intelligunt Æthiopes; nam cum Arabibus الروم *Errum* vocant *Græcos* [c], ad quos ſumma rerum tunc temporis erat translata. *Novem* ex illis maximè celebres ſunt, qui in Tigrâ ſubſtiterunt, ibique ſacella ſua exſtruxerunt. Ex vicinâ Ægypto ve- 3
niſſe crediderim, quæ tunc Græcis, ſeu Imperatoribus Con-
ſtantinopolitanis parebat. Sed nomina eorum Habeſſini 4
mutarunt, *Pantaleonte* excepto. Fuerunt autem ſequentes:

አባ፡አረጋዊ፡	1. Abba *Aragawi.*
Alv. c. 40. አባ፡ጰንጠሌዎን፡	2. Abba *Pantaleon.*
Id. c. 41. አባ፡ገሪማ፡	3. Abba *Garima.*
አባ፡አሌፍ፡	4. Abba *Alêf.*
አባ፡ሰሃም፡	5. Abba *Saham.*
አባ፡አፌ፡	6. Abba *Afe.*
አባ፡ሊቃኖስ፡	7. Abba *Likanos.*
አባ፡አዲማታ፡	8. Abba *Adimata.*
አባ፡ኦስ vel ዑዘ፡ ſeu አባ፡ጉባ፡	9. Abba *Oz*, qui & Abba *Guba.*

Ple-

c) In hiſtoriâ Saracenica Elmacini pasſim; ubi per الرومية كلام *ſermonem Romanum* intelligendus eſt Græcus.

5 Plerosque reperio in Poëta meo [18], qui illos ab insigni sanctitate & miraculis patratis commendat.

De *Aragawo*, priùs *Michaële* dicto, sic canit: Encom. 14. Octob. 4.

ሰላም ፡ ለሚካኤል ፡ ሰተሰምየ ፡ ዐረጋዊ ፡
እስመ ፡ ሑረቱ ፡ ጥበብ ፡ ወፋኖዊሁ ፡ ልባዌ ፡
ምስሌሁ ፡ ኅቡረ ፡ ዘበአሐዱ ፡ ህላዌ ፡
ሰላም ፡ ለቅዱሳን ፡ ዘተሰነዐው ፡ ስንዓዌ ፡
ከመ ፡ በጸሎት ፡ ይስዐሩ ፡ መንግሠቶ ፡ ለአርዌ ።

6 *Salutem Michaëli! qui nominatus fuit* ARAGAWI;
Quoniam vita ejus (fuit) *sapientia, & mors ejus prudentia.*
Cum eo trinus qui simul unus est essentia, (i.e. Deus fuit cum illo)
Salutem Sanctis! qui concorditer vixerunt concordiam.
Ut per preces destruerent regnum ARWE (serpentis)

7 Per vocem *Arwè*, quæ *serpentem* significat, vel *regnum Satanæ* in genere intelligit, quod propagatione Christianismi fuit destructum: vel Ethnicismum Æthiopicum in specie. Nam ut in antecedentibus diximus; antiquissimi Æthiopum serpentem pro Deo colebant, atque eò alludere videtur Poëta. 2, 2, 13.

8 Extant adhuc ædiculæ ab illis sanctis Viris cognominatæ, veluti ቤተ ጰንጠሌዎን ፡ *Beta Pantaleon* i.e. ædes S. *Pantaleontis* in *Tigrâ*; ubi etiam sepulcrum ejus visitur. De quo Poëta: Encom. 6. Oct. 7.

ሰላም ፡ እብል ፡ ለጰንጠሌዎን ፡ ምኩር ፡
በውሳጤ ፡ ቤት ፡ ሕኑጽ ፡ አቅመ ፡ መቃብር ፡
እንበሮ ፡ ምዉተ ፡ በመልእክተ ፡ ቃሉ ፡ ክቡር ፡
ሜጠ ፡ ውስተ ፡ ፍሥሓ ፡ ብካየ ፡ አሐቲ ፡ እቤር ፡
ወነፍሰ ፡ ውሉዳ ፡ አግዐዘ ፡ እምቅኔ ፡ መሪር ።

Salutem dico PANTALEONTI *tentato*
in interiori cellæ, exstructæ juxta sepulchrum;
Loqui faciens mortuũ ministerio (i.e. ope) *verbi sui pretiosi:*
Convertit in lætitiam fletum cujusdam viduæ,
Et animam filiorum ejus liberavit è servitute amarâ.

9 Novem illorum Sanctorum quoque mentionem facit in carmine de Likano. Encom. 28. Nov. 3, 1.

ሰላም ፡ እብል ፡ ለአባ ፡ ሊቃኖስ ፡ አሐዱ ፡
እምነ ፡ ቅዱሳን ፡ ፱ ፡ እለ ፡ ይትፈቀዱ ፡
በከተማ ፡ ርእስየ ፡ ዘልፈ ፡ አክሊለ ፡ ሕይወት ፡ ያውዱ ፡
አፃብዒሁ ፡ በጸሎት ፡ አምሳለ ፡ ማኅተው ፡ ዘነዱ ፡
ወበእኂዘ ፡ በትር ፡ ካህን ፡ ዘተሰቀሩ ፡ እዱ ።

Saluto Abbam LICANUM, *unum*

è Sanctis, quorum novem numerantur.
Hi verticem capitis mei semper coronâ vitæ cingant.
Illius digiti in precatione instar lucernarum arserunt.
Et cum teneret baculum perforata fuit manus ejus.

Præter illos & alii *Doctores* famam propagatæ doctrinæ 10
Christianæ meriti sunt: nec non *Martyres* plurimi, Æthiopibus & Cophtitis solummodò noti, in illorum Menologiis
celebrantur. De *Sanctis* autem suis portentosa quædam 11
I. n. 30. miracula narrant; nam *montes transferre: procellosum mare tranquillare: mortuos resuscitare: è petra percussa aquam elicere: sicco pede per flumina ire*, non inusitata hîc sunt prodigia (19); ut si talibus veritas Ecclesiæ Æthiopicæ stabiliri posset, nulla purior toto orbe daretur. Non nos solum S. *Martinum* habemus, qui pannum talaris suæ pauperi largi-
Encom. 17. Maj. 2. tus est; fuit hîc, qui tunicam integram dedit(20). Recensen- 12
Ps. 91, 13. tur apud eos non tantùm, *qui super aspidem & basiliscum ambularent, & draconem & leonem conculcarent*, sed quod magis mireris, qui in hâc ferâ tanquam jumento equitarent.
(21) Nuspiam austeriores *Ascetæ* reperti. Fuit qui tribus 13
palmulis[d]: alius qui unico paximatio in diurnam refectionem contentus vixit(22). Sed præcipuâ sanctitatis famâ cla- 14
Encom. 2. Mart. 4. ret ገብረ፡መንፈስ፡ቅዱስ፡ *Gabra Menfes Keddus*(23) i. e. Servus *Spiritus Sancti*; in cujus honorem singulis mensibus festum
N.G.I, 22. diem agi, *Antonius Fernandes* autor est. Post hunc ተክለ፡ 15
ሃይማኖት፡ *Tecla Haimanotus*, i. e. *Planta fidei*, vitæ monasticæ in Æthiopiâ circa annum Christi 620. instaurator; quem
Encom. 24. Dec. 6. *Poëta* passim summis laudibus extollit, ut:

ሰላም፡ለልደትከ፡ድኅረ፡ፃበረት፡መካን፡
ለእምከ፡ልባ፡ከመ፡ቃለ፡መልአክ፡ተአምነ፡
ተክለ፡ሃይማኖት፡ፀሐይ፡እንተ፡ትኴንን፡ዘመነ፡
መልአ፡ምድረ፡ስብሐቲከ፡እምወሰን፡ወሰነ፡
ወስማያት፡ሠነከ፡ከደነ ::

Salutem (dico) *nativitati tuæ (cum primò sterilis fuisset* 16
Mater tua Leba,) sicut voce Angeli significatum illi fuit.
Tecla Haimanote! (similis es) *Soli, qui regit tempora.*
Implevit terram gloria tua à termino ad terminum:
Et cœlos claritas tua illuminavit.

Cœperat jam pridem istud vitæ genus in *Thebaide Ægy-* 17
pti deserto, quo multi pii viri, persecutionibus coacti, secesserant: simul ut abstinentiâ & temperantiâ precibus intentiùs
vaca-

d) Zacharias quidam Encom. 30. Decemb. 4.

18 vacarent. Inter quos *S. Antonius*, Eremitarum anteſigna- *Socr. L.I. c.17.*
nus⁽²⁴⁾, certis quibusdam legibus hoc vitæ genus circum-
ſcripſit, ac ob id poſt *Paulum* pro inſtitutore illius habitus
19 fuit[c]. Pacatâ Eccleſiâ, ſecuti ſunt illum *Anachoretæ* plurimi,
qui incoacti ſolitariam vitam elegerunt, ob id Monachi di-
cti; quidam eodem ſancto fine: quidam opinione meriti:
quidam non ſine vanæ gloriæ cupiditate; quòd viderent au-
ſteritatem vitæ, ut rem difficilem, vulgo admirationi eſſe,
20 & vehementer laudari. Multi enim non ſatis habebant con-
ceſſis voluptatibus abſtinere: aut corporis neceſſitates tem-
perare; ſed ſemet ſponte repertis tormentis excruciabant, vel
21 fame & inediâ emaciabant. Inolevit iſte mos etiam in Æ-
thiopiâ, ubi nonnulli, ſine ullâ ſuâ aliorúmve utilitate, varios
corporis cruciatus reperêre; veluti *totos dies in aquâ frigidâ
ſtare: lumbos gravi catena cingere: ſolis oleribus*, & quidem
parcisſimè, *victitare:* imò, quod fidem ferè excedit, viſus
fuit, qui ſe hiſcenti arbori inſereret, atque ſic, illâ ſenſim con-
creſcente, vivus ſepeliri vellet.

22 *Antonium* excepit S. *Macarius:* hunc S. *Pachomius*;
cui in Æthiopiâ ſucceſſit *Abba Aragawi*, primus Monacho-
rum apud Æthiopes præſul; quem ſupra inter novem illos *n.4.*
23 viros ſanctos nominavimus. Illius ſucceſſores fuerunt:

አባ፡ክርስቶስ፡ቤዛና፡	Abba *Chriſtos-bezana.*
አባ፡መስቀል፡ሞአ፡	Abba *Meskel-mòa.*
አባ፡ዮሐኒ፡	Abba *Johanni*, qui አስኬማ፡

Asqema, i.e. *inſigne præſulatus*, ſeu habitum monachalem
24 *Tecla-haimanoto* reliquit. Tradunt enim Archangelum *Mi-
chaëlem* ejuscemodi habitum S. Antonio attuliſſe, eumque
poſtea ſucceſſoribus illius quaſi per manus traditum fuiſſe.
Vocabulum ipſum Græcum eſt σχῆμα *Schema.* Alphonſus Pa- *B.T.I,33.*
25 triarcha ſcapulario comparat. Extat vita ejus in Æthiopiâ
latè deſcripta, multis referta miraculis, nec non apparitioni-
bus & itineribus ſacris famoſa. Mentio quoque illius fit in
Diptycho Æthiopum hoc modo:

ተዘከሬ፡ እግዚኦ፡ ለነፍሰ፡ ገብር	*Memento Domine animæ ſervi*
ከ፡ አቡነ፡ ተክለ፡ ሀይማኖት፡	*tui Patris noſtri Tecla-haimanoti*
ምስለ፡ ኵሎሙ፡ ደቂቁ።	*& omnium ſodalium ejus.*

26 Iſte ergo novis præceptis monachos ſuos inſtruxit: eosque

c) Eutychius Patriarcha in Annal. Eccleſ. Alexandr. p.485. ſcribit: *Abba Antonium* primum *monachorum Ægypti tempore Iuliani Apoſtatæ floruiſſe.*

B.T.I,34. circa fin. certo ſubeſſe voluit antiſtiti, qui ሊጨጌ፡ *Ieegue* vocatur, & maximæ ſemper poſt Abunam fuit auctoritatis atque dignationis. Is ſodales ſuos viſitat, aut alios mittit inſpectores, qui corruptiones emendent, & transgreſſores puniant. An- 27
tequam regnum Shewa à Gallanis occuparetur, in monaſterio ደብረ፡ ሊባኖስ፡ *Debra-Libanos* h.e. MONS LIBANI dicto ſedem ſuam habuit, quæ poſtea in Bagemdram fuit translata.
Atq; hinc eſt, quòd ተስፋ፡ ጽዮን፡ *Teſfa-tzejonus* Editor Novi 28
p.28. col.4. Teſtamenti Æthiopici in epilogo Matthæi de ſe atque ſodalibus ſuis ait:

ኵልነ፡ ደቂቀ፡ ለአቡነ፡ ተክለ፡ ሀይማኖት፡ ዘደብረ፡ ሊባኖስ፡	*Omnes nos Filii ſumus Patris noſtri Tecla-haimanoti, Monaſterii, Mons Libani* (dicti).

Propter hoc malè à nonnullis viris doctis pro Maronitis habiti fuerunt[25].

Alter monachorum antiſtes Abba *Euſtathius* æquè cla- 29
rus eſt, ejusque in diptycho Æthiopum non minus felix eſt
N.T.p.160, 4. memoria, dum ajunt:

ተዘከር፡እግዚኦ፡ለአቡነ፡ኤዎስጣቴዎስ፡ምስለ፡ኵሎሙ፡ ደቂቁ።	*Memento Domine Patris noſtri Euſtathii cum omnib. filiis ejus.*

Encom.15. Dec.5. Eum etiam à miraculis commendat *Poëta:* 30

ሰላም፡ እብል፡ አጽፌከ፡ክቡረ፡
እንተ፡ ኮነከ፡ሐመረ፡
ኤዎስጣቴዎስ፡ ንግድከ፡ እንዘ፡ ያርኢ፡ መንክረ፡
እምነ፡ ተሀውኮ፡ አስተረመመ፡ ባሕረ፡
እምአእርፎ፡ አፍለሰ፡ አድባረ፡

Salutem dico tunicæ tuæ pretioſæ,
quæ fuit tibi pro navi.
EUSTATHI! *peregrinatio tua oſtendit miraculum,*
ab impetu ſuo plane ſedavit mare (i.e. procellam maris ſedavit)
Et à quiete tranſtulit montes. (i.e. transtulit montes quieſcentes)

B.T.d.l. Hic quidem ſectatoribus ſuis leges præſcripſit, ſed nullum 31
cuſtodem impoſuit; nec illi ipſi eâ de re ſolliciti ſunt, prætexentes: *Euſtathium in Armeniam, nullo nominato ſucceſſore, profectum; ideo nec ſibi integrum eſſe aliquem conſtituere.*
Quilibet igitur Abbas (አባ፡ ምኔት፡ vocant) ſui monaſterii ſu- 32
premus arbiter eſt; ſi fato fungatur, ſuffragiis ſodalium illius loci alius eligitur. Plena autem eſt Habeſſinia iſtorum hominum,

minum, idque non ſine magno Reipublicæ damno, quam
nullâ re juvant; *contra hoſtes imbelles, & adverſum tributa*
33 *immunes*. Verùm enim verò *inſtituta* illorum à Latinis &
Græcis longè ſunt *diverſisſima*. Nam ſi ኣስኬማ : *Schema*
illorum & crucem, quam geſtant, excipias, à ſecularibus vix
34 dignoveris. Nec enim cucullum aut veſtitum monacha-
lem gerunt: nec in cœnobiis vivunt: ſed juxta templum
quoddam per tuguria humilia ſparſi, in villâ quâdam cir-
35 cumſeptâ degunt. Certas preces in numerato habent, ſa-
tisfactum pietati ſuæ putantes, ſi penſum ſuum abſolvant;
quod ut eò maturius fiat, *Pſalmos* tanta celeritate decurrunt,
ut ego Romæ illos audiens, & idem exemplar manu tenens,
36 nunquam voce, vix oculis legentes ſequi potuerim. Vnus-
quisque agrum ſuum colit, & de proventibus illius vivit, at-
que liberè diſponit: aliàs abit & redit, quocunque & quan-
docunque illi viſum fuerit; adeoque prædia eorum *clauſtra*
dici nequeunt, neque illi Monachi: ſed potiùs cœlibes colo-
ni, modò ſemper integrum ſervent cœlibatum. Infamiâ ta-
men notantur illi, qui relicto monachatu uxores ducunt:
nec filii eorum clerici fieri poſſunt: & pro injuriâ accipitur, ſi
37 quis Monachi filius vocetur. Adhæc *officia civilia* gerunt,
& interdum præfectos Regionum agunt, ut exemplum *Tza-*
gazaabi, cujus ſæpè meminimus, demonſtrat. Illum enim 2, 17, 5.
38 monachum fuiſſe, ex itinerario Alvarezii liquet. Tales uti- *c.* 46.
que cum *S. Hieronymo* meritò interrogares: *Si monachus eſſe* *Ad Paulin.*
cupis, quid facis in urbibus? quid in caſtris? quid in præfectu- *de inſt. mo-*
39 *ris?* Patribus Societatis non niſi ſummè diſplicere poterant; *nach.*
quare contemtim ſemper de illis locuti ſunt: & illi vicisſim
conatibus illorum fortiter obſtitere; quamobrem maximos
40 Fidei Catholicæ perſecutores eos vocat B. Tellezius. Mo- *L. I. c.* 34.
naſteria (ſi ita appellare licet illorum villas) plurima ſunt per
totum regnum ſparſa, & communiter ደብር : *Mons* in plur.
አድባራት : *Montes*, quòd in illis primitus exſtructæ fuerint,
appellantur; ut ደብረ : ቢዘን : *Monaſterium Bizen*, ሃሌሉያ :
Halleluja, ዳሞ: *Damo*, *Albamata*, & ſimilia. Præterea
omnes inſulæ lacus Tzanici, exceptâ Deka, 1, 8, 114.
monachorum ſunt.

CAP.

CAPITIS III. ADDITIO.
DE
MONIALIBVS.

Moniales etiam dari in Æthiopiâ ex B. Tellezio colligo; 41
ſed de illarum moribus & ritibus nihil certi cognovi. Simplices, eoque in Religione ſuâ obſtinatiores eas eſſe, idem tradit, & exemplum notabile de quadam refert, quæ caſu cœca facta, admonebatur à Patre, ut confeſſione dictâ Latinam Religionem amplecteretur, niſi in infernum detrudi vellet. Illa reſpondit: *ſe illuc ſua ſponte pergere, neque enim locum ſibi in cœlo dari, quòd malè ſibi cum Deo conveniret, ideò quod viſum ſine ulla culpâ ſuâ amiſiſſet.* Inſtitit Pater, ut graviore iſta animi cœcitate eam liberaret. Cùm verò obſtinata maneret, dixit: *ſiquidem non aliter vis, ito ergo in Infernum cum omnibus Diabolis, cum Datamo & Abiramo. At nolo ut id facias habitu monachali, qui competit iis tantùm, quæ in cœlum tendunt.* Simulque illicò eam veſte ſacrâ ſpoliari, atque detritâ & pannoſa indui juſſit, poſt quæ tantam animo triſtitiam & contritionem concepiſſe ſcribit, ut confeſſione dictâ cum Eccleſiâ Romanâ conciliaretur.

L.V.c.27.

CAP. IV.
De Libris Sacris Habeſſinorum.

1. Æthiopes cum *Religione Chriſtianâ* acceperunt 2. *S.Scripturam*, è LXX. *interpretum* verſione 3. *Codicis* cujusdam *Alexandrini* translatam, 5. tempore & autore incerto, qui 6. non unus fuit. 7. *Novum Teſtamentum* ex mutilo 12. exemplari mendoſê impreſſum. 15. Librorum *veteris Teſtamenti diviſio* in IV. partes. 17. *Prima* dicitur *Lex* & *octateuchus* eſt: 18. *ſecunda* Reges: 19. *tertia* Salomonis: 20. *quarta* Prophetæ. 21. *Novi Teſtamenti* partes totidem: I. Quatuor Evangeliſtas: II. Acta: 23. III. Pauli, 24. IV. Reliquorum Apoſtolorum Epiſtolas continet. 25. *Apocalypſis* pro appendice eſt. 27. Novo Teſtamento annumerant *Conſtitutiones* & *Canones*, quos vocant, Apoſtolorum, & 28. in *octo partes* dividunt. 29. Igitur plures numerant libros ſacros. 30. Tria concilia Oecumenica. 31. Pulcher codex Concil. manuſcriptus Romæ. 32. Libri in eo contenti. 35. *Liturgiæ*, 39. *Inſcriptiones* earum dubiæ. 40. Orationes Euchariſticæ manuſcriptæ. 41 *Liber ſymbolicus* Habeſſinorum ex Homiliis Patrum Græcorum concinnatus: 43. Latinos ignorant. 45. *Martyrologia.* 46. Alii libri. 47. Organon Denghel non 48. antiquitate, ſed eloquentiâ ſe commendat. 49. Liber *Enochi* falſus. 51. Precationes Magicæ: 54. in quibus nomina monſtroſa, quæ 55. à Judæis deſumta videntur. 56. Formula *Anathematis* Judaici.

CVltus ſacer inter gentes rariſſimè ſine libris eſt; ex illis au- 1
tem cognoſcitur, unde originem ſuam traxerit, quâve viâ venerit. Vocabula enim ſacra, unicuique religioni propria, plerumque unà transeunt; ideò tot Hebræa & Græca in omni-

4,1,1. & ſeqq. & ibi comm.

omnibus Bibliorum verſionibus obſervantur, nosq; tot Latina in Sacris noſtris habemus.

2 Habeſſini cum religione Chriſtianâ, etiam *Sacram Scripturam* acceperunt. Illa in linguam Æthiopicam (quam Ti-
grenſibus quondam vernaculam fuiſſe diximus) ex *verſione* 1.15.4.
3 *LXX. interpretum* translata fuit; idque ſecundùm exemplar quoddam in Eccleſiâ Alexandrinâ uſitatum, quod innumeræ variæ lectiones, quæ ex tali exemplari Bibliis Anglorum Polyglottis, Operi egregio, inſertæ ſunt, indicant; ubique enim cum illis congruit verſio Æthiopicâ; (26) præſertim in Exodi 35. & 39. capp. quæ in aliis codicib. mirè ſunt disturbata.
4 Veriſimilè ſanè eſt, Alexandrinæ Eccleſiæ coloniam codices
5 ſacros metropolis ſuæ ſecutam fuiſſe. De *autore* & *tempore* verſionis, nihil certi compertum habeo; probabile tamen eſt, eam tempore converſionis [f] Habesſinorum, vel paulo poſt, non verò tempore Apoſtolorum, ut quidam tradide-
6 runt, concinnatam fuiſſe, & quidem à diverſis interpretibus; quia vocabula rariora & difficiliora, ut ſunt gemmarum nomina, non uno modo in diverſis libris exponuntur; e. gr. *Topazius* Pſalmo 118. 127. redditur, Græco vocabulo τὸ tanquam articulo abjecto, ጰዝዮን፡ *Pazjon* Jobi 28. 19. ተንከር፡ *Tancar*, Apoc. 21. 20. ወራውሬ፡ *Waraurè*, & ita porro.

7 *Novum Teſtamentum* ex textu Græco authentico verſum quidem habent, ſed nondum purum & integrum
8 in Europam eſt invectum. Romana enim editio (27) *ex lacero* & mutilo exemplari facta eſt, cujus lacunas Teſfa-Tzejonus ex Græcis & Latinis exemplaribus explere coactus fuit.
9 Hoc obſervaverunt viri quidam eruditi, ſed, cauſam ignorantes, putáverunt Verſionem Æthiopicam ex vulgatâ La-
10 tinâ factam fuiſſe. Scilicet non intellexerant ſequentia Æthiopum verba: p. 157.

11 ዝንቱ፡ ግብረ፡ ሐዋርያት፡ ዘይ	*Iſta Acta Apoſtolorum maximâ ſui*
በዝኀ፡ ተተርጐመ፡ በሮሜያ፡ እ	*parte verſa ſunt Romæ è linguâ Ro-*
ምልሳነ፡ ሮማይስጢ፡ ወጽርእ፡	*manâ* (hoc eſt Latina) *& Græcâ in*
ለግዕዝ፡ በእንተ፡ ኀፀባ፡ አብ፡	*Æthiopicam, propter defectum Ar-*
ዘወሰክነ፡ ወዘአንተግነ፡ ስርዩ፡	*chetypi; id quod addidimus vel o-*
ለነ፡ ወአንትሙ፡ አርትዑ።	*miſimus, condonate nobis, vos au-*
	tem emendate illud.

Z Quin

f) Eſt qui ſcribat, in Martyrologio quodam Æthiopico *S. Frumentium*, quem Abba-*Salama* vocari diximus, autorem verſionis haberi. Id priusquam videam, pro certo non affirmaverim.

Quin & ſtatim in titulo libri editor veniam petit mendoſæ 12
editionis, ob imperitos adjutores, dicens:

ኦአበዊየ፡ ወአኀዊየ፡ ኢትንቅ	*O Patres mei & fratres mei! nolite* 13
ፉ፡ገድፊቶ። እስ፡ ኀተሙ፡ ኢ	*ſiniſtrè interpretari menda iſtius*;
ያእምሩ፡ አንብቦ፡ ወንሕነሂ፡	(ſcil. editionis) *qui enim impreſſe-*
ኢናእምር፡ ኀቲመ። ዘእንበለ፡	*runt, neſciverunt legere: nos autem*
ይትራድኡነ፡ ወንትራድአሙ፡	*neſcimus imprimere. Itaque juve-*
በከመ፡ ይትራድኦ፡ ዕውር፡ ለ	*runt nos, & nos juvimus illos, ſicut*
ዕውር። በእንተዝ፡ ኅንኅክዩ፡ ለ	*cæcus cæcum juvat. Propterea*
ነ፡ወሎሙ።	*ignoſcite nobis & illis.*

Idem repetit & aliis in locis; quia ſatis vidit infinitis mendis 14
ſcatere. Nihilominus eandem editionem denuò impreſſe-
runt Angli in Bibliis modo laudatis; quia aliam non poterant
nanciſci.

Grig. Cæterum *Scripturam ſacram integram* (28) habent, & 15
totidem ac nos libros recenſent, ſed aliter dividunt. Vetus
enim Teſtamentum, quod quadraginta ſex libros continet,
in quatuor præcipuas partes dispertiunt, & libros quosdam
conjungunt diverſi plane argumenti; fortè magis volumi-
num commoditati, quàm materiarum dignitati conſulentes.
Etenim *Canonicis* Apocryphos miſcent, incuriâ an ignoran- 16
tiâ, incertum. Gregorius certè fatebatur, ſe tale vocabulum
nunquam audiviſſe.

Primus Tomus dicitur ኦሪት፡ *Lex*: & *Octateuchus* eſt; 17
octo enim continet libros, qui dicuntur:

1. ዘፍጥረት፡ h.e. *Creatio*, vocatur alias etiam ቀዳሚ፡ኦሪት፡ *Primus* (liber) *Legis* vel ዘልደት፡ *Generationis* h.e. *Geneſeos.*

2. ዘፀአት፡	*Exitus.*	6. ኢያሱ፡	*Joſuæ.*
3. ዘሌዋውያን፡	*Levitarum.*	7. መሳፍንት፡	*Ducum.*
4. ዘኍልቍ፡	*Numeri.*	8. ሩት፡	*Ruth.*
5. ዘደብተራ	*Tabernaculi.*		

Alter tomus vocatur ነገሥት፡ i. e. REGES & continet libros 18
tredecim:

9.10. ሳሙኤል፡ B: *Samuelis II.*
11.12. ዕብራውያን፡ B: *Hebræorum II.*
} Hos tamen communius more Græcorum 1. 2. 3. & 4. *Regum* vocant.

13.14. ንዑሳን፡ B: *Minorum ſeu inferiorum II.* ſic accepiſſe videntur Græcum *Paralipomena.*

15.16. ዕዝራ፡ B: *Ezra II.*

17. ጦቢያ : *Tobiæ.*
18. ዮዲት : *Judith.*
19. አስቴር : *Ester.*
20. ኢዮብ : *Jobi.*
21. መዝሙር : *Psalmorum.*

19 *Tertius* ሰሎሞን : SALOMON. *Quinque* libros continet.

22. ምሳሌ : *Proverbia*
23. መክብብ : *Concio*, propriè *circulus*, seu *cœtus* hominum in modum circuli congregatus.
24. መኃልየ : መኃልይ : *Canticum Canticorum.*
25. ጥበብ : *Sapientia.*
26. ሲራክ : *Siracides.*

20 *Quartus* ነቢያት : PROPHETÆ, continet libros octodecim.

27. ኢሳይያስ : *Esaias.*
28. 29. ኤርምያስ : ትንቢት : ወሰቆቃዊሁ : *Jeremiæ Prophetia & Threni ejus*
30. ባሮክ : *Baruch.*
31. ሕዝቅኤል : *Ezechiel.*
32. ዳንኤል : *Daniel.*

Sequentes, ut apud nos ንኡሳን : ነቢያት : *Prophetæ minores* vocantur. Encom. 8. Jan. 4, 2.

33. ሆሴዕ : *Hoseas.*
34. ኢዮኤል : *Joël.*
35. አሞጽ : *Amos.*
36. አብድዩ : *Obadia.*
37. ዮናስ : *Jonas.*
38. ሚክያስ : *Michæas.*
39. ናሆም : *Nahum.*
40. ዕንባቆም : *Habacuc.*
41. ሶፎንያስ : *Sophonias.*
42. ሐጌ : *Haggæus.*
43. ዘካርያስ : *Zacharias.*
44. ሚልክያስ : *Malachias.*

His addunt coronidis loco:

45. 46. መቃብያን : ፪ : Duos libros *Maccabæorum.*

Ex quibus Romæ Manuscripti habentur:

1. *Pentateuchus.*
2. *Josua.*
3. *Judices.*
4. *Ruth.*
5. *Libri IV. Regum.*
6. *Esaias.*

Impressi verò extant:

1. *IV. priora capita Genes.*
2. *Liber Ruth.*
3. *Psalterium.*
4. *Canticum Canticorum* cum hymnis Vet. Test.
5. *Joël.*
6. *Jonas.*
7. *Sophonias.*
8. *Malachias.*

21 *Novum Testamentum* continet libros viginti septem & similiter *in quatuor partes* dividitur, quarum *prima* vocatur ወንጌል : EVANGELIUM & continet quatuor Evangelistas.

1. ማቴዎስ : *Matthæum.*
2. ማርቆስ : *Marcum.*
3. ሉቃስ : *Lucam* &
4. ዮሐንስ : *Johannem.*

22 *Secunda* 5. ግብር : ACTA (sc. Apostolorum.)

23 *Tertia* ጳውሎስ : *Paulus* dicta, continet XIV. EPISTOLAS PAULINAS.

6. ለሰብአ: ሮሜ: *ad Romanos.*
7.8. ቆሮንቶስ: ፪: *ad Corinthios II.*
9. ገላትያ: *ad Galatas.*
10. ኤፌሶን: *ad Ephesios.*
11. ፊልጵስዩስ: *ad Philippenses.*
12. ቆላስይስ: *ad Colossenses.*
13.14. ተሰሎንቄ: ፪: *ad Thessalonicenses II.*
15.16. ጢሞቴዎስ: ፪: *ad Timoth.*
17. ለቲቶ: *ad Titum.*
18. ለፊልሞና: *ad Philemonem.*
19. ለዕብራውያን: *ad Hebræos.*

Quarta ሐዋርያ: h. e. *Apostolus* continet septem libros. 24

20. ያዕቆብ: *Iacobi.*
21, 22. ጴጥሮስ: ፪: *Petri II.*
23.24.25. ዮሐንስ: ፫: *Iohannis III.*
26. ይሁዳ: *Iudæ.*

Pro additamento est illis

27. ራእየ: ዮሐንስ: አቡቀለምሲስ: *Visio Iohannis Abukalamsis,* 25
quam vocem ex Græco ἀποκάλυψις corruptam, fortassis cognomentum ejus esse putaverunt, tanquam compositum ex Arabico ابو *Abu* & *Kalamsis.*

Sed notandum in manuscriptis exemplaribus Orientis 26
plerumque separatim reperiri Epistolas Paulinas; atque hæc causa est, quod in Codice Romano Novi Testamenti Æthiopici seorsim fuerint impressæ, & non in nostro ordine reperiantur.

Novo Testamento communiter annumerant volumen, 27
quod Græco vocabulo ሲኖዶስ: *Synodum,* seu *librum synodalem* vocant. Continet antiquissimas illas *Constitutiones,* quæ *Apostolorum* vocantur, illi ትእዛዛት: *Præcepta* nominant: nec non *Canones,* multos primævos ritus exponentes, operâ Clementis conscriptos; sed valdè discrepant ab illis, qui apud nos Apostolorum nomine circumferuntur, (29) tùm rebus, cùm verbis, necnon ordine & numero, ut ex specimine in Commentario nostro lectori palam fiet. Illos Habessini in octo 28
partes dividunt, & Evangelistarum Apostolorumque scriptis Canonicis tanquam *Novellas* quasdam adjungunt, quasi ejusdem planè sint auctoritatis, & absolutissimæ Christia-
Alv.c.90. norum *Pandectæ.* Hinc est, quod Rex David Alvarezio di- 29
xit: se habere LXXXI. Sacræ Scripturæ libros, nempe XLVI. *Veteris* (quia Threni Jeremiæ seorsim computantur) & XXXV. *Novi Testamenti,* additis videlicet ad XXVII. octo istis Constitutionem & Canonum libris, quos *Manda* & *Abtelis* Æthiopes vocant, significatione Gregorio meo ignotâ; exotica enim illi videbantur vocabula. Hæc etiam causa est, quod *Tesfa-Tzejon* in titulo Novi Testam. dicat:

ሐጓት

አኅተምኩ፡ ኵሎ፡ መጽሐፈ፡ ሐዲስ፡ ዘእንበለ፡ ሲኖዶስ፡	*Imprimi curavi Codicem novum* (i. e. Novum Teſtamentum) *ſed ſine Synodo*;

quia Conſtitutiones illas & Canones non ſimul impreſſit.
30 Poſt hunc librum, qui & abſolute ሐዲስ፡ *Novus* dicitur, primum locum occupant tria Concilia Oecumenica, *Nicænum*, *Conſtantinopolitanum* & *Epheſinum*, cum nonnullis provincialibus, quæ usque ad Schiſma Chalcedonenſe in Eccleſiâ habita fuerunt. Sed ſciendum eſt præter vulgatos viginti *Canones Nicænos*, in Eccleſiâ Græcâ & Latinâ ſemper receptos, illos habere & admittere alios *octoginta quatuor* Canones, qui etiam apud Cophtitas Arabicè extant. Illos ſuperiori demum ſeculo in Ægypto exſcripſit & Romam detulit Baptiſta Romanus P. Soc. Jeſu; ubi in Latinum ſermonem translati fuêre. Capita Æthiopicorum habeo, ex quibus video eosdem cum Arabicis eſſe. De textu verò ipſo, an conveniat in omnibus? an, & in quibus diſcrepet, nihil certi definire poſſum. Codices enim plurimum variare, vel ex iis liquet, quæ Fr. Turrianus & Abraham Ecchellenſis edi-
31 dêre; de quibus in Commentario noſtro plura. Cæterum omnia iſta reperiuntur in egregio quodam membranaceo codice pulchrè ſcripto, qui ab Imperatore Habeſſinorum *Zer-a-Iacobo*, aliàs *Conſtantino* Anno Chriſti 1440. Hieroſolymam miſſus, & circa annum 1646. *Romam* delatus fuit;
32 ubi eum in ædibus Habeſſinorum Anno 1649. vidi[g]. Tractatus continet ſequentes deſcribente Gregorio:

ሲኖዶስ፡ ዘቅዱሳን፡ ሐዋርያት፡ በእንተ፡ ሥርዓተ፡ ቤተ፡ ክርስቲያን፡ ወኵሉ፡ ትእዛዛት፡ ወአብጥሊሳት፡ ወቀኖናት፡ እንተ፡ ጸሐፈን፡ ቀሌምንጦስ፡ ረድኡ፡ ጴጥሮስ።	*Synodus ſanctorum Apoſtolorum de ordinandâ Eccleſiâ Chriſtianâ: nec non omnia præcepta, decreta & Canones, quos ſcripſit* Clemens *diſcipulus Petri.*
ቀዳሚ፡ ሲኖዶስ፡ ዘጉባኤ፡ እንቆራ።	*Prima Synodus eſt Concilii* ANCYRANI.
ዳግማዊ፡ ሲኖዶስ፡ ዘጉባኤ፡ ቂሳርያ።	*Secunda Synodus Concilii* CÆSAREENSIS.
ሣልስ፡ ዘኒቅያ።	*Tertia* NICÆNA.
ራብዕ፡ ዘጋንግራ።	*Quarta* GANGRENSIS.
ኃምስ፡ ዘአንጾኪያ።	*Quinta* ANTIOCHENA.

g) *Tria Exemplaria* Æthiopica Romæ extare A. Ecchellenſis dicit, in notis ad d. Canon: *Duo in Bibliothecâ Vaticanâ: & unum in domo S. Stephani nationis Æthiopicæ*; atque iſte eſt quem ego vidi.

ሳድስ፡ ዘሎዶቂያ።	*Sexta* Laodicensis.
ወሳብዕ፡ ዘሰርዲቄ።	*Septima* Sardicensis.
ወእምዝ፡ ሀሎ፡ ጸሑፉ፡ ነገር፡	*Postea sequuntur res vel acta san-* 33
ዘቅዱሳን፡ አበው፡ ፫፻፲ ወ	*ctorum Patrum* CCCXVIII. *ortho-*
፰፡ ርቱዓነ፡ ሃይማኖት።	*doxorum. Deinde tractatus de*
ወድኅረዝ፡ ሀሎ፡ ጸሑፉ፡ ፬፡ ድ	*Sabbato, quem composuit* R*ɛtua-*
ርሳን፡ ዘደረሰ፡ ርቱዐ፡ ሃይማኖት።	*haimanotus. Porro repræsentatio*
ወድኅረዝ፡ ሀሎ፡ ግጸዌ፡ ትምህ	*doctrinæ de Lege, constitutionibus*
ርት፡ ሕግ፡ ወሥርዐት፡ ወተግሣጽ።	*& adhortationibus. Tandem De-*
ወበፍጻሜሁ፡ ሀሎ፡ አብጥሊ	*cretum & Canon de pœnitentia.*
ስ፡ ቀኖና፡ ለእንተ፡ ንስሐ፡	

Axumæ ſcriptus eſt liber. Præfationem Regis, in Shɛwa da- 34
tam, in Commentario noſtro (30) lectori dabimus, cum nonnullis conciliorum fragmentis.

Poſt hunc Synódorum librum *Liturgiæ* ſeu preces publi- 35
cæ in communi totius Æthiopicæ Eccleſiæ uſu ſunt. ቀኖና፡ ቅዳሴ፡ *Canonem Euchariſtiæ* vocant, quòd totius adminiſtrationis, & aliarum Liturgiarum quaſi norma ſit, & toti anno

p. 158. & seq. fol. 163. col. 4. inſerviat. Impreſſæ extant in codice Romano Novi Teſta- 36
menti, ante Epiſtolas Paulinas, ſed *interpolatæ*; ibi enim de Spiritu Sancto legitur ዘሠረጸ፡ እምአብ፡ ወወልድ፡ *qui procedit à Patre & Filio*, quod poſterius tamen Æthiopes cum Græcis non admittunt.

Præter generalem hanc Liturgiam, alias ſpeciales ha- 37
bent, certis diebus feſtis legi ſolitas, veluti

ቅዳሴ፡ ዘእግዚእነ፡ *Liturgia Domini noſtri.* (31)
ቅዳሴ፡ ዘእግዝእትነ፡ *Liturgia Dominæ noſtræ.*
ቅዳሴ፡ ዘሐዋርያት፡ *Liturgia Apoſtolorum.*
ቅዳሴ፡ ዘቅዱስ፡ ማርቆስ፡ *Liturg. S. Marci* & aliæ ſimiles.

Quæ inſcriptiones fefellerunt doctos quoſdam viros, qui eas 38
ceu *Apocryphas*, vel plane *pſeudepigraphas* [h] infamaverūt (32).
Non enim ab autoribus ſic dictas fuiſſe, cùm textus ipſe, tùm 39
nomen autoris interdum titulo adjectum indicat, ut:

N. T. Æth. p. 170.	ቅዳሴ፡ ዘእግዝእትነ፡	*Liturgia Dominæ noſtræ Mariæ* (ſcil. in fe-
	ማርያም፡ ዘደረሰ፡ አ	ſtis ejus legenda, ut videtur) *quam com-*
	ባ፡ ህርያቆስ፡ ጳጳስ፡	*poſuit Abba* Cyriacus *Metropolita re-*
	ዘሀገረ፡ ብህንስ።	*gionis* Bɛhɛns.

Dominum autem noſtrum, & Dominam noſtram nullas compoſuiſſe *Homilias* vel *Liturgias*, quilibet etiam ſimpliciſſimus colligere poterat. Plures hujus argumenti manu- 40
ſcri-

h) Dallæus de Pſeudepigraphis Apoſtolicis.

ſcriptas habeo ; Æthiopes አኰቴተ ፡ ቍርባን ፡ Εὐχαριστίαν κορβᾶν (q. d. *gratiarum actionem oblationis*) vocant. Sunt enim *Orationes Eucharisticæ* & *Homiliæ* in adminiſtratione S. Cœnæ recitari ſolitæ; ut infra pluribus exponemus. 3,6,77.

41 Sed *liber* eorum *Symbolicus* & compendium totius Habesſinicæ religionis eſt ሃይማኖተ ፡ አበው ፡ *Hajmanota-Abau, Fides ſeu Religio Patrum*, de quo P. Tellezius ſcribit; *librum* L.IV.c.I.
eſſe apud eos ſummæ fidei & auctoritatis[i], *& inſtar Biblio-* &II.
thecæ Patrum. Collectum enim eſſe ex homiliis S. Athanaſii,
42 *S. Baſilii, S. Iohan. Chryſoſtomi, & S. Cyrilli.* Adde & *Ephrem Syrum & ſanctos Gregorios*, quorum quatuor norunt, atque æſtimant, nempe

ጎርጎርዮስ ፡ ገባሬ ፡ መንክራት ። *Gregorium Neo-Cæſareenſem, Thaumaturgum* aliàs:
ዘእንዚናዙ ፡ *Nazianzenum:*
ዘኑሲስ ፡ *Nyſſenum:*
ወዘአርማንያ ፡ *& Armenum.*

43 Addit quidem P. Tellezius etiam S. *Auguſtinum*, verùm de eo dubito; nam Latinorum Patrum ſcripta & nomina æquè
44 ignorant. Cæterum ſi liber ille tantùm ex ſcriptis Patrum ſupra nominatorum compoſitus eſt, facile ceu commune quoddam principium admitti potuit à Patribus Societatis, in disputationibus ſuper duabus in Chriſto naturis cum Æ-
45 thiopibus habitis. Præterea permultos alios ſacri argumenti libros habent, quales ſunt *Martyrologia*, & *vitæ Sanctorum*,
46 quæ ስንክሳር ፡ i. e. *Synaxaria* vocantur. Porro innotuerunt mihi ſequentes:

ዜና ፡ አበው ፡ *Hiſtoria Patrum.*
ገድለ ፡ ሰማዕታት ፡ *Certamina*, ſive *luctæ Martyrum.*
ዜና ፡ አይሁድ ፡ *Hiſtoria Iudaica.*
ሥርዓተ ፡ ቤተ ፡ ክርስቲያን ። *Conſtitutiones Eccleſiæ Chriſtianæ.*
መጽሐፈ ፡ ምሥጢር ፡ *Liber arcanorum.* De hæreſibus agit autore S. Georgio.

Reperitur etiam apud eos

መጽሐፈ ፡ ኤጲፋንዮስ ፡ *Liber Epiphanii* ejusdem argumenti.
ዐረጋዊ ፡ መንፈሳዊ ፡ *Senex ſpiritualis.*
ዕንዚራ ፡ ስብሐት ፡ *Cithara Laudis* ſc. S. S. Trinitatis: ut & B. Mariæ Virginis.
ጸዳለ ፡ ፀሐይ ፡ *Splendor Solis*; de lege Dei agit.
ውዳሴ ፡ አምላክ ፡ *Laus Dei.*

መጽሐ

i) Sic enim ait dicto loco: *Livro a que dam todo o credito.* h. e. Liber cui omnem fidem adhibent.

መጽሐፈ፡ ፍልሰታ፡ ለእግዝእትነ፡ ማርያም ። *Liber obitus Dominæ nostræ Mariæ.*

In cujus laudem & honorem diversa reperiuntur carmina 47
& encomia; inter quæ præc ellit አርጋኖን፡ ድንግል ። *Organon-Denghel, Organum musicum Virginis.* Encomium est immaculatæ Virginis Mariæ à Doctore Habessino Abba Georgio concinnatum. Liber *non* quidem *vetus*, attamen ob si- 48
militudinum & allegoriarum copiam, nec non verborum & sermonis elegantiam vulgò æstimatus (33). Illud autem pror- 49
sus vanum est, quod *Ægidius Lochiensis* Capucinus amplissimo viro *Peireskio* de Prophetiâ *Enochi* retulit, quasi illa Æthiopicè adhuc extaret, in libro መጽሐፈ፡ ሄኖክ፡ *Liber Henochi* dicto. Quo audito, insignis ille vir nullis pepercit sumtibus, 50
donec illum librum sibi compararet; sed improbi venditores falso titulo illi imposuerunt. Nam libellus postea in Bibliothecam Cardinalis *Mazarini* translatus fuit, illiusque exordium, medium atque finem ab amico exscriptum accepimus, quæ nihil de Enocho, neque prædictionibus futurorum, sed quendam *Abba-Bahaila-Michaëlem* autorem habebant, *de mysteriis cœli, & terræ*, & *de S.S. Trinitate* lucidè differentem, ut in commentario (34) Lectori ostendemus.

Gassend. in vitâ Peiresk. L. V.

Sed vix memoriâ dignus esset libellus quidam vanissi- 51
mus pariter & ineptissimus, nisi toties in Europa reperiretur. [k] Gregorius eum non aliter quam ጸሎት፡ ርቅት፡ *Precationem* 52
Magicam vocabat, & plane non receptum, sed rejectum in Æthiopiâ esse asserebat. Tantâ vecordiâ scriptus est, ut sa- 53
cratissimæ Virgini Mariæ orationes ad Filium suum Θεάνθρωπον affingantur, monstrificis nominibus plenæ, quibus plus quàm divinæ virtutes adscribuntur. Talia sunt: 54

አድናኤል፡ *Adnael.*	ፊልልምዩስ፡ *Filelmejus.*
አዶታዊ፡ *Adotawi.*	ኵርኵርያኖስ፡ *Cuercuerjanos.*
አዶታኤል፡ *Adotael.*	ፍለፍለፍለቂኤል፡ *Flaflaflaqiel*

& alia multa, his multò monstrosiora (35). Satis apparet *Ju-* 55
dæorum gerris similes esse, qui portentosis ejusmodi nominibus, quibus superos atque inferos nuncupant, afficiuntur, ut cum *in formulâ anathematis* sui dicunt: [l]

ויהיה

k) 1. In Bibliothecâ Cæsar. Vindobon. 2. In Bibliothecâ Leydensi & quidem in Legato Scaligeri. 3. In Bibliothecâ Altdorfinâ. 4. In Bibliothecâ Abbatis S. Columbæ Lutet. Parisior. 5. Ibidem apud privatum quendam le Bè.

l) Buxtorf. in Lex. Chald. & Talm. rad. חרם ex antiquo Manusc. Hebræo; sed & alii eorum libri talibus scatent.

56 ויהיה מקולל מפי אדירירון ואכתריאל ומפי סנדלפון והדרניאל ומפי אנסיסיאל ופתחיאל ומפי שרפיאל וזגנזאל ומפי מיכאל וגבריאל ומפי רפאל ומשרתיאל. ויהיה מוחרם כפי צבצביב ומפי הבהביב הוא יי" הגדול. ומפי שבעים שמותיו של מלך הגדול. ומן צד צורטק חותם הגדול :

Et sit maledictus per Addirion & Achtariel, & per Sandalphon & Hadarniel, & per Anſiçiel, & Patchiel & per Seraphiel & Zeganzael, & per Michaël & Gabriel, & per Raphaël & Meſchartiel: & ſit interdictus per Tzavtzeviv & per Havheviv. Is eſt Deus ille magnus: & per ſeptuaginta nomina Regis illius magni: & à parte Tzortak ſigilliferi magni.

Sed plus ſatis nugamentorum, quibus veniam lector dabit. Hæc attuli, exiſtimans Habeſſinos, illorum veſanorum libellorum compilatores, non ex ſuo cerebro inſanire.

CAP. V.

De religione Habeſſinorum quæ nunc inter illos obtinet.

1. Tradita de Habeſſinorum religione à *Matthæo Armeno* & *Tzagazaabo* vel incerta vel falſa ſunt. 2. Patres Societatis quoque ſana illorum dogmata prætermiſerunt: *errores* autem varios iis impegerunt, qui ordine recenſentur §. 3. & ſeqq. 13. Confeſſio *Claudii* genuina eſt. 14 Summa capita Relig. Habeſſ. 15. *Scriptura* S. unica illis *norma*. 18. Adhæc magna *autoritas* eſt *ſynodalium ſcriptorum*. 19. *Nicænum*, & 22. cœtera concilia usq; ad *Chalcedonenſe* recipiunt. 23. *Trinitatem*: 26. *Vnam* Chriſti *perſonam*, 28. ejusque *ſufficiens meritum* profitentur. 29. *Proceſſionem* Spiritus S. *à Filio* negant: *perſonam* tamen *per ſe* ſubſiſtentem 30. in *Liturgiâ*, & 34. *Organo* aſſerunt. 36. Gregorii hâc de re ſententia & diſſertatio. 41. *Procedere* quomodo reddant Æthiopes. 44. Sacramenta. 45. Baptiſmus. 47. *Communio* ſub *utraque* ſpecie. 48. *Realis præſentia* corporis & ſanguinis Chriſti. 49. Ipſa eorum verba quibus hic utuntur. 54. Gregorii ſententia de *transſubſtantiatione*. 56. *Tellezius* de verâ conſecratione illorum dubitat. 58. De *ſtatu animarum* poſt mortem. 64. Quo argumento negent *animarum creationem*. 65. *Orant* certo modo *pro defunctis*. 57. *Purgatorium* tamen conſtanter negant: 71. Gregorii hac de re judicium: 76. ejus ne nomen quidem habent. 78. Origo precum pro defunctis. 82. Sanctos *invocant*, & 84. *Angelos*, quorum, 85. *novem ordines* recenſent: 86. alii *decem* fuiſſe aſſerunt. 89. *Catechetica inſtitutio* puerorum & Neophytorum.

1 SI liber Habeſſinorum ſymbolicus, quem ሀይማኖተ፡ አበው፡ *Haimanota Abau* vocari diximus, in Europâ reperiretur, 3,4,41.
certi facilè evaderem, quæ demū genuina & vera de omnibus fidei capitibus eſſet Eccleſiæ Æthiopicæ mens & doctrina; nam pleraque hucusque incerta fuiſſe, ſtatim primo hujus libri capite monuimus: atque *Matthæi Armeni*, nec non 3,1,1.
Tzagazaabi confeſſionem Fidei Æthiopicam exagitavi-
2 mus. Patres Societatis, qui hoc & ſuperiori ſeculo inter Habeſſinos verſati, & cum doctis illorum viris collocuti ſunt,

ſana illorum dogmata prætermittentes, multos ab Hebræis & Græcis errores accepiſſe eos, ſcribunt. De Judaicis ritibus, qui illis pro erroribus impinguntur, ſupra egimus. Cæteros ex N. Godigno & B. Tellezio hîc referemus: deinde quomodo eos declinent, vel excuſent, in loco memorabimus. Sunt autem ſequentes:

Spiritum S. à ſolo Patre procedere. 3

Humanam Chriſti naturam æqualem eſſe divinitati, 4 ajunt. *Vnam in Chriſto voluntatem & unam duntaxat agnoſcunt operationem: & nos, quia duas in Chriſto naturas, & duas confitemur voluntates, putant quatuor in Divinis aſſerere perſonas.*

Repetunt baptiſma quotannis ipſo Epiphaniorum die feſto. 5

Animas juſtorum in cœlum non recipi ante finem mundi: 6 *eas autem non creari, ſed è materia educi putant.*

Neq; peccatorum numerum, neq; ſpecies confitentur: neq; 7 *id putant neceſſarium, ſed generatim dicunt:* peccavi, peccavi.

Non roborantur Chriſmatis ſacramento: neque vicini 8 *morti, ſacro unguntur oleo: neque vitæ pane ſtabiliuntur. Multi impudenter jactant, eos qui Romanam ſectantur doctrinā non hæreticos tantùm eſſe, ſed Muhammedanis pejores.*

Reprobant Chalcedonenſe concilium; in Leonem Magnum ſanctiſſimum Pontificem multa conferunt maledicta: Dioſcorum beatum prædicant. 9

Purgatorium negant. 10

Iſta P. Nicolai Godigni ferè verbis tradere volui, quæ ille ex 11 relatione *Gonzali Roderici: Alfonſi de Francca: Emanuelis Fernandii* & aliorum Societatis religioſorum litteris excerpſit & edidit. Nec abſimilia ſunt verò; quomodo autem ea declinent vel excuſent, in ſequentibus dicetur. Quòd ve- 12 rò aliqui Romanæ doctrinæ ſectatores pejores dixerint Muhammedanis, de eo Gregorius meus nihil audiverat: neque de doctrinâ, ſed de imperio in ſubjectos accipiendum putabat; Muhammedanos enim ſubjectos ſuos alienæ religioni addictos vexare quidem, atque tributis premere: in neminem tamen hanc ob cauſam ferro & igne ſævire. Cæte- 13 rum habemus quidem à Claudio Rege editam Confesſionem; ſed ſcopus illius tantùm fuit ſuſpicionem Judaiſmi à ſe ſuiſque amoliri, quam amicitiæ cum Luſitanis 3,1,70. potiſſimum obſtare animadverterat, ut alibi diſſeruimus. Quantum verò nos ex Liturgiis eorum publicis: nec 14 non

non privatorum ſcriptis dictisque fide dignis hucusque colligere potuimus, ſumma doctrinæ ſacræ Habeſſinorum ſequentibus conſtat capitibus:

15 Pro *unicâ* & *ſolâ* credendorum & faciendorum *normâ* agnoſcunt *Scripturam ſacram*, cujus libros præcedenti capite retulimus; adeò ut David Rex Alvarezio dixerit: *Si Papa* c.83.
ſibi ſuisque quid injungeret, quod Apoſtoli non ſcripſiſſent, nec permiſiſſent, ſe parituros non eſſe: uti nec Metropolitæ ſuo ſi
16 *tale quid præcipere tentaret.* Eam verò adeò amant, ut nihil libentiùs quàm dicta Scripturæ allegari audiant: idque Pa-
17 tres Societatis in concionibus ſuis facere oportuit. Nam referente Tellezio:

Goſtavam muyto os Abexins de ouvir nas pregaçoens muytas allegaçoes da Eſcritura: & aquelle tem por mays douto, que traz no ſerman mays lugares.	*Valde placebat Habeſſinis audire in concionibus plurimas allegationes dictorum S. Scripturæ; nam quò plura quis dicta Scripturæ recenſeat, eo doctiorem haberi.*

18 At non multò minorem autoritatem tribuunt tribus primis *conciliis Oecumenicis*, ut ex modò allegatâ Claudii confeſ-
19 ſione apparet. Symbolo Fidei Catholicæ Nicæno communiter utuntur, idque ጸሎተ፡ሃይማኖት፡ h.e. *Orationem fidei* vocant. Illo, quo nos utimur, uti cæteri Orientales, carent;
20 haud levi indicio, Apoſtolos illius autores non eſſe, quamvis
21 doctrinæ ratione Apoſtolicum rectè vocetur. Neque enim concilii Nicæni Patres illud vel diſſimulaſſent, vel aliud ediſſent, ſi jam Apoſtoli talem Chriſtianæ doctrinæ epitomen
22 Eccleſiæ reliquiſſent (37). Alioquin Habesſinos vetera Græciæ concilia & præterea Canones LXXXIV. antiquos Nicænis additos, habere diximus, usque ad Chalcedonenſe, quod 3, 4, 30.
non tantùm rejiciunt, verùm etiam criminosè traducunt.

23 (38) Quæcunque igitur Catholica Eccleſia ante iſtud Concilium de Deo uno & trino: tribus in unâ eſſentiâ diſtinctis perſonis: æternitate Filii Dei: Hypoſtaſi Spiritus Sancti: aliisque Fidei capitibus admiſit & credidit; ea cuncta & illi lu-
24 bentisſimè admittunt, & contraſentientes damnant. Quomodo verò οὐσίαν eſſentiam: ὑπόστασιν ſubſtantiam: φύσιν naturam: aliaqua ſacra vocabula, quorum in myſterio divinitatis &
25 perſonæ Chriſti uſus, reddant, alibi dicemus. Hic tantum 3, 8, 30.
notabimus Æthiopica verba: ሠለስቱ፡ገጽ፡አሐዱ፡እግዚአብሔር።

 Tres

Tres personæ unus Deus, vulgò male reddi : *tres facies*, *unus Dominus*[m]; quia vox ገጽ : *Gaz*, non tantum *faciem* seu *vultum*, sed, pariter ac Græcum πρόσωπον, etiam *personam* designat.

3,8,19. *Nestorii hæresin* de duabus personis Christi adeò *aversantur*, ut propterea duas naturas, duasque voluntates in illo admittere nolint; quamvis divinitatem & humanitatem disertis verbis agnoscant. 26 *Christum enim verum & perfectum Deum, nec non verum & perfectum hominem esse, atque in unâ indivisâ personâ ex divinitate & humanitate, sine confusione & commixtione, consistere*, affirmant. 27

Sacrosanctissimum illius meritum, pro totius mundi peccatis, adeoq; omnium omninò hominum, qui illud verâ & vivâ fide amplectuntur, *sufficientissimum*, *& efficacissimum esse*, Habessinos credere, Gregorius mihi dixit : nec ego diversum quid explicitè in libris eorum (quos quidem mihi videre contigit) reperi. 28 *Processionem* Spiritus S. à Filio (39) cum Græcis negant; eum tamen æquè Spiritum Filii ac Patris, nec non personam per se subsistentem esse, haud ægrè fatentur. 29 Sic enim in Liturgiâ suâ[n] loquuntur : 30

ንአምን፡ አበ፡ ፈናዌ፡ ከመ፡ አ
ብ፡ውእቱ፡ በህላዌሁ። ወንአም
ን፡ ወልደ፡ ተፈናዌ፡ ከመ፡ ወል
ድ፡ ውእቱ፡ በህላዌሁ። ወንአም
ን፡መንፈሰ፡ ቅዱሰ፡ ዘወረደ፡ ላ
ዕለ፡ ዮርዳኖስ፡ ወላዕለ፡ ሐዋ
ርያት፡ ከመ፡ መንፈስ፡ ቅዱስ፡
ውእቱ፡ በህላዌሁ፡፫ ስም፡ ፩
እግዚአብሔር። አኮ፡ከመ፡አ
ብርሃም፡ ዘይልህቅ፡ እምይስ
ሐቅ፡ ወይስሐቅ፡ ዘይልህቅ፡ እ
ምያዕቆብ፡ አኮ፡ ከማሁ። ኢይ
ልህቅ፡ አብ፡ እምወልዱ፡ በከ
ዊኑ፡ አብ፡ ወኢይልህቅ፡ ወልድ፡
እመንፈስ፡ ቅዱስ፡ ወመንፈስ፡
ቅዱስ፡ ኢይንእስ፡ እምአብ።
ወወልድ፡ ኢይንእስ፡ እምአቡ
ሁ፡ በከዊኑ፡ ወልድ። አኮ፡ ከ
መ፡ አብርሃም፡ ዘይኤዝዞ፡ ለ

Credimus Patrem *mittentem*, *quòd Pater est in personâ suâ* : *& credimus* Filium *qui missus est*, *quòd Filius est in personâ suâ* : *& credimus* Spiritum Sanctum, *qui descendit super Jordanem*, *& super Apostolos*, *quòd* Spiritus Sanctus est in personâ suâ; *tria nomina unus Deus. Non quidem ut* Abraham, *qui major est* Isaaco : *nec ut* 31 *Isaac*, *qui major est* Jacobo. *Non ita se res habet. Non major est Pater præ Filio suo, eò quòd Pater est : neque major est Filius præ Spiritu Sancto : neque Spiritus Sanctus minor Patre & Filio : neque Filius minor est Patre suo, eò quòd Filius est. Non sicut Abraham qui imperat* 32 *Isaaco ratione generationis*, (eò quòd

m) in confess. Fidei Tzagazaabi apud Dam. Goez. In confess. Fidei, quam in Concilio Flor. prolatam dicunt, Vrr. L. II. c. 2. p. 397.

n) In ea quæ vocatur ቀዳሴ፡ዘእግዚእትነ: in N. T. Romæ impresso p. 171. b.

ይስሐቅ፡ ለሕገ፡ ፈጥረት፡ ወይ
ስሐቅ፡ ዘይኤዝዞ፡ ለያዕቆብ፡
አኮ፡ ከማሁ፡ ለመለኮት፡ ኢይ
ኤዝዞ፡ አብ፡ ለወልዱ፡ ለከዊኖ፡
አብ፡ ወኢየዐቢ፡ ወልድ፡ ለከዊኖ፡
33 ወልድ፡ እመንፈስ፡ ቅዱስ። ዕሩ
ይ፡ ሠለስቱ፡ አብ፡ ወወልድ፡ ወመ
ንፈስ፡ ቅዱስ፡ አሐዱ፡ አምላ
ክ፡ አሐቲ፡ ክብር፡ ወአሐቲ፡
መንግሥት፡ አሐቲ፡ ሥልጣን፡
ወእሐቲ፡ ምኩናን።

quòd genuit eum) *neque sicut Isaacus qui imperat Jacobo. Non ita se res habet in divinitate. Non imperat Pater Filio eò quòd Pater est: neque major est Filius eò quòd Filius est, quàm Spiritus Sanctus. Æqualis est Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unicus Deus, una gloria, unum Regnum, una potentia, unum imperium.*

34 Verum *de Hypostasi* seu *personâ Spiritus Sancti* à Patre & Filio realiter distinctâ, *autor Organi* ita loquitur: *Lect. Fer. I.*

ዓዲ፡ ከመ፡ ኢንበል፡ ኢሀሎ፡
መንፈስ፡ ቅዱስ፡ በአካሉ፡ ፍ
ጹም፡ ይቤሎሙ፡ ለሐዋርያት፡
35 እፌኑ፡ ለክሙ፡ ካልአ፡ ጰራቅ
ሊጦስ፡ ወበዝ፡ አእመርነ፡ ከ
መ፡ ህልወ፡ መንፈስ፡ ቅዱስ፡ ኀ
በ፡ አብ፡ ወወልድ፡ ወህልወ፡ ካ
ዕበ፡ በህላዌሁ፡ አኮ፡ ዘይትከ
ፈል፡ መንፈስ፡ ኀበ፡ ወልድ፡ ወ
ኀበ፡ ህላዌሁ፡ ካዕበ፡ አላ፡ ፩
ውእቱ፡ ህልዉ፡ በህላዌሁ፡ ወ
ህልዉ፡ ኀበ፡ አብ፡ ወወልድ።

Ne verò quispiam ex supradictis inferat Spiritum Sanctum non esse perfectam & distinctam personam, ideò dixit Christus Apostolis: mittam vobis alium Paracletum. *Vnde cognoscimus Spiritum Sanctum existere simul cum Patre & Filio, & simul etiam in propriâ subsistentiâ (seu persona.) Non quod Spiritus partim in Filio, partim in propria persona sit, sed unus & idem est, & existens in personâ propriâ & existens cum Patre & Filio.*

36 Gregorius interrogatus, *an eadem, eaque constans omnium Doctorum Æthiopiæ mens esset?* affirmavit. Institi, *cur ergo negarent Spiritum Sanctum à Filio procedere, quandoquidem*
37 *assererent, eum æqualiter Spiritum esse Patris ac Filii?* Petebat, *ut sibi prius explicarem, quid hoc esset,* A PATRE PROCEDERE, *tunc se causam negationis dicturum: se uti S. Scripturæ verbis:*

ዘይወጽእ፡ እምኀበ፡ አብ፡
ወይነሥእ፡ እምወልድ፡

Qui egreditur à Patre, & sumit de Filio: - - - - *nec ultra rimari;* *Joh. 15, 26. & 16, 14.*

38 *non enim nobis licere in abstrusissimis S. S. Trinitatis mysteriis per consequentias, ut vocant, argumentari, sed ipsissimis scripturæ verbis inhærendum esse. Cogitarem ipse, quid secutu-*
39 *rum esset, si ab unitate & æqualitate essentiæ argumentari vellemus ad characteristicas personarum proprietates. Vt si quis dicere velit,* Christum esse Filium Spiritus S. quòd Spi-

 ritus

ritus Sanctus unus & coæternus sit cum Patre Deus. *Tale* 40
argumentum fortaſſis in cerebro ſuo habuiſſe Tzagazaabum popularem ſuum malè ſanum, cùm ſcriberet: Chriſtum eſſe Filium ſui, & principium ſui, (h.e. ſemet genuiſſe) *ideò quòd* ὁμοούσιος *ſit Patri, cujus Filius ſit.* Obiter notandum, Æthio- 41
pes pro voce ወጽአ፡ *Egreſſus eſt, proceſſit*, communiter, & quidem in tempore præterito, uti voce ሠረጸ፡ quod propriè eſt *progerminavit, ortus eſt, propullulavit.* Sic enim Clau- 42
dius in confeſſione ſuâ:

ነአምን፡በመንፈስ፡ቅዱስ፡ እግዚእ፡ማሕየዊ፡ዘሠረጸ፡ እምአብ።	*Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui proceſſit vel ortus eſt à Patre.*

Nunquam addunt *à Filio*, quamvis in Liturgiâ Æthiopum 43
Romæ impreſsâ, & confeſſione Tzagazaabi legatur ዘሠረጸ፡ እምአብ፡ወወልድ፡ *Qui progerminavit vel proceſſit à Patre & Filio.* Iſta enim verba ወወልድ፡ *& Filio* aliunde inſerta eſſe antehac monuimus.

Pergimus ad Sacramenta, quorum neque commune 44
nomen, neque numerum habent. Confirmationem & ex-
B.T.1,37. tremam unctionem planè ignorant. *Myſterii* vocabulo (ምስጢር፡) utuntur, quotiescunque arcanum participationis corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti innuere volunt. Aliàs non 45
neceſſarium putant, ut σφραγῖδες τῆς πίστεως *ſigilla fidei* alio quodam communi nomine, quod ſcriptura ignoret, complectamur: aut de numero multùm diſputemus. *Vti ſe Baptiſmo* (inquiebat Gregorius) *ſecundùm Chriſti inſtitutum & ceremoniis ab Eccleſia antiquitus receptis.* Sed Patres Societatis 46
retulerunt, baptizandi ritus apud Habeſſinos tam depravatos fuiſſe, ut coacti fuerint, pleroſque mortales ſub conditione rebaptizare, de quo cap. VII. pluribus agemus.

Communionem ſacram ſub *utrâque ſpecie*, ut vulgò 47
loquuntur, cunctis indifferenter tam laicis quàm clericis (ut in omnibus Orientis Eccleſiis moris eſt) adminiſtrant; nec quidquam animos eorum magis alienavit, quàm quòd
3,13,24. Laici à Latinis calice privarentur, ut ſuo loco dicetur. Inter- 48
rogatus Gregorius quid cenſeret *de reali præſentiâ* corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœnâ? ſe eam agnoſcere reſpondit. Mox addidit, ut ſolebat, quoties de difficilioribus & abſtruſioribus rebus ſermo eſſet, ረቂቅ፡ነገር፡ውእቱ፡ h. e. *ſubtilis res*
p.158.b. *eſt:* ምስጢር፡ውእቱ፡ *Myſterium eſt.* Cùm proferrem illi verba 49
Liturgiarum:

ገበር፡

ግበር፡እዴከ፡ዲበ፡ዛቲ፡ጸ	*Domine impone nunc manum tuam*
ሕል፡ ይእዜኒ ፡ ባርካ ፡ ወቀ	*super hanc patinam: benedic eam, & *
ድሳ፡ ወአንጽሓ፡ ወይግበ	*sanctifica eam, & purifica eam, ut fa-*
ሩ፡በውስቴታ፡ሥጋከ፡ቅዱስ።	*ciant in ea corpus tuum sanctum.*

Item:

50 ግበር፡እዴከ፡ላዕለ፡ዛቲ፡	*Impone manum tuam super hunc ca-*
ጽዋዕ፡ ወይእዜኒ፡ ባርካ፡	*licem, & nunc benedic eum, & san-*
ወቀድሳ፡ወአንጽሓ፡ወይግ	*ctifica eum, & purifica eũ, ut faciant*
በሩ፡በውስቴታ፡ደመከ፡ቅ	*in eo sanguinem tuum sanctum.*
ዱስ።	

Et mox:

51 ግበር፡እዴከ፡ላዕለ፡ዛቲ፡ዕ	*Impone manum tuam super hoc coch-*
ርፌ፡መስቀል፡ለሠሪዐ፡ሥ	*lear crucis, ad parandum corpus &*
ጋሁ፡ወደሙ፡ለዋሕድ፡ወልድ	*sanguinem unici Filii tui, Domini no-*
ከ፡እግዚእነ፡ወአምላክነ።	*stri & Dei nostri.*

Et alibi:

52 ሚጦ፡ለዝንቱ፡ኅብስት፡ከ	Converte *hunc panem, ut fiat cor-*
መ፡ይኩን፡ሥጋከ፡ንጹሐ፡ዘ	*pus tuum purum, quod conjunctum*
ትደመረ፡ምስለ፡ዝንቱ፡ጽ	*est cum hoc calice sanguinis tui pre-*
ዋዕ፡ደምከ፡ክቡር።	*tiosi.*

53 Et ex oratione Eucharisticâ, quæ CCCXVIII. Orthodoxorum titulum præ se fert, sequentia:

መንፈስ፡ቅዱስ፡ይረድ፡ወይምጻ	*Spiritus Sanctus descendat, &*
እ፡ወያንጸብርቅ፡ዲበ፡ዝንቱ፡ኅብ	*veniat, & splendeat super hoc*
ስት፡ ወይኩን፡ሥጋ ፡ክርስቶስ፡አ	*pane, ut fiat corpus Christi Dei*
ምላክነ፡ ወይትወለጥ፡ ጣዕሙ፡ለ	*nostri: &* immutetur *sapor hu-*
ዝንቱ፡ጽዋዕ፡ ወይኩን፡ደመ፡ክርስ	*jus calicis, ut fiat sanguis Chri-*
ቶስ፡አምላክነ።	*sti Dei nostri.*

54 Simulque peterem expositionem verborum መይጦ፡ወተወ ወለጠ፡ *converti & immutari*, atque interrogarem: *an non putaret substantiam panis & vini in substantiam corpo-*
55 *ris & sanguinis Christi converti & immutari?* Respondit: *talem transsubstantiationem Habessinis esse ignotam. Cives suos tam scrupulosos non esse: neque tam spinosas quæstiones movere; sibi tamen videri panem & vinum vulgare converti in mysteriosum & repræsentativum corporis & sanguinis Jesu Christi, adeoque è profano in sacrum mutari, ut verum corpus & sanguinem Christi communicantibus repræ-*
56 *sentet.* Tellezius sanè fatetur: *se de consecratione illorum valde dubitare; illos enim super corpore Christi dicere solere:* Hic panis est corpus meum, *& super sanguine:* Hic calix est meus

meus ſanguis. *Quæ verba validam conſecrandi vim non habent.* Etenim Doctores Eccleſiæ Romanæ ſunt in eâ ſententiâ, *eum qui talia verba dixerit, nihil efficere; ſola enim iſta verba:* HOC EST CORPUS MEUM, *operari veram transſubſtantiationem.* Quæ cum ita ſint, nemo facile dixerit, Habeſſinos habere & agnoſcere transſubſtantiationem, præſertim cum divinis honoribus, ſcilicet ex illa ſequentibus, ſacra ſymbola non proſequantur.

De ſtatu animarum poſt mortem (40) diverſæ Habeſſi- 58
norum ſunt ſententiæ; ut ferè libertatem ſentiendi omnibus concedunt, in iis doctrinæ partibus, quæ ſalutem æternam directò non concernunt. Quare mirum non eſt, tam varias 59
privatorum opiniones, tanquam publicas Habesſinorũ ſententias, à Doctoribus noſtris referri. *Alii enim* (narrante Gre- 60
gorio) *piè defunctorum animabus* ANTE RESURRECTIONEM CORPORUM *beatisſimam Dei viſionem non contingere* putant, quæ etiã multorum veterum Latinorum (41) eſt opinio; tanquam in loco quodam tertio animæ corpora ſua exſpectarent: aut vagæ in nullo certo loco manerent: alii verò S. 61
Scripturæ autoritate convicti, *duas tantùm manſiones animarum agnoſcunt*, nempe *cœlum* & *infernum*, *nihil damnationis iis eſſe* cenſentes, *qui in Chriſto Jeſu ſunt, & in fide illius diem ſupremum obeunt*; exemplo pœnitentis latronis, & ver- 62
bis Chriſti freti, qui (*ſecundùm verſionẽ Æthiopum*) dixit ei:

አማን፡እብለከ፡እሙን፡ፈድፋደ፡ ከመ፡ዮም፡ትሄሉ፡ምስሌየ፡ውስ ተ፡ገነት።	*Amen dico tibi, crede firmiter, quòd hodie futurus ſis mecum in Paradiſo.*

Igitur in Chriſto pie obdormientes non deterioris conditio- 63
nis fore putant hoc latrone, qui in articulo mortis pœnitentiâ per fidem actâ, ſervatus fuit, nullâ ſatisfactione pro latrociniis ſuis præſtitâ. Animam autem humanam non creari, 64
hoc argumento aſſerunt, quod Deus ſexto die perfecerit totum opus creationis. Nihilominus naturâ ſuâ immortalem haberi, quia ipſe Deus illam in primâ creatione homini inſpiraverit. Perabſurdum verò eſſe ſi quis Deum aſtrictum dicat pro adulterinis & inceſtuoſis partubus animas quotidie novas creare. Quæ aliàs de duplici hominis anima ſentiant,
4, 2, 23. infrà exponemus.

Communior tamen inter eos videtur prior opinio; quia 65
N.T.p.160. certo modo pro mortuis orant, ut:
3.

ተዘከ

ተዘከሮሙ፡እግዚኦ፡ለነፍሳ ተ፡አግብርቲከ፡አቡነ፡አባ፡ማ ቴዎስ፡ወካልአኒሁ፡አበዊነ፡ አባ፡ሰላማ፡ወአባ፡ያዕቆብ።	*Recordare Domine animarum servo- rum tuorum, Patris nostri* Abba Mat- thæi & *reliquorum Patrum nostro- rum,* Abba Salamæ & Abba Jacobi.

Et paulo post:

ተዘከሮሙ፡እግዚኦ፡ለነገሥ ተ፡ኢትዮጵያ፡አብርሃ፡ወአጽ ብሐ፡ከሌብ፡ገብረ፡መስቀል።	*Recordare Domine Regum Æthio- piæ,* Abrehæ & Atzbehæ, *Kalebi & Gebra-Meskali, &c.*

66 Deinde addunt:

ፈትሖሙ፡እግዚኦ፡ለአበዊነ፡ አባ፡እንጦንስ፡ወአባ፡መቃር ስ፡ተዘከራ፡እግዚኦ፡ለነፍሰ፡ ገብርከ፡አቡነ፡ተክለ፡ሀይማ ኖት፡ምስለ፡ኵሎሙ፡ደቂቁ።	*Solve Domine Patres nostros,* Abba Antonium & Abba Macarium. *Recordare Domine animæ servi tui Patris nostri* , Tecla Hajmanoti *cum omnibus sodalibus ejus.*

67 Ex quibus argutari quis Posset, Habessinos *purgatorium* (42)
admittere. Sed id constanter negabat Gregorius. Et P.N. *Go-* L. 1. 19.
dignus fatetur: *nulla pro mortuis apud Habessinos sacra fieri.* p. 124.
68 Idem dicit *P. Tellezius:* eos tamen, tanquam sui parum com- L. 1. c. 16.
potes irridet; *nam orare pro mortuis, & eleemosynas paupe-* p. 43.
ribus distribuere, nihil aliud esse, quàm purgatorium *asserere.*
69 Nec ego video, quomodo conciliare velint, orare pro requie
animarum beatarum: & tamen alibi earundem intercessionē
70 efflagitare. Illi verò talibus inductionibus parum permoti,
pia se vota concipere, ajunt; *& prosperam defunctorum me-
moriam celebrare: neque à majoribus suis antiquitus tradi-*
71 *ta ulterius scrutari.* Gregorius addebat: *Multas Chri-
stianorum orationes ita conceptas esse, ut peteretur id, quod*
72 *jam extaret vel fieret. Ipsam orationem Dominicam conti-
nere ejusmodi preces; malè utique inferri, nomen Dei non san-
ctificari, nec voluntatem ejus in cælo & terra fieri, propterea
quod nos istud quotidie precaremur: adhæc, omnes panem
quotidianum petere, cùm tamen plurimi eô in multos annos*
73 *abundent.* Audiverat fortè inter nostrates defunctis optari:
*ut Deus corpori inhumato tranquillam quietem, & tandem
lætam resurrectionem concedere vellet. Itáne & vos pro de-
functis vota suscipitis* , inquit? *creditisne cadavera mor-
tuorum fortassis à spiritualibus malis vexari? aut precibus*
74 *vestris felicem resurrectionem obtineri posse.* Tam ægrè
ferebat hanc de purgatorio suspicionem, ut diceret: *non-
ne injuria fieret tam sanctis Regibus & Patribus, si memo-*

riam hanc animarum eò interpretari vellemus, quasi tot
ſecula in purgatorio torquerentur, ut indefeſſis noſtris preci-
bus poſt tantum temporis ſpatium liberandi eſſent. Ete- 75
nim Reges illi ac Patres, quos paulo ante nominavimus,
Habeſſinis utique viri innocentiſſimi, jam ante mille & am-
plius annos fato functi ſunt. Sive igitur in Paradiſo ſint: ſive
reſurrectionem corporum extra illum expectent, utroque
caſu ſupervacaneæ videntur ejusmodi preces. Imo ſi de ſta-
tu felici piè defunctorum dubitarent, potiùs pro illis qui mi-
nùs ſanctè vixerunt, quàm pro ſanctiſſimis vota concipien-
da eſſent. Igitur conjecturâ magis, quàm idoneâ autorita- 76
te à multis prodita fuit Habesſinorum de purgatorio ſenten-
tia, cujus etiam nomen ignorant; adeò ut P. *Jacobus Wem-*
mers Carmelita, in Lexico ſuo Æthiopico quoddam fingere
neceſſe habuerit, መንጽሒ: ኃጢአት: *purgatorem peccati* vocan-
do. Sed ſciendum eſt *vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem* fuiſſe, 77
Sanctorum Martyrum nomina ex *diptychis* prælegere; (43) id
enim ſanctisſimæ invictisſimorum Chriſti teſtium memoriȩ
debebatur. Quod ſequens ætas aliò traxit, quaſi noſtrâ in- 78
tercesſione opus haberent: rurſus alii, quaſi illorum inter-
cesſione carere non poſſemus, ſanctos cœlites tanquam præ-
ſentes & audientes invocaverunt. Scilicet oratores Chriſtia- 79
ni, & homiliarum Scriptores priſci, Rhetoricâ arte per pro-
ſopopœiam quandam alloquebantur beatas illas animas, &
tanquã reſpondentes introducebãt; (44) unde forte mos quo- 80
rundam inolevit, eadem illis ac Deo ipſi vota nuncupandi,
eosque templis & altaribus, aliisque divinis honoribus co-
lendi. Quod quidem Habesſini non faciunt; nam quam- 81
quam dies feſtos in honorem illorum celebrent, eos tamen
non በዓላት: *Solennia*, ſed ተዝካራት: *Recordationes* vocant. 82
Interim tamen invocant, ignari, quo pacto id audire posſint:
eorumque intercesſiones petunt, præſertim ſanctisſimæ Ma-
riæ virginis, quam tantô proſequuntur affectu (45), ut parum
illis videatur, quidquid Eccleſia Romana in ejus honorem
excogitavit; tantùm nullas illi ſtatuas erigunt, picturis con-
tenti. Cùm in Romanæ religionis homines ſævirent, atque 83
L.VI.c.26. verbera & ſaxa ingererent, exclamabant, referente Tellezio:

& 27. Mata, mata! Todo o que nam	*Occide, occide! quicunque non*
for inimigo de Maria (tal he	*inimicus eſt Mariæ,* (tanta illo-
ſua perverſidade) tome pe-	rum eſt perverſitas) *lapides*

tollat

dras & apedreje este seu in imigo. | *tollat & hunc inimicum ejus lapidet.*

84 Quasi vero Latini eam non plus satis colerent.

85 Sed & *Angelos* invocare solent, speciosiore fortassis prætextu; quòd & piis adsint, & eorum preces audiant. Novem eorum ordines (46) Æthiopes recensent, quos desumunt ex cognomentis & epithetis eorum in S. Scriptura repertis; ut: Coloss. 1, 16.

መላእክት: *Angeli* simpliciter ita dicti, qui & መናፍስት: *Spiritus.*
ሊቃነ:መላእክት: *Archangeli.*
አጋእዝት: *Domini*, κυριότητες.
ስልጣናት: *Magistratus*, ἀρχαί.
መናብርት: *Throni*, θρόνοι.
ኃይላት: *Potestates*, ἐξουσίαι.
መኳንንት: *Principes.*
ኪሩቤል: *Cherubini.*
ሱራፌል: *Seraphini.*

Quidam plura cognomenta illis tribuunt, veluti ሊቃናት: *Primores:* vel አርባብ: & አርባበ:እሳት: q. d. *Myriades igneæ.*

86 Sunt qui dicant *decem ordines* à primordio fuisse, sed primum eorum, cujus caput fuerit ሳጣናኤል: *Satanaël*, cum sociis à Deo defecisse; in ejus locum beatos aliquando successuros: atque hanc infensissimi Cacodæmonum contra
87 homines odii esse causam. In quibus autem Fidei capitibus ab Ecclesiâ Latinâ vel Græcâ dissentiant, peculiari tractatione 3, 8. & seq.
88 dicemus. Hic tantùm addemus *Catecheticam* puerorum & Neophytorum *institutionem*, in quantum Gregorius meminit, & Æthiopicè suâ manu descriptam reliquit:

89 አርእስተ:ሃይማኖት:ዘኢትዮጵያ:ዝውእቱ:በኅፁር:ዘይሜህረ:ለሕፃናት:ወለንኡሳን:ክርስቲያን:ጽሑፋት:በስፋሕ:ሀሉ:በኢትዮጵያ:ወዝውእቱ: | *Capita Fidei Æthiopicæ breviter descripta, quæ docere solent pueros & Neophytos. Extant autem plenius descripta in Æthiopiâ, & sunt sequentia:*

90 በመኑ:ታመልክ: | Quem Deum colis?

በአብ:ወወልድ:ወመንፈስ:ቅዱስ:፫ አካላት:ወ፩ መለኮት:: | *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; tres personas, unam verò Deitatem.*

91 እም፫ አካላት:መኑ:ዘይቀድም:አው:ዘይደኀር:መኑ:ዘየዐቢ:አው:ዘይንእስ:: | Ex istis tribus personis, quænam prima est, & quænam ultima? quænam major? quæve minor?

አልቦ፡ ዘይቀድም፡ ወኢዘይደኅር። አልቦ፡ ዘየዐቢ፡ ወኢዘየንእስ፡ አላ፡ ዕሩያን፡ እሙንቱ፡ በኵሉ።	*Nulla prima est, & nulla ultima. Nulla major & nulla minor est: sed æquales sunt in omnibus.*
እስፍንቱ፡ ገጽ።	Quot personæ? 92
፫	*Tres.*
እስፍንቱ፡ እግዚአብሔር፡	Quot Dii?
፩	*Vnus.*
እስፍንቱ፡ መለኮት፡	Quot Deitates?
አሐዱ፡	*Vna.*
እስፍንንቱ፡ መንግሥት፡	Quot Regna?
፩	*Vnum.*
እስፍንቱ፡ ሥልጣን፡	Quot Potentiæ? 93
፩	*Vna.*
እስፍንቱ፡ ፈጣሪ፡	Quot Creatores?
አሐዱ፡	*Vnus.*
እስፍንቱ፡ ፈቃድ፡	Quot Voluntates?
፩	*Vna.*
ቦኑ፡ ዘመን፡ በእግዚአብሔር፡	Daturne tempus in Deo? 94
አልቦ፡ አላ፡ ነበረ፡ እምቅድመ፡ ዓለም፡ ወይሄሉ፡ ለዓለመ፡ ዓለም።	*Non: sed est ab æterno, & erit in secula seculorum.*
አይቴ፡ ሀሎ፡ እግዚአብሔር።	Vbinam est Deus?
በኵሉ፡ ወበውስተ፡ ኵሉ።	*Vbique & in omnibus.*
አብ፡ እግዚአብሔርኑ፡	Estne Pater Deus? 95
እወ፡	*Maximè.*
ወልድ፡ እግዚአብሔርኑ፡	Filius estne Deus?
እወ፡	*Maximè.*
መንፈስ፡ ቅዱስ፡ እግዚአብሔርኑ፡	Spiritus Sanctus estne Deus?
እወ።	*Maximè.*
እንከሰ፡ ትብል፡ ፫፡ እግዚአብሔር።	Ergo dicis esse tres Deos? 96
አኮ፡ ዘእብል፡ ፫ እግዚአብሔር፡ ዘእንበለ፡ ፫ አካላት፡ ወአሐዱ፡ እግዚአብሔር፡ ባሕቲቱ፡	*Non dico tres Deos, sed tres personas & unum Deum tantummodò.*
መኑ፡ ወለደ፡ ለወልድ።	Quis genuit Filium? 97
እግዚአብሔር፡ አብ፡ መንፈስ፡ ቅዱስሰ፡ እመ አብ፡ ይሠርጽ፡ ወእመ ወልድ፡ ይነሥእ።	*Deus Pater; Spiritus Sanctus autem à Patre procedit, & à filio sumit.*
እስኩ፡ ንግረኒ፡ አሐደ፡ ምሳሌ፡ ከመ፡ ይትከሀል፡ ይትረከቡ፡ ፫ አካል፡ በአሐዱ፡ መለኮት።	Quæso narra mihi quandam similitudinem, (47) quòd possint dari tres personæ in unâ Deitate? 98

ጸሐይ፡ እንዘ፡ አሐዱ፡ ውእቱ፡
ይትረከቡ፡ ቦቱ፡ ፫፡ ነገራት፡
ክበቡ፡ብርሃኑ፡ወሙቁ፡ከማሁ፡
ለአሐዱ፡እግዚአብሔር፡ንአም
ን፡ከመ፡ይሄሉ፡፫አካላት፡ዘው
እቱ፡አብ፡ወወልድ፡ወመንፈስ፡
ቅዱስ፡ዕሩያን፡በኵሉ።
99 እም፫ አካላት፡መኑ፡ተወልደ፡
ለቤዛነ፡፡
ዳግማዊ፡ አካል፡ ዘውእቱ፡ ወል
ደ፡እግዚአብሔር፡ እግዚእነ፡
ኢየሱስ፡ክርስቶስ፤
100 እስፍንቱ፡ ልደቱ፡፡
ክልኤቱ፡፡
እለ፡መኑ፡፡
ቀዳሚ፡ ልደቱ፡እም አብ፡ዘእ
ንበለ፡እም፤ወዳግማዊ፡እም
ድንግል፡ማርያም፡እግዚእትነ፡
ዘእንበለ፡አብ፡በዘመን፡እን
ዘ፡ ይእቲ፡ ተተርፉ፡ ወትረ፡ በድ
ንግልና፡፡
101 ኢየሱስ፡ክርስቶስ፡እግዚእነ፡
ሰብእኑ፡ወሚመ፡አምላክ፡፡
አምላክ፡ወሰብእ፡ኅቡረ፡በ
አሐዱ፡አካል፡እንበለ፡ፍልጠ
ት፡ወኢውላጤ፡ዘእንበለ፡ትድ
መርት፡ወኢቱስሕት፡፡
102 በዘከመዝ፡ጾታ፡የአምኑ፡ወይ
ሜህሩ፡ኵሉ፡ነገራት፡ሃይማ
ኖት፡ዘውእቱ፡ጥምቀቱ፡ጾመ፡
ሕማማቲሁ፡ወሞቱ፡ትንሣኤሁ
፡ወዕርገቱ፡ውስተ፡ሰማያት፡
ወፈንወቱ፡ለመንፈስ፡ቅዱስ፡
ለሐዋርያት፤ወከመ፡ይመጽእ፡
103 ዳግመ፡በስብሐት፡ለኰንኖ፡
ሕያዋን፡ወሙታን፤ወከመ፡ሀሎ፡
ኢየሱስ፡ክርስቶስ፡በቅዱስ፡
ቍርባን፤ወከመ፡ይትነሥኡ፡ም
104 ውታን፡በደኃሪት፡ዕለት፡ወከመ፡
ይወርሱ፡ጻድቃን፡መንግሥተ፡
ሰማያት፡ወኃጥአን፡ኵነኔ፡ው
ስተ፡ደይን፡፡ ወየአምኑ፡ዓዲ፡
105 በቤተ፡ክርስቲያን፡እንተ፡ላዕ
ለ፡ኵሉ፡ጉባኤ፡በከመ፡ሀሎ፡
ጽሑፍ፡ውስተ፡ጸሎተ፡ሃይማ
ኖት፡ዘ፫፻፲፰ ርቱዓነ፡ሃይ
ማኖት፡በጉባኤ፡ኒቅያ፡፡

Sol, quamvis unus tantùm sit, in eô tamē reperiuntur tres res: rotunditas, lux & calor; ita quoque in uno Deo credimus, quòd existunt tres personæ, nempe Pater & Filius & Spiritus Sanctꝰ, æquales in omnibus.

Ex tribus illis personis quænam nata est pro redemtione nostra?

Secunda persona, nempe Filius Dei Dominus noster Iesus Christus.

Quot sunt nativitates ejus?

Duæ.

Quænam?

Prima nativitas ejus ex Patre est, sine matre & sine tempore: secunda verò ex Virgine Mariâ Dominâ nostrâ, sine Patre, in tempore; illâ semper in virginitate manente.

Jesus Christus Dominus noster estne homo an verò Deus?

Deꝰ & homo simul in unâ personâ, sine separatione & sine permutatione, & sine confusione aut commixtione.

Hoc pacto credunt & docent (in Habessiniâ) *omnes res fidei, videlicet* de Baptismo ejus, jejunio & passionibus ejus, de morte, resurrectione, & ascensione ejus in cœlos, & missione Spiritus S. super Apostolos. *Et quòd rediturus sit in gloria ad judicandum vivos & mortuos. Et quòd Iesus Christus præsens est in S. Cœnâ. Et quòd mortui resurgent in novissimo die. Et quòd justi velut hæreditate acquirent regnum cœlorum: peccatores verò condemnationem in inferno. Credunt etiam* Ecclesiam Catholicam *sicut scriptum extat in Symbolo Fidei* CCCXVIII. *Orthodoxorum congregatorum in Concilio Nicæno.*

Plura nunc non addimus, donec plures eosque publicè 96
probatos libros nanciſcamur; ne fortè privatorum ſententias, quòd multi faciunt, imprudenter toti Eccleſiæ tribuam⁹. Hæc ſufficiant ad incitandos lectores; Europæos quidem, ut conquirant: Habeſſinos verò, (ſi fortè cura noſtra ad illos pervenerit) ut ſuppeditent authentica documenta, è quibus de verâ & fundamentali Æthiopicæ Eccleſiæ doctrinâ plenè conſtare poſſit.

CAP. VI.

De ritibus & cerimoniis Eccleſiæ Æthiopicæ, nec non de templis Habeſſinorum.

1. *Ritus ſacri* 2. ſæpe motus in Eccleſiâ dederunt; 3. etiam exoriente illâ. 5. Apoſtolorum prudens decretum. 6. Pauli συμβίβασις 7. illo tempore neceſſaria. 9. *Ritus Judaici* 10. apud Chriſtianos retenti. 12. *Papa Romanus* multos: 13. *Alexandrinus Patriarcha* nullos novos ritus reperit. 14. *Habeſſini* ſimplices 15. vetuſtiſſimas cerimonias retinuerunt. 17. *Templa* eorum 18. obſcura, 19. Synagogis ſimilia. 20. Illorum partes. 21. Θυσιαστήριον, *Chorus*. 22. Eccleſiaſticorum olim ſolummodo erat. 24. Magnates in Æthiopiâ *Diaconi* creantur. 25. *Ædicula* pro Epiſcopo. 26. Stant in templis, *cruciculis* innixi. 27. In honore habent illa. 29. *Pictas* tantùm *imagines* admittunt. 30. *Cruce* ſignant ſe. 31. *Baptiſmus adultorum* 32. certis ritibus: 33. Vnctione & multis precibus peragitur. 34. Suſceptores unde dicti? 35. Veterum ritus. 36. *Infantibus* baptizatis 27. Euchariſtia datur; 38. more pervetuſto. 39. *Formulæ* quorundam Habeſſinorum ineptæ, 40. Patres ad iterandum baptiſmum impulerunt. 41. Nullo *ſtigmate* notantur Æthiopes. 42. Vnde hæc relatio? 43. *Anniverſarii lavacri* 44. mos 45. verum baptiſmum non facit. 46. Ejus abuſus Alvarezii diverſa relatio. 47. *Iteratus baptiſmus*, de quo Tellezius. 48. Fortaſſis ex ignorantia ſacerdotum. 49. *Miſerrimus* Æthiopiæ *ſtatus* Eccleſiaſticus. 50. Ejus cauſæ. 51. Exemplum ſimile in Latinâ Eccleſiâ. 52. *Confeſſio* generalis 53. trium peccatorum. 54. *Abſolutio* 55. dolorifica. 56. Abiegatus confeſſione manifeſtatus. 57. Ante 25. annum innocentes ſe putant. 58. *Conciones* nullas habent. 59. Gregorius de iis ſententia. 60. *Homilias* legunt, & Pericopas ex Novo Teſtamento. 61. *Sacra vaſa* Euchariſtiæ. 62. Cur *Lapis ſacratus* Romanis, ታቦት፡ *arca* vocetur Habeſſinis? 63. Diſſerit autor de veterum Chriſtianorum cultu in *cœmiteriis*: 64. & *arcis* pro *aris* adhibitis, 65. in quibus martyrum *oſſa*, 66. de loco in locum portabantur. 67. Pacatâ Eccleſia foris portatæ, 68. & formam & nomen (exceptis Habeſſinicis) amiſerunt. 69. *Menſas* oportebat eſſe ſacras. 70. Aliàs Græci ἀντιμένσια. 71. Latini *portatile* uſurpant. 72. Hoc oportet eſſe ſaxeum. 73. Conjecturam ſuam firmat autor marmoreo monumento. 74. Diſſentit ab Aringho, qui arcam pro *ſigmate* habuit. 75. *Thuani*: 76. *Gabr. Biel* teſtimonium: 77. & Tellezii, ubi de Arca lignea in *Baſilicâ Lateranenſi*. 78. Vnde *reliquiæ* in altaribus. 79. Reliqua ſacra vaſa. 80. *Panis* fermentatus. 81. *Vinum* cochleari diſtribuitur. 82. Illius defectus miris modis ſuppletur. 83. *Tempus* & *locus* S. Cœnæ: *Perſonæ*. 85. Δίπτυχα. 86. Bini in hebdomate *dies ſacri*. 87. *Campanis* carent. 88. *Muſica* inſuavis. 89. Et tamen tripudiant. 90. *Jejunia* 91. Feriæ quartæ & ſextæ. 92. Vnde originem habeant? 93. *Pentecoſtes* tempore nulla. 94. De *proteſtantium* jejuniis in Europâ. 95. *Feſta* & 96. *Faſti*. 97. *Anni* initium & 98. ratio computandi. 99. Ritus *nuptiales*. 100. *Polygamia* 101. à Patribus Soc. improbata. 102. Patruelium & ſobrinorum nuptiæ. 103. *Divortia*. 104. Ritus *ſepulturæ* 105. *ſolennis*, 106. *Regiæ*.

Ex-

1 EXpoſuimus hucusque, quid Habesſini de Deo triuno & præcipuis Fidei Chriſtianæ capitibus ſentiant. Ordo
2 nunc poſcit, ut illorum cerimonias & ſacros ritus explanemus. Quamvis enim ſalutis animarum nihil interſit, quo tempore, quóve modo ſana doctrina proponatur: modò omnia decenter & ordine fiant; ritus tamen graves ſæpe in Eccleſiâ diſceptationes, magnosque motus dederunt. Quamobrem operæ pretium nos facturos putavimus, ſi de illorum origine paulò altiùs diſſereremus.

3 Statim à primis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis circa ritus discrepantes fuerunt piorum ſententiæ. Quidam enim exiſtimabant: *ritus Judaicos, utpote à Chriſto expreſſè non abrogatos, ſimul cum doctrinâ & Sacramentis Novi Teſtamenti* *Act. 15, 1. 5.*
4 *ſalutis causâ neceſſariò obſervandos eſſe.* Alii cenſebant: *utiliter eos retineri, quamvis nulla neceſſitate cogente; cùm ad memoriam antiquæ Dei Eccleſiæ: tùm ad lucrandum animas*
5 *Judæorum.* Primam ſententiam Apoſtoli damnaverunt. De *d. c. 15, 10. & ſeq.* cœtero Apoſtolicâ prudentiâ & ſummâ moderatione uſi, differentiã fecerunt inter Judæos & Ethnicos recens converſos. Nam *proſelytis Iudæis* libertatem rituum ſuorum non modò permiſerunt, ſed ipſi Paulo ſuaſerunt, *ut accommodaret ſeſe* *Act. 21, 20. & ſeq.* *tot myriadibus Iudæorum credentium, qui Zelotæ legis erant, & Paulum incuſabant, tanquam defectionem à Lege doceret: ac prohiberet infantes circumcidi: neque ſecundùm mores Iu-*
6 *daicos viveret.* Paruit Paulus & purificavit ſeſe cum ſociis, caput raſit, & ſic templum cum iis ingreſſus eſt, ac oblationem
7 obtulit pro unoquoq; illorum. Imò, quod hodie crimen nefandum eſſet, Timotheum circumcidit; neceſſitate illorum *Act. 16, 3.* temporum inductus. Aliàs circumciſionem, ſi intentione *Gal. 5, 2.* Judaicâ fieret, ipſe damnavit. Ita actio per ſe indifferens ra-
8 tione & intentione agentis bona vel mala effici poteſt. Tantùm quid *gentibus* Chriſti fidem amplexis faciendum eſſet, Apoſtoli deliberaverunt. Eos autem ad obſervationem Legis Moſaicæ obligare noluerunt, ſed Legatione ad illos cum reſcripto miſsâ, juſſerunt tantummodò abſtinere ab iis reb⁹, quæ non ſolùm Judæos ab Evangelio avertere: ſed etiam hujus generis proſelytos vehementer offendere: atque mutuam charitatem & amicitiam in quotidiano convictu & converſatione tollere potuiſſent; neque enim communi menſâ utebantur Judæi cum illis, qui *ſacrificata Idolis, ſuffocata*, vel

ſan-

ſanguinem comedebant(48). Ex illo tempore apud plerosq; 9
valuerunt nonnulli ritus Judaici ceu adiaphori, qui non pu-
gnarent cum pietate & doctrinâ Chriſtianâ; donec ab Ec-
cleſiâ ſenſim abrogarentur, vel in deſuetudinem venirent.
Nullamque aliam originem habuerunt antiquiſſima Chri- 10
ſtianorum inſtituta, veluti: *ſtructura templorum: immerſio
totius corporis in baptiſmate: bina hebdomatis jejunia diur-
na: Feſta* & ſimilia; (49) ut vanum ſæpe ſit cauſas eorum ali-
unde accerſere. Cæterum cerimoniæ turbidis Eccleſiæ tem- 11
poribus paucæ: tranquillis, immenſùm crevêre: & deteriore
paulatim Eccleſiæ ſtatu, plurimi ritus; ut Auguſtinus o jam ſuo
ævo nimis doleat, *quòd ſaluberrima divinorum librorum
præcepta minus curentur, quàm humana ejuſcemodi com-
menta.* Eccleſia Romana quanto opulentior & potentior 12
cæteris, tantò magis ad pompam & ſplendorem omnia com-
poſuit; cùm *Pontifex Romanus* ſolus arbiter rerum, quæ
commoda vel incommoda viderentur, pro arbitrio ſtatue-
ret vel abrogaret. At *Patriarcha Alexandrinus*, cui Æthio- 13
pia in ſacris paret, inter infauſtas Melchitarum & Jacobita-
rum decertationes, & Saracenorum perſecutiones, rebus
ubique afflictis, ſatis habuit ſedem ſuam tueri; nedum ille de
novis ritibus rogandis cogitaret. Nec Habeſſini præter ſo- 14
litam *ſimplicitatem, quæ optima antiqui moris cuſtos*, injuſſu
illius quicquam immutare aut abrogare auſi fuerunt. Vi- 15
deas igitur vetuſtiſſimas priſcæ Eccleſiæ cerimonias alibi ob-
ſoletas, & fere nunc ignotas, hìc adhuc durare. Multa in *Ba-
ptiſmo, Euchariſtiâ, Agapis, Jejuniis, Sabbatis* & *Feſtis* uſur-
pant, quæ ab hodiernis Latinæ Eccleſiæ moribus aliena ſunt;
ut penitiùs conſideratis Habeſſinorum ritibus, imaginem 16
quandam veteris Eccleſiæ contueri te putes. Quare laborem
noſtrum non ingratum fore arbitramur lectoribus, antiqui-
tatis Eccleſiaſticæ curioſis, ſi vetera cum novis contendamus.
Sed templa eorum priùs paucis deſcribenda ſunt, quæ ſatis 17
2, 5, 10. magnifica olim fuerunt, quæ Rex *Lalibela* in vivis ſaxis ex-
cavari curavit, ut ſupra retulimus. Quædam etiam à ſequen-
tibus Regibus ædificata. *Ichnographias* nonnullorum ex iti-
c. 54. & 55. nerario Alvarezii in commentario noſtro lectori ſpectandas
dabimus (50); ſed pleraque Grainus odio Chriſtianorum 18
B.T.II, 4. vaſtavit. Superſunt adhuc *veſtigia inſignis Baſilicæ*, quam
He-

o) Epiſtolâ ſecundâ ad Januar. quæ eſt 119. c. 19. Confer etiam Epiſtolam præceden-
tem in qua de obſervatione rituum prudentiſſimè diſſerit.

Helena Davidis avia ædificavit, in qua haud perinde aurum,
argentum, & gemmæ, quàm lumen desideratum fuit; anti-
19 quâ persuasione, obscuritati nonnihil arcani inesse. *Structu-*
ra plerorumque ad veterum modum. Quippe prisci Chri-
stiani, cùm primùm facultatem nacti sunt ædes ad usum sa-
crorum publicum ædificandi, Judæos quàm gentiles imitari
satiùs rati, ad exemplum prisci templi Hierosolymitani [p], vel
Synagogarum Judaicarum eas construxere: neque templa
aut delubra, aut aliis Ethnicorum vocabulis, sed κυριακὰς *kyria-*
kas [q] i.e. *Dominicas*, quasi Domino universi dicatas, vel Εὐκτήρια
20 *Oratoria*, vel etiam *Martyria* appellaverunt. Sicuti autem
templum Judaicum amplo muro cinctum, tribus præcipuè
constabat partibus, nimirum אולם, *vestibulo spatiosissimo:*
היכל i.e. ναῷ [r] seu *æde ipsa*, in qua sacrificia fiebant: denique
דביר *Adyto*, quod vulgò *sanctum Sanctorum* vocatur: (50)
Ita & veterum ædes Dominicæ vestibulum ante fores muro
circumdatum habebant, ubi *excommunicati* & *pœnitentes*,
nec non *Catechumeni* stare tenebantur; donec aut hi in fide
Christianâ probè instructi Baptismo abluerentur: aut illi ad
21 meliorem frugem redirent. Deinde erat *ædes ipsa*; quæ in
medio habebat *penetrale* velo secretum (Græci θυσιαστήριον i.e.
Sacrificatorium nec non βῆμα, *suggestum* appellavere) quod
adytum seu *Sanctum Sanctorum* repræsentabat. Tale adhuc
ubique in Judæorum Synagogis visitur & eodem vocabulo
בימה *Bima* appellatur. At istud in extremam templi par-
tem transferre Europæis postea commodiùs visum; *Chorum*
22 nunc vocamus, cancellis ferè distinctum. Vetustæ huic for-
mæ accommodabantur antiquæ cerimoniæ; nam sicut Ju-
dæis ad fores tantùm aditus dabatur, limine verò præter Sa-
cerdotes arcebantur, ut *Tacitus* loquitur: ita hîc, non nisi ba- H.5,8,2.
ptizati in gremium quasi Ecclesiæ admissi, reliqui, haud se-
cus ac gentiles apud Judæos, foribus prohibebantur. *Ady-*
tum non nisi Ecclesiastici viri intrabant, quod adeò rigidè à
priscis observatum, ut *Ambrosius* ipsum *Imperatorem Theo-*
dosium inde exire juberet; cum contrà Ecclesia Græca id ho-
noris Imperatori suo tribueret, & munera sua ad sacram
mensam offerenti potestatem faceret in Sanctuarium ingre-
23 diendi. (51) Ad eundem modum celebriora Æthiopum tem-

 pla

p) Idem observavit Card. Bona rerum Lit. L.I. c.20. n.4.
q) Hinc Germanic. antiquum Kyrke, Belgis Kerke/ nobis hodie Kirche originem duxit.
r) Ναὸς templum Græcis, confuderunt cum voce Ναῦς, qui *Navem* reddiderunt in linguis vernaculis *La nave. La nef* de l'Eglise.

pla conſtructa: tale quoque *Sacrarium* in illis viſitur, quod
Hebraico vocabulo ሀይከል : *Heiqel* dicunt: in cujus limine
laicis ſubſiſtentibus ſacra cœna exhibetur.[s] Ne igitur *ma-* 24
gnates eorumque filii inter plebejos ſtare cogerentur, ſed
ſalvâ lege & conſuetudine *Heiqel* ſuum ingredi, atque ibi ſa-
cris myſteriis participare poſſent, novum jus commenti ſunt,
ſeque filiosque ſuos etiam impuberes & puerulos, *Diaco-*
nos vel *Subdiaconos* ordinari curaverunt, id ſolùm non ex
antiquâ ſimplicitate. Ipſi Regum filii id uſurpant, crucem
ceu inſigne Diaconatus geſtantes, quod poſtea factus Rex
retinet; idque initiò Luſitanis inſigne ſacerdotii viſum, ob
2,1,8. quod *Presbyter Johannes* jure appellaretur. *Ædicula* etiam 25
à parte Orientali templo eſt adjuncta, in quâ panis, aliaque
ad Euchariſtiam neceſſaria præparantur. Tales ædiculæ pro-
pe Dominicas olim extruebantur, in qua Epiſcopi ſe veſtie-
bant; hodie conclave eſt intra templi parietes, *Sacriſtia* vul-
gò dictum. Nulla in templis ſubſellia ſunt; neque enim ſe- 26
dere, aut in genua procumbere, ſed ſtare inter ſacra ſolent,
ſecundum veteres Canones, quos etiam Græci & Ruſſi ob-
ſervant, qui id reverentiæ loci & attentioni debitæ conveni-
entius putaverunt, quàm ſedere. Sequens ætas infirmitati
magis conſulens ſeſſionem permiſit; ne laſſitudine attentio
vinceretur. At temperamentum Habeſſini reperêre, videli-
cet cruciculas,[t] (gabalos) quibus ſtantes innituntur, easque
diſcedentes in porticu templi relinquunt. Si qui fortè im-
becilliores humi conſederint, à Diaconis inter orandum con-
ſurgere jubentur. Exclamant enim ſæpius, እለ : ትነብሩ : ተንሥኡ :
Qui ſedetis ſurgite. Vtut verò hodiè humiles atque obſcuræ 27
ſint ædes eorum ſacræ, ſtramine vel arundine plerumque te-
ctæ; hunc tamen honorem illis exhibent, ut jumentis præter-
vecti deſcendant: & ſpatio ſat longo pedibus incedant: ne-
que in illis exſpuant: neque calceati ingrediantur. *Men-* 28
ſtruatas ceu impuras, imò & conjuges poſtridie concubitus
templis abſtinere jubent. In hoc veteribus rigidiores, qui
tales de ſacrâ Synaxi tantum dehortabantur.

Nec *imagines* quidem niſi *pictæ* in ædibus ſacris appa- 29
rent; ſtatuas & ſigna Sanctorum, ſive ſculpta ſive ex ære fu-
ſa, haud ſecus ac idola abominantur;[52] forte quia & primis

Ec-

s) Non enim fas eſt ingredi ſanctuarium quam patronis eccleſiaſticis. Quòd verò Alvarez miſſam celebrans intromiſiſſet laicos, improbavit Rex Æthiopiæ. Alv. c. 90.

t) A cruce Germanorum Krüke originem habet; nam vera Crucis antiquæ figura eſt T. Nec ab Habeſſinis aliter pingitur; plura de his in Commentario.

Eccleſiæ temporibus nulla ſimulacra habebant. *Quod enim ſimulacrum Deo fingerent*, ajebant priſci, *cùm ſi rectè exiſti-* Minu. Fel.
30 *mes, homo ipſe ſit Dei ſimulacrum.* Quamobrem ſignum de Idol. van.
Servatoris crucifixi habere aut circumferre, nefas. *Nudas cruces* manibus geſtant clerici, quas obvii oſculo venerantur, eô ipſo Chriſtianos ſe eſſe profitentes. Cruce enim ſeque resque ſuas crebrò ſignant, vetuſtiſſimorum Chriſtianorum more, qui idem factitabant.

31 Nunc ad Habeſſinorum ritus ſacros pergimus; ab initiatione Chriſtianorum, i. e. *Baptiſmo*, initium facturi: miſsâ circumciſione, quam Habeſſinis morem religioſum non eſſe, ſupra docuimus. Sacerdos *adultorum Baptiſmum* 3, 1, 33.
(qui ibi converſione Ethnicorum frequens) peracturus, à lectione Pſalmi LI. orditur, & ſuffitu thure facto, nomina baptizandorum exquirit: deinde recitatis aliquot orationibus, & Diacono auditores ſæpius hortante ut orent, oleo ſacro diverſas corporis partes ungit, manumque capitibus ſingu-
32 lorum imponit. Quo facto Neophyti dextram erigunt, & occidentem reſpicientes, Satanam ceu tenebrarum Principem abjurant. Mox Orientem verſus, tanquam ad juſtitiæ ſolem converſi, erectis altè dextris, veluti ſacramentum Chriſto dicunt; & præeunte Presbytero *Symbolum Fidei Chriſtianæ* profitentur, eoque interrogante, *credere ſe* reſpondent. Poſt quæ unctio iteratur, & aliquot pericopæ, ex Evangelio Johannis, Actis Apoſtolorum & Epiſtolis Paulinis leguntur,
33 additâ Liturgiâ conſuetâ. Tandem oleum in aquam baptiſmi immiſſum, in modum crucis diffunditur: multisque precibus rurſus dictis, ſacerdos in lacum, ante fores ædis ſacræ hunc in finem cavatum, deſcendit, adductosque à Diacono ter toto corpore mergit, & *in nomine Dei Patris & Filii &*
34 *Spiritus Sancti* baptizat. Præſto ſunt viri viris, fœminæ fœminis, qui aſcendentes è flumine vel lacu juvant, & attollendo quaſi ſuſcipiunt, ideo *ſuſceptores* vel *ſuſceptrices* priſcis dicti. Sic abluti & denuò uncti, quaſi modò geniti, albâ interulâ, ad puritatem animi ſignificandam, veſtiuntur, veſteque rubicundâ, in memoriam ſalutis ſanguine Chriſti partæ, ſuperinduti, tunc primum in Eccleſiam introducuntur, ubi Chriſtianis immixti ſacræ Cœnæ participes fiunt. Diſcedentibus lac & mel datur, & manu capiti impoſitâ hâc benedictione dimittuntur: *ite in pace filii Baptiſmi.* Habeſ-

ſmi enim Chriſtianos frequenter ውሉደ:ጥምቀት: *Filios Baptiſmi* vocant. Quæ ferè omnia cum veterum ritibus conſen- 35
3. *de Coron. militis.* tiunt; *ter mergitamur,* (ait Tertullianus) *inde ſuſcepti, lactis & mellis ſocietatem deguſtamus.* Hi ritus erga adultos obſervantur.

Verùm *infantium baptizandorum* multò brevior ratio 36
eſt; maſculi tamen ante quadrageſimum: fœmellæ verò ante octogeſimum diem, etiamſi periculum mortis immineret, *Greg.* olim non baptizati fuerunt; nunc autem Baptiſmus, præſertim poſcente infantium ægritudine, maturatur. Suſceptores Presbytero interroganti pro illis ſpondent; in aquam tamen toti non merguntur, ſed eâ conſperguntur tantùm, & abluuntur: idque in limine ædis ſacræ; quaſi ante baptiſmum locus in Eccleſiâ illis non deberetur. Tandem, quia adultis, 37
ut diximus, ſtatim poſt Baptiſmum S. Cœna dabatur, infantibus, ne pejoris conditionis eſſe viderentur, antiqui è ſacro calice, cui intrita erat ſacri panis particula, in oſculum eorum guttulam inſtillaverunt; quaſi eorum eadem prorſus ac adultorum ratio eſſet. Quod in Latinâ Eccleſiâ diu obſervatum, 38
Æthiopes cum Græcis & Armeniis adhuc hodie retinent. (13) Gregorius ajebat, *extremitate digiti, ſacro vino madidi, os vel linguam infantium tantùm tingi.* Æthiopes iisdem pla-
c. 22. nè verbis nobiscum uſos, *Alvarez* diſertis verbis refert: nempe: *Baptizo te in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Nec aliud ex Liturgiis eorum cognoſcere unquam potui. Conſulat qui volet, ordinem Baptiſmi Æthiopum, in Biblio-
Tom. VI. p. 74. & col. 57 thecâ Patrum toties recusâ, impreſſum, neque ut hæreticum à quoquam damnatum.

Quo magis mira videri poſſunt, quæ Patres Societatis 39
nullam prorſus hujus Ordinis mentionem facientes, in Europam ſcripſere: *varias partim inſolitas, partim etiam ineptas & eſſentiam baptiſmi planè alterantes formulas à Clericis Habeſſinorum uſurpatas fuiſſe;* veluti: *baptizo te in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis:* vel, *baptizo te in nomine Chriſti:* vel etiam *in nomine Spiritus Sancti* tantùm: *baptizo te in aquâ Iordanis: Deus te baptizet: Deus te lavet: contingat tibi baptiſmus: benedictus ſit Pater, benedictus Filius, benedictus Spiritus Sanctus,* & ſimiles alias. Hanc ob cauſam co- 40
actos ſe fuiſſe, ajunt, ad iteratum baptiſmum, in Eccleſiâ Catholicâ aliàs, niſi ob juſtam & probè cognitam cauſam, non lici-

licitum. Tandem Habesſinos omnes promiſcuè rebapti-
zaverunt, ſub conditione tamen, ſi videlicet prior baptiſmus
non ritè fuiſſet peractus; quæ res magnam illis invidiam con-
flavit, ut ſuo loco narrabimus. 3, 13, 28.
41 Credidere & ſcripſere plerique, *ſtigmate* [u] notari Æthio-
pes poſt baptiſmum, implendis verbis Johannis Baptiſtæ:
qui poſt me venturus eſt αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ: *ille* Matth. 3, 11
vos baptizabit Spiritu Sancto & igne. Sed Gregorius nega- Luc. 3, 16.
vit: nec mentionem ejus rei faciunt Patres Societatis in ſuis
42 epiſtolis. Conſtat autem Africæ populos, tam gentiles, quàm *Scalig. de*
Muhammedanos, pueris recens natis venas temporum, quas *Em. Temp. L. VII. p. 682.*
κροταφίτιδας Græci vocant, cauterio inurere contra catarrhos;
id ab Habeſſinis nonnullis factum, ab exteris imperitis, pro
more religioſo habitum fuit; quia fortasſis audiverant, fuiſſe
aliquando tam ſtultos hæreticos, [x] qui ignis vocabulo pro-
priè: baptiſmi verò impropriè accepto, cauſticum ignis ſi-
gnum lavacro aquæ prætulerint.
43 De *anniverſario* verò *baptiſmo*, qui illis communiter
exprobratur, ſciendum eſt, Habeſſinos XI. *Ianuarii*, qui no-
bis VI. ejusdem, & Epiphaniorum ſolenne eſt, adultâ tum
apud illos æſtate, lætiſſimum, in memoriam Baptiſmi Serva-
toris, (54) (quem eo die contigiſſe cum multis veterum pro
44 certo habent [y]) feſtum celebrare. Illuceſcente die clerici læ-
to cantu ſolennitatem ordiuntur; Rex cum aulæ ſuæ primo-
ribus: Metropolita cum Clericis: nobiles & plebeji: ſenes &
juvenes in flumina vel ſtagna nudi (pauciſſimis inter præci- *Alv. c. 95.*
puos exceptis) ante ortum Solis, deſcendunt, ibique merſi-
tando ſeſe lætum diem agunt. Interſunt Presbyteri, à qui-
bus obviam venientes (uti aliàs ſemper moris) benedictionem
petere ſolent, quam illi reddunt his ferè verbis: *benedicat te
Deus*: vel *benedicat te Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus*.
45 Hinc creditum plerisque Æthiopes quotannis Baptiſmum
iterare, cùm tamen non omnes id faciant: nec alios veri Ba-
ptiſmi ritus uſurpent: nec mulieres, utpote ſolæ & remotæ,
46 ullâ benedictione fruantur. Verùm enim verò, ut magna
lætitia raròcaret petulantiâ: ita adoleſcentes laſcivire, ſalire,

 na-

u) Leonh. Rauchwolf in Itinerar. Orient. L. III. c. 17. Paulus Jov. Hiſt. L. 18. Linſchott & alii plurimi.
x) ſcil. *Seleucianos & Hermianos*, Baron. ad An. C. 170. n. XII. ex Auguſtino c. 59. & Philaſtrio c. 55. 56. 57. de Hæreſ.
y) Baron. ad An. C. 31. n. XVIII. qui allegat *Euſebium, Hieronymum, & omnes ſcriptores Eccleſiaſticos id affirmare*, ait, *uno duntaxat Epiphanio excepto*.

natare, alii alios ſubmergere, & vicinos campos vociferationibus atque clamoribus complere; ſic iis ludicrum id potiùs balneum, quàm pium Chriſtianorum Feſtum habetur. Relata à Gregorio refero. Alvarez aliter & tanquam verum baptiſmum viroſque cum fœminis promiſcuè rebaptizatos narrat. An tum temporis ita fecerint: & an Alvarezius verba baptizantis rectè intellexerit, equidem dubito. Id verò ſatis 47
L.1.c.37. mirari non poſſum, quod *Tellezius* tradit, *alio quoque tempore tam viros quàm fœminas baptiſmum multoties levi de causâ & ſæpe indecentiſſimè repetere.* Si enim iſtud in more
3,13,28. poſitum habuiſſent, utique Baſilides Rex reiterationem Baptiſmi tam acerbè exprobrare non potuiſſet Patribus Societatis. Mihi certè nihil tale lectum aliàs unquam, neque au- 48
ditum. Si tamen uspiam factum eſt; magis craſſæ imperitorum ſacerdotum inſcitiæ, ſicut illas ineptas formulas, adſcripſerim, quàm approbatæ conſuetudini.

Miſerrimus enim ſuperiori ſeculo *ſtatus* Habeſſino- 49
rum *eccleſiaſticus* vix ſatis defleri poteſt; quo tempore, continuis tùm Adelenſium, tùm Gallanorum irruptionibus, univerſus populus per rupes diſperſus, tanquam grex ovium ſine paſtore, ſine lege, & quaſi ſine Rege & Metropolitâ ageret; cùm ſacra prorſus jacerent: Doctores profugi: libri cum templis & monaſteriis exuſti. Quid mirum ignorantiam & inertiam irrepſiſſe? & indoctiores presbyteros, defectu librorum, qui nullâ typographiâ reſarciebantur, & doctorum virorum inopiâ, multa à patriis ritibus aliena, temerè uſurpaſſe. Talia contingere ſolent in magnis calamitatibus, ubi aut 50
nulli ſunt Epiſcopi: aut Principes negligenter officio ſuo funguntur: cùm de ſalute æternâ ſuorum parum ſolliciti, arbitrio privatorum, vel fato relinquunt, id quod primo loco curandum erat. Talis inertia in Græcia, fuit tempore Mauritii Imperatoris, ut nec Gregorius Græcè, nec quisquam Conſtantinopoli Latinè ſciret.[z] Sic aliquando in *Latinâ Eccle-* 51
ad A.C.912 n.8. *ſiâ* ſeculum fuit, ubi, *Baronio* teſte, *mera barbaries & ignorantia inceſſerat, nullo virtutis ſtudio artes exulabant, vitia in Eccleſiâ & Republica prævalebant.* Repertus tunc fuit ſacerdos Latinus, qui parùm Latinè, imo parùm Chriſtianè infantes *in nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta* baptizaverat, quem tamen baptiſmum *Zacharias Pontifex* ratum habuit, ob bonam baptizantis intentionem.[a]

z) Cluveri Hiſtor. Vniverſ. ſub fin. Mauritii. p. 409.
a) de conſecratione Diſt. 4. c. retulerunt. 86.

Poſt

52 Post *Baptismum*[55] *lapsos* in gratiãcum Deo & Ecclesiâ redire posse non dubitant; sed pœnitentiam ob peccata commissa agendam, eamque *confessione* significandam docent. Omnia verò & singula peccata cum omnibus circumstantiis enarrare, nec mandatum à Deo, nec necessarium esse censent. *N. God. I. 28.* Itaque generaliter duntaxat presbytero dicunt አበስነ ፡
53 አበስነ ፡ *peccavimus*, *peccavimus*. Cùm autem sacerdotes Romani instarent, ut faterentur sua peccata, *tria* solùm, si ea commisissent, prodebant: *Homicidium*, *Adulterium*, & *Furtum*. Vt plura confiterentur, ægerrimè adduci potuerunt; quia apud Æthiopes nullum est hujus secreti silentium: ut prorsus mirum sit, quòd tantum fateantur.
54 Absolvitur peccator paucissimis, simulque vite oleagineâ leviter latus feritur, quasi è potestate Satanæ emanciparetur.[56] Qui verò malefacta illa patraverunt, haud mitibus verbis, sed asperis increpationibus, imò *scuticâ* sæpe castigantur, ut absolvi se non modò audiant, sed sentiant. Refert Tellezius, *L. I, c. 38.* Metropolitam ipsum confitentes nonnunquam audire: & aliquando, intellecto enormi scelere, surrexisse, & acriter pœnitentem objurgasse: *Tune hoc fecisti? an non times*
55 *Deum? Agedum! tricies vel quadragies flagellator.* Præsto sunt lictores Metropolitæ, qui lora expediunt, & miserum peccatorem sex vel septem atrocibus ictibus (reliqui enim intercessione circumstantium statim remittuntur) cædunt.
56 Quidam, evitaturus tam acerbam delicti sui abolitionem, petiit à Metropolitâ pro tribunali sedente, *ut secretò audiretur*; cui ille respondit: *quid? nonne peccatum tuum in extremo judicio coram toto mundo manifestabitur? dic illicò quid sit?* Miser peccator, parendum sibi ratus, palam fatetur *abiegatum boum*. Aderat fortè Dominus eorum, qui deprehendisse se abigeum lætatus, reum statim in jus vocat; qui propriâ confessione coram tot testibus convictus, & boves reddere, & simul graves pœnas dare coactus fuit.

57 Cæterùm ut teneri & mitis ingenii sunt Habessini, fre- *B. T. d. l. p. 93.* quenter & plerumque post admissum notabile quidpiam peccatum, ad Confessionarium suum accurrunt, & peccavisse se fatentes, conscientiæ tranquillandæ causâ sacram Cœnam petunt. Istud verò ante *vigesimum quintum* plus minus *annum* non faciunt; nam eousque annos discretionis, & innocentiam puerilem producunt. Si enim adole-

scens

ſcens ante vigeſimum ætatis annum fato concedat, his ver-
B.T.I, 37. bis eum lugent: *ah! ſimilis fiat anima mea animæ iſtius in-
nocentis*. tantùm fiduciæ in moribus adoleſcentum ſuorum
ponunt.

At *ſolâ Euchariſtiæ adminiſtratione, & lectione perico- 58
parum quarundam* ex Novo Teſtamento totus Æthiopum
ſacer cultus abſolvitur; nullos enim hymnos ſacros, nec con-
ciones habent [b]. Id cùm nobis mirum videretur, Gregorius 59
quaſi interrogans dixit: *num putaremus prædicatores no-
ſtros melius quid vel ſacrâ ſcripturâ, vel homiliis Patrum
primitivæ Eccleſiæ dicere poſſe? Num illorum dicta* Dei *verbo
efficaciora crederemus? Annon vereremur, ne ejusmodi con-
cionatores aliquid proferant, quod analogiæ fidei adverſum;
& animarum ſaluti, præſertim apud ruſticos & plebejos, pe-
riculoſum foret*. Reſpondimus quod res poſcebat; eique fi-
nis ac uſus concionum ſacrarum largè explicatus fuit, ut ſatis
intelligeret, utiliſſimè eas haberi. At Æthiopes, ſupplendo 60
huic defectui, Liturgias & Homilias varias compoſuerunt,
3, 4, 37. quarum aliquas ſupra recenſuimus. His adduntur lectiones
ex Novo Teſtamento quadripartitæ, videlicet ex uno *Evan-
geliſtarum*: ex *Actis* Apoſtolorum: ex *Epiſtolis Pauli*: & tan-
dem ex reliquis *Epiſtolis canonicis*. Illi ወንጌል : *Evangelium*
ግብር : *Acta* ጳውሎስ : *Paulum* & ሐዋርያ : *Apoſtolum* vocant.
3, 4, 35. In generali verò Liturgiâ, quam ቀኖና : ቅዳሴ : *Canonem Miſſæ*
appellari diximus, omnes cerimoniæ cum orationibus, acti-
bus ſingulis adhiberi ſolitis, reperiuntur; quia omnia ſacra 61
inſtrumenta, & vaſa ad hunc actum neceſſaria, certis preci-
bus ſanctificantur. Etenim in ſanctuario, quod ſupra deſcri-
pſimus, extat ſacra menſa, (57) quam ቅድስት : ጥረጴዛ : ἁγίαν τράπε-
ζαν Græco vocabulo, vulgò መንበር : *menſam* nominant. Non
differt à menſa communi; circumiri enim, eique aliquid ſup-
poni poteſt. Tantùm uraniſco tecta eſt, quem quatuor co-
lumnæ in quatuor angulis ejus ſuſtinent. Huic imponun- 62
B.T.I, 26. tur ſacra vaſa, imprimis ታቦት : *Tabôt, Arca*. Tabella ſic dicta.
Cujus appellationis rationem, cùm nusquam reperiam, quia
nihil commune cum arcâ habet; eſt enim *tabula quadran-
gularis oblonga*, cui patina & calix imponuntur, ideò ad con-
jectu-

b) Iſtud certò certius eſt, quidquid etiam alii ſcribant. B. Tellezius ait: *Patres Societatis tres vel quatuor Abbunas cognoviſſe, ſed nullum concionantem, nec docentem audiviſſe; eos igitur ex eorum numero eſſe de quibus* Eſaias: canes muti non valentes latrare: *nec facilè impleturos conſilium Pauli ad Titum*: Prædica verbum, inſta, opportunè, importunè &c.

jecturam mihi confugiendum eſt, quam eruditorum judicio libenter ſubmitto, meliora ab illis exſpectaturus.

63 Antiquisſimi Chriſtianorum, cum per tria ferè ſecula publicos cœtus habere non liceret, in *ſpeluncis* & *cryptis*, ſed plerumq; in *cœmeteriis* cultui ſacro vacare cogebantur; gentiles enim eos ubique turbabant, & omne ſacrum inſtrumentum diripiebant. Igitur *panes, vinum, calicem* & alia, ad ſacram cœnam pertinentia, palam ferre non poterant, ſed vel linteaminibus involuta: vel aliter occultata ad locum, ubi
64 Eccleſia congregata erat, portabant. Hinc veriſimile mihi videtur, eos interdum ipsâ *ſandapilâ*, vel tali *arcâ lignea* uſos, quæ *feretro* ſimilis eſſet; ut ſpeciem præbuerit intuentibus corporis cujusdam ad ſepulturam ferendi. Non quod illos Chriſtianiſmi puderet, quem fronte cruce ſignatâ intrepidè profitebantur; ſed quia aliter res ſacras tutò portare, & cœnam Dominicam quietè celebrare non poterant. *Arca* illa in cœmeterium vel cryptam delata, uſum *menſæ* præbebat, cui res ſacræ imponebantur: *communicantes* verò circumſe-
65 debant eam, & ſacram cœnam inter ſe peragebant. Si *oſſa ſanctorum martyrum* illic disjecta reperirent, *in arca* illâ condebant; qui mos ſequentibus ſeculis in legem abiit, ut ſta-
66 tim dicemus. Si loco pellerentur, vel tyrannorum metu aliorſum concedere cogerentur, *portabatur arca* de loco in locum, ubi Epiſcopus vel presbyter eſſet, qui ſacram ſynaxin perageret. Atq; tunc, vel proprio vocabulo, *arcæ:* vel uſus ratione, *menſæ:* non *aræ* neque *altaria*, communiter vocabantur. Sic enim Minutius Felix: *Putatis, nos occultare quod colimus, ſi delubra & ARAS* (ſcil. propriè dictas) *NON habemus?* Ab aliquibus tamen, oblationum reſpectu *aræ* dici cœperunt.[c] *in Octavio.*

67 At ſucceſſu temporis, cùm liberè ſacra adminiſtrare liceret, magna mutatio inſecuta eſt. Quippe multi fas eſſe non putabant alibi, quàm in *arcis* illis *ligneis*, jam quaſi religioſis, ſacris operari. Igitur è cryptis, ubi ſacratæ erant, foras portatæ, & in uſum Euchariſtiæ adhibitæ: fortè etiam humilibus *menſis* tanquam baſi impoſitæ: utque uſui deſtinato aptiores eſſent, paulatim planiores & minores factæ fuerunt;
68 donec tandem tabulis ſimiles fierent, & formâ ubique mu-

 tatâ

c) Sic enim Tertullianus: *Aram Dei menſam convivio Dominico paratam &c.* addit *menſæ* vocabulum, utpote tunc notius, & vulgatius quàm *aræ* nomen, quod poſtea invaluit.

tatâ, nomen ſolum apud Æthiopes retinerent. Poſtquam
verò Chriſtianorum Baſilicæ eo, quo diximus, modo, ex-
ſtruerentur, *Arcæ* illæ, vel menſæ ſimul cum arcis in ſanctua-
rio, (θυσιαςήριον Græcis, ut diximus) collocabantur: & in pleris-
que Eccleſiis nomen *menſæ* manſit: at in Latinâ *Aræ* vel *al-
taris* appellatio ſenſim prævaluit.

Id verò fixum apud veteres fuit, baſin, cui ſacra vaſa im- 69
ponenda, prius dedicandam eſſe. Factum ergo, ut *menſæ*
vel *altaria* ipſa conſecrarentur, & ſic *arcis* illis vel *tabulis* non
amplius opus eſſet. Vbi verò τράπεζαι vel altaria non daren- 70
tur: vel dubitaretur num ſacræ eſſent, ibi Græci habebant ſua
ἀντιμήνσα vel ἀντιμένσια *Antimenſia*, q. d. *Pro* vel *Vice*menſas: La- 71
tini ſua *portatilia*, vel *tabulas ſacras*, quæ menſis vel altari-
Alvar. c. 11. & 38. bus non conſecratis imponebantur. Æthiopes autem ſuam
arculam ſimul cum menſis adhibent, quo ſacra ritè perfici-
antur. Cæterum ut *ligneæ* olim erant *arcæ*, ita non refere- 72
bat ex quâ materiâ hujuſcemodi tabulæ confectæ eſſent;
poſtquam verò Pontifex Romanus *altaria ex cæmentis* fieri
juſſit, portatile hoc ex eadem materiâ fieri conſuevit; quam-
B. T. d. c. 26. p. 66. b. obrem *lapis ſacratus* (*piedra d'ara*, *lapis aræ* Luſitanis) ap-
pellatur. Æthiopum *arcula* plerumque lignea eſt; neque
tamen ex lapidibus vel metallis fieri prohibetur. Sed Patres
Societatis nullas niſi lapideas Habeſſinis permiſerunt, reli-
quas vel cremarunt vel fuderunt.

Huic noſtræ conjecturæ ut fidem aliquam faciamus, & 73
primos Chriſtianorum præter paucas menſas planas & ſtabi-
L. III. c. 6. les, loco illarum *veras arcas* habuiſſe, *loculis* ſimiles, docea-
mus, *marmoreum* producimus *monumentum*, in cœmeteriis
Chriſtianorum effoſſum. Quôd ſi rectè aſpicias, *arca*, ſeu 74
feretrum eſt *arcuatum*: *mappâ*, ut ex plicis apparet, inſtra-
tum, non menſa lunaris plana, ſigmatis antiqui C. figurâ, ut
Aringhus putat[d]. Neque etiam circumſidentes *Agapen*, ſed
S. Cœnam celebrare putaverim; id enim indicant *panes* ſacri
juxta poſiti, *cruce decuſſatâ* ſignati, qualibus Æthiopes ad-
huc hodiè in ſacra Synaxi utuntur. Jacob. Aug. Thuanus 75
talia altaria vidit, cum Auguſtam Auſciorum (*Aux* Gallis)
in principatu Armeniaco (*Armagnac*) ſitam, olim Novem
populoniæ caput, veniſſet, eaque tanquam *arcas* deſcri-
bit:

d) *In Româ ſubterraneâ* Tom. II. L. IV. c. 37. p. 267. Plures in hoc opere viſuntur tales *ar-
cuatæ figuræ*, ſed *ſigmata* vel *menſas lunares* eſſe, adduci non poſſum ut credam, ob
rationes in Commentario noſtro dicendas. *Agapas* quidem interdum repræſentare
videntur ut. L. VI. c. 27. p. 607.


SARCOPHAGVS MARMOREVS EXCOEMETERIO PRISCILLAE
VIA SALARIA EFFOSSVS
EVCHARISTIAM VETERVM IN CRYPTA, VT VIDETVR, REPRÆSENTANS
Lib. III. c. 6. n. 73
a Arca seu Feretrum arcuatum mappa con tectum loco mensæ
b Panes Sacri Cruce signati.
a
b

tatâ, nomen ſolum apud Æthiopes retinerent. Poſtquam verò Chriſtianorum Baſilicæ eo, quo diximus, modo, ex-

Alvar
& 38

B.T.d.
p.66.b.

L.III.

bit:

d) *In Româ ſubterraneâ* Tom.II.L.IV. c.37. p.267. Plures in hoc opere viſuntur tales *arcuatæ figuræ*, ſed *ſigmata* vel *menſas lunares* eſſe, adduci non poſſum ut credam, ob rationes in Commentario noſtro dicendas. *Agapas* quidem interdum repræſentare videntur ut. L.VI. c.27. p.607.

bit[e]. *Heic & lustratum S. Orentii templum*, inquit, *infimæ vetustatis, in eoque juvit spectare altaria hinc inde in templo posita, quæ sunt sepulchra martyrum* (intellige sarcophagos, vel arcas sepulchrales) *ad quæ Christiani cœtus olim celebrari solebant*, NON MENSÆ, *ut sunt nostrâ specie, plana & jacentia*, SED DORSI GIBBO ASSURGENTIA; (nimirum arcæ formam habebant) *cum notâ labari inscriptione, quæ duabus literis Græcis* (puta XP.) *Christi nomen refert, quod purioris an-*
76 *tiquitatis seculum procul dubio arguit.* Huc quadrat locus Gabrielis Biel, qui de altaribus lapideis disserens, ait: [f] *non est contra prædicta, quod in Ecclesiâ Lateranensi est altare ligneum, quod quidem altare ob Apostolorum Principis (qui super hoc altare dicitur Dominicum celebrasse sacramentum) & sanctorum præcedentium martyrum reverentia reservatur. Hoc altare B. Sylvester stabilivit, ut super illud nullus nisi Romanus Pontifex audeat celebrare. Ab Episcopatu autem Apostolorum Principis usque ad tempora Beati Sylvestri, sæviente persecutionum rabie, certa non erat Episcopalis statio, sed ubicunque necessitas compulit, sive in cryptis, sive aliis quibuscunque locis, missam celebrabant super altare ligneum* IN MODUM ARCÆ CONCAVUM, *quod portabatur à Sacer-*
77 *dotibus, ubicunque Romanus Episcopus latitabat.* Sed inter omnes P. Balth. Tellezius apprimè nobiscum facit, cùm de arcâ Æthiopum loquitur, sic scribens:

Tambem he cousa sabida, que no principio da Igreja Catholica os altares eram de pao, & ao modo de arquinhas, *& nam havia outras pedras d'Ara, ate o tempo em que S. Sylvestre Papa começou a consagrar Aras de pedra, deixando porem na Igreja de S. Pedro a* arquinha de pao, *que por tantos annos tinha sido Altar a muytos Papas sanctissimos, & na qual ainda agora só o summo Pontefice póde celebrar.*

Adhæc notum est, quod in principio Ecclesiæ Catholicæ *altaria* erant *ex ligno*, ad formam ARCULARUM. & non dabantur alii lapides aræ, usque ad tempus quo S. Sylvester cœpit consecrare Aras ex lapidibus. Reliquit tamen in *Basilica*[g] *S. Petri* ARCULAM EX LIGNO, quæ tot annos Altare fuerat multorum sanctissimorum Paparum, & in qua hodie nemo, nisi solus Pontifex, consecrare potest.

 Videt

e) *In Comment. de vitâ suâ.* L.II. ubi itineris Aquitanici (*en Gascogne*) mentionem facit.
f) *In S. Can. Missæ expositione* Lect. XIII. ubi de altaribus agit.
g) *In Ecclesiâ Lateranensi* ait Gab. Biel. quòd mihi verisimilius videtur, est enim antiquior.

Videt ſtudioſus Lector *arcarum* paſſim mentionem fieri; & ſi *arcula* illa *lignea*, cujus P. Tellezius mentionem facit, Romæ adhuc exſtet, de re & formâ nullus amplius dubitandi locus ſupererit: noſtraque conjectura de origine illarum tamdiu valebit, donec ab alio meliùs erudiamur. Nihil dicemus nunc de diverſis veterum autorum locis, hinc inde citatis, quæ de *areis* Chriſtianorum agunt, & de cœmeteriis vulgò accipiuntur, quia Tertullianus[h] ea *areas ſepulturarum* vocat. Suſpicio enim nobis ſuboritur alicubi *arcam* rectiùs quàm *aream* legi, modo autores ipſos & codices manuſcriptos inſpicere liceret. Quod autem *oſſa martyrum* antiquitus in 78
arcas illas impoſita fuiſſe putamus, id ex concilio Carthaginienſi colligimus, quod talem morem probat & confirmat. Id nomine quintum, temporis verò ordine tertium Canone XIV. ſic habet: *Altaria*, IN QUIBUS (non dicit *ſupra* nec *ſub*) *nullæ martyrum reliquiæ amovenda.* Quæ repetuntur in Jure Canonico *de Conſecrat. diſt.* I. c. *Placuit altaria 26.* Neq; enim in menſis, aut altaribus veterum, ita dictis, condi potuiſſent oſſa illa. Ejuſcemodi verò conſuetudinem præceſſiſſe, verba, ut puto, ſatis denotant, ſed ab autoribus priſcis, ut liberam & indifferentem, neque religioſi cultus partem, vel non obſervatam vel non memoratam. Quæ paulò prolixius docenda fuerunt, ut intelligeretur origo & uſus arcæ Æthiopicæ in S. Cœnâ uſurpari ſolitæ. Pergimus ad reliqua 79
ſacra vaſa, quæ ſunt ጻሕል: *Patina*, ጽዋዕ: *Calix*: & *Cochlear*, diſtribuendo vino; quod ዕርፈ: መስቀል: *Cochlear crucis* appellant; quia manubrium parva crux terminat: nec non ſacra *urna* & *thuribulum*, quippe & thus adolent, & ſuffitum crebrò faciunt; quod olim in cryptis & ſubterraneis locis ob gravitatem aëris ſummè neceſſarium erat.

Panem fermentatum in S. Cœnâ adhibent, (quod etiam 80
in Eccleſiâ Latinâ per aliquot ſecula factum[i]) *cruce decuſſata*, ut modò innuimus, ſignatum. Maſſa enim formæ imprimitur, in quâ *decuſſis* X inciſus, ut in pane cocto appareat. ቍርባን: *Korban* vocant, & quotidie recentem pinſunt, miranturque Latinos panem ſacrum in craſtinum aſſervare. At feriâ quintâ magnæ hebdomadis, in memoriam ἀζύμων[k] Chriſti in-

h) ad Scapulam c.3.

i) Hoc egregiè probat Eminentiſſ. Cardinalis *Bona* in doctiſſimâ diſſertatione de hac materia. *Rer. Liturg.* L. I. c. 23.

k) Hoc fortè vidit *Alvarez* dum *pane ſine ullo fermento* h. e. *azymo* uti, Æthiopes ſcribit c. 11. ſemper ita fieri putans. Sed *Tellezii* autoritas mihi potior eſt. Confer Thom. à Jeſu L. 7. p. 1. c. 13.

infermentatum uſurpant , cujus fruſta presbyter communicantibus porrigit; quippe de uno pane omnes participant.

81 *Vinum* Diaconus cochleari è calice hauſtum indifferenter omnibus, tam clericis quàm laicis diſtribuit. Veri autem vini defectum acinis uvæ paſſæ, aquâ maceratis, ſupplere conantur, quorum ſuccum exprimentes, loram potiùs vel paſſum, quàm genuinum vinum efficiunt. Et tamen quaſi ſic *Alv. c. 11.* non ſatis dilutum eſſet, Subdiaconus aquæ nonnihil manui communicantis infundit, quâ ille os lavat, deinde eam ſor-

82 bet. Tellezius quidem liquorem illum pro merâ aquâ habet: *L. I. c. 37.* & ob id Habeſſinos deridet, tanquam volentes communi- *& 39.* care *ſub utraque*, communicarent *ſub neutra*; eundem tamē PP. Soc. ſuperiori ſeculo inopiâ vini adhibere coacti fuerunt; *id. p. 57.* idq; P. *Sandovallus* vocat pium & providum inventum, nec aliter deſcribit; niſi quòd acinos, non planè aridos, & fortè plures quàm Æthiopes ſumſerint, linteoq; inditos cum aquâ expreſſerint; cùm tamen juſtum vinum niſi fermentatum & defæcatum dici non poſſit. Multæ ſanè regiones, præſertim barbaræ & procul à mari ſitæ, vino prorſus deſtituuntur. Imo multi Chriſtiani, ſi vinum deſit, idem quod Habeſſini factitant, ut *Cophtitæ* in Ægypto: & *Chriſtiani S. Thomæ* in Indiâ. Quin fuerunt qui, modo adhuc miſerabiliori, lineam veſtem vinô imbuerent; deinde rurſus ſiccarent, & cum vino ad Euchariſtiam opus haberent, partem ejus aquâ madefactam rurſus exprimerent (58), deinceps talem aquam, quæ vinum quodammodo ſaperet, communicantibus exhiberent. Quos modos Julius Papa damnat[l], in caſu tamen neceſſitatis botrum in calice comprimi, & aqua miſceri permittit.[m]

83 Tempus S. Cœnæ ſumendæ in unius cujusque arbitrio eſt; ſunt qui ſingulis ſeptimanis: ſunt qui ſingulis menſibus eâ utuntur; ſed non niſi inter ſacros parietes; nam extra ædem ſacram, in privatas domos, myſteria ferre, ſummum nefas putant: atque id neque Rex, neque Metropolita ſibi arrogaverit. Eo quoque die, quo Euchariſtiâ uſi ſunt, exſpuere non ſolent. Jejuni eam celebrant, etiam circa veſperam, ſi jejunii dies ſit.

84 Cæterùm ad peragendum S. Cœnæ actum, in amplis & frequentib. Eccleſiis, & diebus ſolennibus quatuor vel quinque ut plurimum viri requiruntur ካህን: *Sacerdos ſeu* ቀሲስ:

 Pres-

l) De Conſecrat. *diſt.* 11. *c.* *Cùm omne crimen.* 7.
m) Dicto can. ibi: *Sed ſi neceſſe ſit, &c.*

Presbyter : ንፍቅ : ቀሲስ : *Subpresbyter* : ዲያቆን : *Diaconus* : &
ንፍቅ : ዲያቆን : *Subdiaconus*. Adſunt duo vel tres alii miniſtri,
qui candelas tenent, & ſacerdotibus ad manus ſunt. Hi divi-
ſis inter ſe muniis ſacrum obeunt, & *varias orationes*, ſingu-
lis actibus & inſtrumentis accommodatas, legunt. Denique 85
etiam vivos & mortuos Deo commendant, idque illis eſt
ዱብዩቅን : δίπτυχον *Diptychum* (59) recitare. Erant autem δίπτυχα
apud veteres Græcos *geminæ tabellæ*, quibus nomina eorum,
pro quibus in Liturgiâ orandum, inſcripta erant. Sunt &
qui *munera* ſua ad ſacram menſam afferant, *panem*, *oleum*,
decimas, *primitias*, & *ſimilia*; quæ ſacrâ cœnâ peractâ, pau-
peribus *Agaparũ* (60) loco distribuuntur; de hoc vetuſtiſſimo
more accipiendum puto, quod Claudius in Confeſſione ſua
Fidei ſcribit : ወንገብር : ባቲ : ምሳሐ : & *facimus in eâ* (die Sab-
bati) *convivium* ſc. charitativum. Sacra hæc biduo ſingulis 86
hebdomatibus peragunt, *Sabbato* videlicet & die dominica.
Illud vocant ሰንበተ : አይሁድ : *Sabbatum Judæorum*, quod ce-
lebrare ſe dicunt in memoriam abſolutæ creationis; adeoque
non eâdem ſolennitate, quâ diem Dominicam venerantur;
3, 1, 46. & ſeq. uti ex Regis Claudii confesſione retulimus. In *die Dominicâ*
autem, quam vocant ሰንበተ : እሑድ : *Sabbatum feriæ primæ* :
Enc. Mar. Virg. Mſs. vel እሑድ : *Feriam primam* ſimpliciter; vel ሰንበተ : ክርስቲያን :
Sabbatum Chriſtianorum Eccleſiæ Catholicæ ritu ſolenniter
feriantur, & Liturgias more ſolito peragunt.

Alv. d. c. 11. *Campanis æneis* carent; earum loco tintinnabulis ligneis, 87
vel ſaxeis aut ferreis utuntur, quæ ſtridorem magis, quàm ſua-
vem ſonum edunt. Non multo jucundior eſt *Muſica ſa-* 88
cra: inſuavi ſatis voce canunt illorum Canonici, quos ደብተራ :
vocant, interſtrepentibus, veterum Ægyptiorum ritu, (61)
B. T. I, 39. crepitaculis, ſiſtris, & crotalis, quæ in Feſtis ſolennibus pul-
Alv. d. l. ſare ipſi magnates honori ſibi ducunt. Accedunt *tripudia* 89
& ſaltationes, (62) tanquam imitando Davidi ante arcam fœ-
deris ſalienti, ubi tanto ſtrepitu terram pedibus pulſant, ut
choreas magis, quàm Feſtum Chriſtianum agere videantur.
*Illi exultare ſeſe & plaudere, atque jubilare Deo Jacob, ex
præcepto Pſalmorum*, dicunt : *ſeque laudare Dominum in*
Pſal. 150. *tympano & choro : in chordis & organo : etiam in cymbalis*,
p. 96. *ſed* (ut facetè Tellezius ait) non bene *ſonantibus*. Quæ ut
à gravitate cultus Chriſtiani aliena nobis videri poſſunt, non
tamen mirabuntur illi, qui norunt apud Latinos nonnullibi

Fe-

Festum Corporis Christi tripudiis celebrari: & esse ibi qui juxta saltent, & citharas pulsantes personati incedant. Jeju-
81 nia nuspiam rigidiùs observantur:(63) non quòd certis cibis abstineant: aliis verò, insuper bene poti, se satient; id enim illis ludibrium jejunii videtur, sed totos dies sine ullo alimento potúve usq; ad occasum Solis vel tertiam vespertinam transigunt. Quidam biduo hebdomadis sanctæ, quâ passio Christi celebratur, nullo cibo se reficiunt. Monachi acriùs adhuc vires suorum corporum explorant, eaque non compescunt
82 sed destruunt; ut supra de moribus eorum retulimus. Septe- 3, 3, 18.
nis diebus bis, nempe *feriâ quartâ* & *sextâ* jejunant, ut cæteræ Orientis Ecclesiæ. Rationes, quas affert Tzagazaabus,[n] quòd feriâ quartâ Christi occidendi consilium captum, feriâ sextâ autem executioni mandatum fuerit, veteres pridem docuêre.[o] Scilicet antiquitus traditi moris rationes quæsitæ fuerunt; quales æquè in *feriam quintam* (ut quidem Christiani dies computant) quâ Christus captus fuit, & *feriam septimam*, quâ in sepulchro jacuit, quadrant. Nos verò arbitramur binos hos jejunii dies, ut multa alia, imitatione Judæorum à primis Christianis, qui vel Judæi fuerant: vel id à Judæis didicerant, uti rem piam, & illis temporibus necessariam, introductos fuisse; hi enim bis in hebdomade jejunabant. Hoc est quod Pharisæus ait: *Jejuno bis sabbato*, i. e. *intra septi-* Luc. 18, 12.
duum; scilicet *feria secunda* & *quinta*(64) Sed ne simul cum *& ibi Polus in Synopsi.*
Judæis jejunarent Christiani, in *feriam quartam & sextam* jejunium fuit promotum.[p] Deinceps Innocentio & Grego- *De Consecr. dist. 3. c. 13.*
rio VII Pontificibus potius visum, abrogato feriæ quartæ jejunio, sabbato à carne abstinere; non attento vetere Ca- *Ibid. dist. 5. c. 31.*
83 none: *Can. Ap. 65.*

Εἴ τις κληρικὸς εὑρέθη τὴν κυριακὴν ἡμέραν, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, νηστεύων, καθαιρείσθω.	*Si clericus quis reperiatur Dominica die, vel etiam Sabbato, unico excepto, jejunare, deponitor.*

Vnicum istud Sabbatum est *vigilia Paschatos*. Die Dominico autem jejunare Æthiopes nefas ducunt, ut primævi Christiani, Tertulliano teste. Præter hæc & alia Orientalis *De corona milit.*
Ecclesiæ jejunia in usu habent, cumprimis longum illud *qua-*
84 *dragesimale*, quod illis *quinquagesimale* est; id enim decem diebus ante carnisprivium Romanum, nimirum feriâ secun-
da

n) in sæpius citatâ Conf. Fid. ap. Dam. à Goez.
o) *Epiph.* Epil. Op. Panar. *Aug.* T. II. Ep. 86. *Hieron.* Ep. ad Licin. de Cõsecr. dist. 3. c. jej. 16.
p) Sic enim habent *Constitut.* quæ *Apostolorum* vocantur: Αἱ δὲ νηστεῖαι &c. *Ne jejunetis cum hypocritis* (hoc est, cum Judæis, qui se simulabant Christianos) *illi enim secundo & quinto hebdomadis die jejunant.* *L. VII. c. 24*

dâ poſt Sexageſimam ordiuntur, & ſine ullâ diſpenſatione, ceu mandatum quoddam divinum ſive ſani, ſive ægri, religioſisſimè obſervant; ita tamen, ut diebus Dominicis carnem edant, ob Canonem modo relatum. Poſt Paſchatos fe- 93
ſtum præteritos ſobrios & triſtes aliis quinquaginta diebus hilarioribus compenſant. Toto enim *Pentecoſtes* tempore, (ſic olim vocatum fuit intervallum quinquaginta dierum à feſto Reſurrectionis Chriſti usque ad feſtum Miſſionis Paracleti) planè non jejunant, ſed omnes illos dies lætos tranſigunt.(65) Nam *jugis & continuata*, æquè ac olim Latinis, *feſtivitas illis eſt*; uti S. *Ambroſius* de ſuo tempore loquitur[q].
Gregorio miranti, quòd Proteſtantes in Germaniâ nulla jeju- 94
nia obſervarent, niſi quæ ob publicas fortè calamitates, ad dies aliquot à Principibus eorum indicerentur; & cauſam roganti, reſponſum fuit ex eodem S. Ambroſio: *Non jejunamus, quia Dominus nobiſcum commoratur*; non tantùm quinquaginta illis diebus, ſed toto anno omnibusque diebus vitæ noſtræ. Sic Chriſtum reſpondiſſe illis, qui diſcipulis eius idem objiciebant:

L.V. Comm. in Luc. c.5.

Matt.9,15. Marc.2,19 Luc.5,34.

ይክሉሁ፡ውሉዱ፡ ለመርዓዊ፡ ላሕው፡ መጠነ፡ሀሎ፡መርዓዊ፡ምስሌሆሙ፡ይመ ጽእ፡ኅሎቱ፡መዋዕል፡ከመ፡ይትነሣእ፡እ ምኔሆሙ፡መርዓዊ፡ወአሜሃ፡ይጸውሙ፡	*Poſſunt ne filii ſponſi lugere, dum exiſtit ſponſus apud illos. Venient autem dies, cùm auferetur ab illis ſponſus, & tunc jejunabunt.*

Igitur veteres Chriſtianos, cùm dies illi, quos Chriſtus prædixerat, nempe graves perſecutiones veniſſent, rectè atque bene feciſſe, quòd crebrò jejunarent. Nos verò, cùm ſponſus noſter gratiâ & pace ſuâ redierit: atque halcyonia Eccleſię ſuæ largitus fuerit, ſtata jeiunia pro neceſſariis non habere; cæteroquin cum S. Ambroſio dicere: *Verum jejunium eſſe alienationem mali, continentiam linguæ, cohibitionem iræ & cupiditatum, ſeparationem obtrectationis.* Et cum S. Auguſtino[r]: *Jejunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum jejunium.*

de Elia & jejun. c. 10.

Præter Sabbatum & diem Dominicam primaria & ve- 95
tuſtiſſima Eccleſiæ Catholicæ feſta celebrant omnia, ſc. *Chriſti conceptionem in utero B. Mariæ Virginis* (Annunciationem alii vocant) *Nativitatem, Circumciſionem, Baptiſmum,* (no-

q) *Sermon.* 61. & in Jur. Canon. *diſt.* 76. c. 5. & 8.
r) Tractat. ſuper Joh. 17. De Conſecrat. diſt. V. c. 25.

(nobis Epiphania) *Paßionem, Resurrectionem, Ascensionem,* [s] *Descensionem Spiritus Sancti,* [t] nec non antiquissimum Ecclesiæ primitivæ *festum* ረክብ: *Rakeb* in medio Pentecostes, Latinis *Cantate,* quo Synodum celebrare iubentur Episcopi; in canonibus, qui Apostolici dicuntur.[u] In reliquis Festis, quæ post dissidium Concilii Chalcedonensis, vel à Cophtitis: vel ab Ecclesiâ Græcâ & Romanâ inventa fuerunt, differunt. Quædam etiam peculiaria habent, cujusmodi sunt: Festa menstrua & *Servatoris nostri Jesu Christi, & B. Mariæ Virginis, & Archangeli Michaëlis.*[x]

96 Fastos eorum Ecclesiasticos (*Kalendarium* vulgò) in commentario nostro lectori dabimus(66), in quibus nomina Sanctorum & Martyrum, nobis ferè ignotorum, reperiuntur: non ob præviam *canonizationem*, quam illi ignorant, sed ob felicem illorum memoriam; addito brevi computo, quem ex manuscripto quodam libello excerpsimus; ex quo de ratione sacrorum temporum apud Æthiopes lectori constare poterit.

97 Annum ordiuntur *Calendis Septembris* cum Græcis, Armenis, Russis aliisque Orientalibus Christianis. Nam in autumnali æquinoctio mundum conditum esse, & illi credunt, & multi veterum tradiderunt. *Quinquies mille* & *quingentos* annos usque ad natum Christum computant, octo annos minus, quàm Græci, & qui cum illis versionem LXX. interpretum, ex qua computatio fluxit, sequuntur. Totidem annos minus habent in Ærâ Christianorum. Hoc quidem *Scaliger* eò factum esse dicit, *quòd octo annos mundi minus putent, quàm Græci*, sed rationem hanc non applicat. Nos ex malâ annorum mundi subtractione id contigisse existimamus. Cùm fortè audissent Græcos ad constituendam æram Christi subtraxisse 5508. annos Mundi; idem fortè & illi fecerunt, sive immemores, quod in æra Mundi jam defuerint illis octo anni: sive quod constitutis iam ex hypothesi Græcorum annis Christi, reformaverint postea æram Mundi, & octo annos minus repererint. Vtcunque se ea res habeat, dato ab illis aliquo anno Christi, octo anni illorum computo

s) በዓል፡ አርብዓ፡ Festum quadraginta sc. dierum Tessaracosten.
t) በዓል፡ ኀምሳ፡ Festum quinquaginta sc. dierum vel Græco vocabulo ጰንጠቆስጤ፡ Pentecosten vocant.
u) Can. 36. *Bis in anno Episcoporum celebrator Synodus &c. semel quidem quartâ hebdomada Pentecostes.*
x) Nic. God. L.I.c.22. ex *Antonii Fernandii* relatione.

addendi ſunt, ſi tempus rei alicuius geſtæ conveniens ſcire velis. *Duodeni menſes*, æquè ut apud nos, annum conſtituunt, 98
ſed ſingulis menſibus, ut apud Ægyptios, triceni tantùm dies ſunt, quamobrem anno ſolari ſupplendo ternis annis *quini*, quaternis *ſeni* ſuperadduntur; qui Græco vocabulo ጳጕሜን፡ ἐπαγόμεναι vocantur.[67] Hinc fit, ut Feſta eorum rationem *Calendarii Juliani* quidem ſequantur, & in eosdem dies incidant, iſti tamen aliter numerentur. Nam Feſtum Nativitatis Chriſti eodem die, qui Europæis Juliano ſtylo utentibus XXV. illis XXIX. Decembris eſt, nobiscum celebratur. Nec alio unquam tempore Catholica Eccleſia, quà latisſimè per totum orbem patet, illud celebravit; ut planè mirum ſit Scaligerum id in Autumnum transponere voluiſſe. Quaternos autem annos ab uno Evangeliſtarum denominare ſolent, cujus lectio eo anno in Eccleſiâ abſolvitur. Hanc ob cauſam in chronologicis illorum computationibus additum reperias *in diebus Marci, in diebus Johannis Evangeliſtæ* & ita porrò.[68]

De ritibus nuptialibus[69] nunc dicere reſtat, cum & illi 99
Chriſtianis ſacri habeantur: & conjugiorum jura è lege divina deciſionem ferè ſumant. Id verò imprimis notabile eſt, 100
polygamiam in Eccleſiâ Habesſinorum improbari: & tamen in Republicâ civili tolerari. Non enim à Magiſtratibus puniuntur, qui plures ſimul uxores ducunt: & tamen à *Sacrâ Cœnâ arcentur*: tanquam ex eorum genere ſit, quæ Rempublicam non lædant, & tamen ſanctitati Chriſtianorum adverſentur; quaſi ſanctos & probos homines efficere, non Regum & Principum, ſed Epiſcoporum Eccleſiæ officium ſit.
c.20. Exemplum inſigne habet Alvarezius[70]. Is Dobaruæ apud quendam *Ababitay* hoſpitem ſuum tres illius uxores viderat, & noverat, cum quibus triginta ſeptem liberos genuerat, ſine ullâ aliâ caſtigatione, quàm quòd ad Eccleſiam, & S. Synaxin non admitteretur; eundem tamen, repudiatis duabus, ſtatim admiſſum fuiſſe. Sed operæ pretium foret ſcire, quomo-
L.I.c.19. do ſe erga Regem Polygamum gerat Metropolita. Nam *Tellezius* teſtatur *Reges Habeſſiniæ ex inveteratâ pravâ conſuetudine, præter multas uxores legitimarum more ductas, multas inſuper pellices aluiſſe*; prorſus quaſi Salomonem, autorem ſcilicet ſuæ ſtirpis, in eo imitari voluerint. Sanè Pa- 101
tres Societatis abſolutionem *Susneo* impertire noluerunt, pri-

priusquam uxores ſupernumerarias dimitteret, primâ ſolâ retentâ. Sed nec ad ſacros ordines admittuntur ii, qui duas uxores habuerunt, quamvis unam dimiſerint, eodem *Alvarezio* teſte, uti capite ſequenti pluribus dicetur. Mirum verò eſt Eccleſiæ atque Regni jura non meliùs conſpirare, hæc in connubiorum jure laxa: illa verò reſtricta eſſe, maximè ubi
102 non de re, ſed de nomine quæſtio eſt; veluti cum patruelium & *ſobrinorum ſobrinarumque conjugia* in multos gradus Greg.
non admittuntur, quòd veris cognationum vocabulis deſtituti, fratres atque ſorores ſe mutuo appellent: & quòd *leviri cum glore nuptias* jure ſacro illicitas, profano verò licitas putent, ut ſupra ſignificavimus. Nulla autem niſi ſacro jure li- 3, 1, 63.
cita matrimonia benedictione ſacerdotali honorantur; non quidem publicè in Eccleſiâ, niſi clerici fuerint, quibus Halleluja concinitur, ſed vel domi ſuæ; vel ante fores templi
103 [71] matrimonio copulantur. Cæterùm ſeculares eâdem facilitate, quâ contrahunt, nuptias *disſolvunt*. Ortâ enim, ex quacunque causâ, discordiâ, ſi conciliari nequeant, à judicibus regiis ſeparantur [72]. Clerici verò, ſi vel dimittere uxores, vel primâ mortuâ aliam ducere velint, & munus ſuum dimittere tenentur. Quamobrem apud hos longè conſtantiora & tranquilliora ſunt matrimonia.

104 Finiemus narrationem hanc ſupremô inter mortales officio, nimirum *ſepulturâ*. Mortuos bene lotos & ſuffumigatos veſtibus involvunt. Si defunctus nobilior fuerit, corio taurino tectus feretro imponitur, eum clerici, crucibus, thuribulis, & aquâ benedictâ inſtructi, efferunt; tam velociter currentes, ut difficulter eos ſequaris [73]. Corpus juxta tumulū tam diu deponitur, donec ex Evangelio Johannis lecta fuerit pericopa; deinde ſuffitu facto, aquâ benedictâ conſperſum,
105 in ſepulchrum non demittitur, ſed dejicitur. Claudius Rex B.T.II, 17.
ſolennes exequias *Chriſtophoro Gamæo*, anniverſario die, quo mortem pro liberandâ Abaſſiâ oppetierat, paraturus, Clericos, Canonicos, Monachos, nec non vicinos pauperes convocavit, illis ferè ſexcentis, quoddam velut ſilicernium lautè præbuit: his verò, circiter ſex millibus, largæ eleemoſynæ distributæ. Recitaverunt integrum Pſalterium, intonuerunt vicibus innumeris *Halleluja*; id enim & lætis & triſti-
106 bus æquè ſubſervire, *Tellezius* ait. Nam cum *Marcus* Sus- p. 140.
nei filius primogenitus ſepeliretur, loco invitatorii Romani, *Regem cui omnia vivunt &c.* perſonuiſſe:

Ee 2 ሞት፡

ሞተ፡ ማርቆስ፡ ሀሌሉያ፡ | *Mortuus est Marcus Halleluja.*
ማርቆስ፡ ሞተ፡ ሀሌሉያ፡ | *Marcus mortuus est Halleluja.*

Idque tot vicibus repetitum, ut Patres, in Æthiopiam nuper appulsi, insolitam hanc *antiphonam* cum stupore audirent; nescientes, rideréntne Canonici illi, an plorarent? Ita unicuique sui mores placent.

CAP. VII.

De constitutione & formâ regiminis Ecclesiastici in Æthiopiâ, ut & clericorum jure.

2. *Clerici* nullâ immunitate gaudent. 4. Eorum caput, *Abbuna* sive *Metropolita*, à Patriarchâ Alexandrino creatur. 7. Ejus locus in Conciliis. 8. Hodiernus *Ecclesiæ Alexandrinæ* status deplorandus. 9. *Clerici* rudes. 11. *Patriarcha* indoctus. 13. Metropolitæ Habess. *ordinant* tantùm Clericos. 14. *Archiepiscopi* & *Episcopi* nulli. *Icegus* Monachorum Antistes. 15. *Patriarchas* quatuor tantùm agnoscunt *Oecumenicos*. 16. *Romanus* ordine primus. 17. Metropolitarum 18. *Catalogus* incertus. 19. A Papa missos non computant. 23. Post Alph. Mendezium 24. Cophtita vocatus. 25. Ejus successores. 26. Ecclesiis *Cathedralibus*, nec non 28. *Castrensibus* præpositi. 29. *Decanus, Presbyter, Subpresbyter*, &c. 32. *Clerici uxorati*, ut 33. apud Orientales, 34. ex præcepto divino. 35. Ad *secunda vota* non transeunt, 37. antiquis Canonibus nixi.

OPeræ pretium nunc est dispicere, quo pacto Ecclesia 1
Æthiopica regatur. Summam potestatem Ecclesiasti-
2,9. cam penes Regem esse suprà diximus. Quæcunque ergo
jurisdictionis sunt, levibus causis exceptis, à Regiis judicibus
peraguntur. Neque *Clerici* aut *Monachi* ullâ immunitate 2
Ecclesiasticâ, aut privilegio fori fruuntur; nec illos juvat, ut
Tellezius ait: caput: *Si quis &c.*[y] quo minus tanquam meri
laici à judicibus secularibus *castigentur*.[74] Sæpenumerò et- 3
iam privatorum violentas manus sine anathematis metu sen-
tiunt. Quæ verò *ad legem ordinis* vel *Diæcesanam* spectant,
ea clericis relinquuntur. Horum caput est ጳጳስ፡ seu *Metro-* 4
polita; qui communiter አቡነ፡ *Abbuna* i.e. *Pater noster* co-
2,9,12. gnominatur. Is antiquâ consuetudine, petente Rege, à Pa-
triarchâ Alexandrino ad id munus sacratur, & ex Ægypto in
Æthiopiam mittitur.[75] Non enim sibi licere putant ex suâ 5
gente aliquem, linguæ, legum, morumque patriæ gnarum
denominare, quem Patriarcha ordinet. Nimirum *canonibus* 6
Can.36. illis *Nicænis*,[76] quos Arabicè extare supra diximus, cautum
3,4,30. est: *Ne Æthiopes creent vel eligant Patriarcham, quin potiùs eorum*

y) C.XVII. qu.4. c.29. Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in *clericum* vel *monachum* violentas manus injecerit &c.

eorum Prælatus sub potestate ejus sit, qui sedem Alexandriæ
7 *tenet.* Et paulo post: *Quod si concilium in Græciâ habeatur,*
& Prælatus Æthiopum *præsens sit, habeat septimum locum* 3,2,41.
post Prælatum Seleuciæ. tam tenaces sunt prisci moris, sed eo
8 ipso infelicissimi. Nam longè alius nunc ac olim est *Ecclesiæ*
9 *Alexandrinæ status*, miserandus planè & deplorabilis. Patriarcha & clerus eius, rustici ferè generis homines, & omnium bonarum artium rudes, Turcarum velut servi sunt, quorum vexationes plerosque à clericatu deterrent, ut interdum coacti & flentes à Patriarchâ ordinentur; qui nihil aliud
10 ab illis exigit, quàm ut Arabicè legere possint. *Coptica* enim, seu vetus Ægyptiaca lingua[77], qualis tempore Græcorum Regum fuit, à *P. Athanasio Kirchero* Europæis ostensa[z], apud illos in oblivionem ferè venit. Ædes illorum sacræ vel dirutæ vel ruinæ proximæ; quia Turcæ non patiuntur
11 ut eas reficiant, vel reædificent. Ipse Patriarcha si legere & scribere possit, ac sacram Scripturam modicè intelligat, satis dignus habetur S. Marci sede. Hinc facilè intelligi potest, quales viri in Æthiopiam mittantur tantæ Ecclesiæ rectores.
12 Venerat Patrum Societatis tempore talis Abbuna in Habes- *B.T.I,* 38.
siniam, qui, cum sperneretur, opificio suo molitorio victum quærere coactus fuit. Huic alius succedens, priori non peritior, aulicis occasionem jocandi dedit: *habituros se adhuc*
13 *unum molitorem.* Nihil ergo sciunt, nec faciunt isti Metropolitæ, nisi ut conceptis certis verbis clericos ordinent; se haud multò doctiores.[a] Ex eo apparet, quàm lamentabilis sit rerum Ecclesiasticarum in Abassiâ status, quàm malè composita Hierarchia. Sanè Patres Societatis Abbunæ ordinationes flocci fecerunt, omnesq; Habessinorum sacerdotes ad sua sacra transgressos aliter & more Romano ordinave-
14 runt, non sine gravi reliquorum indignatione. Nulli in regnis & provinciis neq; *Archiepiscopi* neque *Episcopi*[78] sunt; & nisi *Iegus* per monachos suos aliquam Ecclesiæ curam haberet, omne rerum sacrarum studium jam dudum colla-
15 psum fuisset. *Abbuna* ille à nonnullis minus rectè Patriarcha vocitatur,[b] hunc enim ሊቀ: ጳጳስ: vel ሊቀ: ጳጳሳት: h. e. *Principem vel magistrum Metropolitarum* appellant: &

z) In Prodromo Linguæ Ægyptiacæ, & Lexico Copt-Arabico Latino.

a) Plura qui de hoc scire volet, Alvarezium legat cap. 96. & 97.

b) Meritò perstringit P. Tellezius gravissimum aliàs historicum Lusitanum *Gonçalum de Ilhescas*, qui in Æthiopiâ *multos patriarchatus, & plurimos episcopatus dari*, falsò scribit in Hist. Pontificali P. II. 6. p. 173.

quatuor tantùm Oecumenicos Patriarchas (79) æqualis inter ſe poteſtatis & dignitatis agnoſcunt. Inter eos autem Romanum ordine primum cenſent, eumq; ሊቀ:ጳጳሳት:ዘሮምያ: *Patriarcham* Romanum vocant. Neq; enim nomen quoddam excellentius habent, quo Patriarchâ ſuperiorem deſignent (80). 16

Primus Metropolita Habeſſinorū fuit *Frumentius* Æthiopiæ Apoſtolus. Ab hoc usque ad *Simeonem*, qui cum 17

3, 10, 62. Ælio pro Alexandrinâ religione Anno M. DC. XIII. occubuit, nonaginta quinque Metropolitas numerant.

In Liturg. p. 160. col. 3. Catalogum eorum videre nondum nobis contigit; in Diptycho autem Æthiopico ſequentes recenſentur. 18

አቡነ:አባ:ማቴዎስ: Abbuna Abba *Matthæus*.
አባ:ሰላማ: Abba *Salama*.
አባ:ያዕቆብ: Abba *Jacobus*.
አባ:በርተሎሜዎስ: Abba *Bartholomæus*.
አባ:ሚካኤል: Abba *Michaël*.
አባ:ይስሐቅ: Abba *Iſaacus*.
አባ:ዮሐንስ: Abba *Johannes*.
አባ:ማርቆስ: Abba *Marcus*, qui Metropolita fuit tempore Davidis. 19
አባ:ዮሴፍ: Abba *Joſephus* tempore

B. T. I. 18. Claudii Regnum ingreſſus, Dobarwæ feſto apparatu exceptus fuit; nullâ ratione habitâ *Johannis Bermudis*, quem Papa Romanus, Patriarcham Alexandriæ & Æthiopiæ ſimul creatum, in Habeſſiniam miſerat. (3, 9, 15.)

Nec pluris fecerunt Habeſſini Johannem *Nonium Barretum* & *Andream Oviedum*, Luſitanos, Patriarchæ titulo Romæ ornatos, & à Rege Luſitaniæ in Æthiopiam miſſos. (3, 9, 20.) 20

Sub initium hujus ſeculi *Petrus* à partibus factioſorum contra Zadenghelum Romanis faventem ſtetit. (2, 6, 89.) 21

Tempore Suſnei *Simeon*, quem modò nominavimus, in regnum venit. 22

Hoc occiſo, & molitore illo, de quo ſupra, depoſito, prævalentibus Patribus Societatis, *Alphonſus Mendezius*, auſpiciis Summi Pontificis Patriarchæ nomine ſacris præfuit, ab Habeſſinis tamen non aliter quàm አቡነ:ዘሮምያ: *Abuna Romanus* dictus fuit. (3, 11, 3.) 23

Iſtô autem cum ſociis rurſus expulſô, alius *Cophtita* vocatus, cum quo *Petrus Heyling* Lubecenſis in Habesſiniam intravit, ut infra dicemus. (A. 1634. 3, 14, 4.) 24

Poſt hæc ſecutus quidam *Johannes*: & circa annum 1651. Marcus, ob flagitia, ut quidem Tellezius ſcribit, depoſitus, ſucceſſorem habuit *Michaëlem*. (L. VI. c. 39.) Denique circa 25

ca annum 1662. quidam Gabraxus in Abaſſiam miſſus fuit. 3,14,33.

26 Baſilicæ ſive Eccleſiæ principaliores habent ſuos *Præpoſitos*, quos vocant ቆሞሳት: *Komosat*. Talis *Komos* fuit Petrus Æthiops, cujus converſatione Paulus Jovius uſus fuit. *Hiſt. L.* 18.

27 Eorum officium eſt ſecularia Eccleſiarum curare, & lites clericorum componere, in quantum jurisdictio clericis permis-

28 ſa. Eccleſiis caſtrenſibus præeſt ደብተራ: ጌታ: *Debtera-Gueta* B.T.I.39.
i. e. *Canonicorum præpoſitus*. Nam ደብተራት: *Debterat Canonici* ſunt, qui hymnis canendis ſacra peragunt. ንብራት:

29 *Nebrat*, *Decanus* eorum eſſe videtur. Hos ſequitur ቀሲስ: *Kaſis Presbyter* & ንፍቀ: ቀሲስ: *Subpresbyter*, ዲያቆን: *Diaconus*

30 & ንፍቀ: ዲያቆን: *Subdiaconus*. *Lectores*, quorum in primitivâ Eccleſiâ uſus, ignorant: ut & *Diaconiſſas*,(81) quarum tamen adhuc opus haberent, ob crebra adultarum fœminarum baptiſmata, quibus adeſſe, & dum nudæ in fluminibus vel lacubus baptizantur, more priſco miniſtrare, easque ex ſacro

31 lavacro ſuſcipere deberent. Clerici omnes in publicum prodeuntes, manu crucem geſtant, eamque prætereuntibus oſculandam præbent, vix alio charactere diſtincti. Eam etiam ſeculares geſtant, qui, ut in ſanctuarium admittantur, Diaconi creari volunt; plerique adhuc infantes. *Clericis* omnibus, *Alv. c.* 97.

32 niſi monachi fuerint, *uxores ducere* licet. Nemo ſane inficias iverit, *Catholicos* primitivæ Eccleſiæ *Epiſcopos*, *Presbyteros* atque *Diaconos* jure licito *maritos* eſſe potuiſſe(82): idemque, *Paphnutio*, viro ſanctiſſimo, ſuadente, Patribus Nicænæ

33 Synodi placuiſſe, *Socrates* & *Sozomenus* referunt; (quorum *Hiſt. E. l.* 8. fidem, omni retro antiquitati probatam, nemo æquus in *L. I. c.* 22. dubium vocaverit, præſertim cum Eccleſiæ univerſalis praxi, & tot clariſſimis exemplis firmetur.) donec *Siricio* & *Innocentio I.* Papis Romanis in Eccleſiâ Latinâ aliud placeret.[c]

34 At apud Eccleſias Orientis plus valuit ratio honeſtarum nuptiarum, quàm *cœlibatus infidus*, & perpetuæ concupiſcentiæ obnoxius. Quamobrem *Græci*, *Armeni*, *Rutheni*,(83) & ſpeciatim noſtri *Æthiopes* presbyteris ſuis uxores non modò permittunt, ſed & iſti maritos præferunt, ut qui presbyter fieri velit, matrimonium contrahere teneatur. Nam Apoſtoli verba μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *unius uxoris virum*, pro præcepto, 1. *Tim.* 3, 2, 12 & quidem ita accipiunt, ut toto vitæ tempore una tantùm illi *Tit.* 1, 6.

con-

c) His prohibitio matrimonii ſacerdotalis communiter tribuitur. *Siricii* Epiſt. I. ad *Himerium* Tarracon. cap. 7. & *Innoc.* I. Epiſt. II. ad Victricium. c. 9. Diſtinct. 31. c. Tenere, 4.

concedatur. Ideò ad *ſecunda vota* non transeunt, Orienta- 35
libus Eccleſiis etiam inter ſeculares dudum inviſa.[d] Nova-
tiani ſecundas poſt baptiſmum nuptias haud ſecus ac adul-
teria deteſtabantur.(84) Latini quoque Patres ignominioſis
vocabulis eas diffamarunt(85), honeſta adulteria vocando[e]. 36
Sequentibus verò temporibus re ſapientiùs conſideratâ, nihil
intereſſe viſum fuit, maritalem conſuetudinem cum unâ:
vel ſuccesſivè cum pluribus, modò legitimè fiat, continua-
re, & ſoluto per mortem unius conjugio, nil cauſæ ſuberat,
cur non iteraretur. Exemplum fuit Romæ, ubi fœmina vi-
rum vigeſimo ſecundo matrimonio vicit(86). Sed apud Ha-
beſſinos, veteres leges adhuc valent; nam canonibus antiquis
[f] bis mariti ſacris ordinibus indigni habentur.(87)

CAP. VIII.

De Seceſſione Habeſſinorum ab Eccleſiâ Græcâ, tempore Concilii Chalcedonenſis.

1. *Concilium Chalcedonenſe.* In quo 5. *Dioſcorus* damnatus. 6. Inde *Melchitæ* & *Iacobitæ* orti. 7. Damnum Eccleſiæ ex hoc ſchiſmate. 9. Æthiopes aliter referunt, & *Dioſcorum* defendunt, 11. de *duabus perſonis* quæſtionem fuiſſe putantes, 15. eoque injuriâ eſſe damnatum. 16. Autoris diſſertatio. 17. Æthiopes (1.) damnant Concilium Chalced. & 18. convitiantur, 19. (2.) putantes *diviſionem hypoſtaſeos* in eo aſſertam. 20. Huic errori contranitentem *Dioſcorum* laudant: ut & 23. (3.) *Timotheum.* 24. *Eutychetem* hæreticum vocant. 26. (4.) Reipſâ agnoſcunt duas naturas in Chriſto. 27. (5.) probatur id ex formulis loquendi. 30. (6.) Vocabula; *Eſſentiæ, Subſtantiæ, Perſonæ, Naturæ,* ambigua Habeſſinis eſſe, 31. è Gregorio docetur. 34. Vbi nos è Concilio Chalcedon. de *naturâ*, illi de *perſonâ* loquuntur. 35. Perſonæ vocabulum. 36. Dubium circa disputationes Patrum cum Habeſſinis de *duabus Naturis.* 39. Quomodo cum iis disputandum? 40. Verus *quæſtionis ſtatus.* 44. *Jacobitæ* vocabulo Arabico طبيعة ſive *Naturæ* abſtinent. 45. *Melchitæ* id adhibent, quod 46. ex *Eutychii* loco probatur. 48. Judicium cujusdam è Noſtratibus de ea re. 50. Deploratio infauſti hujus diſſidii.

COncors manſit Eccleſia Alexandrina & ſecum & cum Ec- 1
cleſiâ Græcâ, usque ad concilium Chalcedonenſe, quod
Marcianus Imperator, ſedandis Epiſcoporum diſſidiis &
A.C. 451. pugnis, ex *Eutychetis* doctrinâ ortis, Chalcedonem convo-
cavit, quod nobis *quartum univerſale* dicitur. *Eutyches* 2
Archimandrita Conſtantinopolitanus aſſeruerat, *utramque
Chriſti naturam, divinam videlicet & humanam, in ipsâ
ſtatim incarnatione in unum coaluiſſe; propterea unam tan-
tùm in eo dari naturam, & unam tantùm voluntatem.*
Igi-

d) Honeſtam fornicationem vocat Joh. Chryſoſt. c. 31. qu. 1. c. hac. 9.
e) Hieron. contra Jovin. L. I. c. 4. & 5.
f) Canon. Apoſt. 17. & diſt. 32. c. 1. & 2.

3 Igitur qui hoc affirmarent, *Monophyſitæ* primùm, deinde &
4 *Monotheletæ* dicti fuerunt. Decretum in iſto cõcilio fuit: *Chriſtum ejusdem cum Patre ſubſtantiæ eſſe ſecundùm Deitatem: ejusdem ſubſtantiæ & ſimilem nobis per omnia, ſecundùm humanitatem, demto peccato. Vnum eundemq; in duabus naturis, citra confuſionem, mutationem, diviſionem, ſeparationem, diſtantiamque unitis, faciente unaquâque naturâ,* v. Tom. IV. Concil. c. 568.
5 *quod ſibi eſſet proprium, cum alterius communione:* damnatusque *Dioſcorus* Patriarcha Alexandrinus, tanquam Eutychis defenſor & hæreſiarcha: verberibus quoque mulctatus, & in exilium ejectus fuit, alio Patriarchâ Catholico in locum
6 ejus ſuffecto; [88] qui, quòd Imperatoriam ſeu *Regiam* religionem ſequeretur, Arabico vocabulo *Melchita*, hoc eſt *Regius:* cõtradicentes verò *Eutychiani*, deinde *Iacobitæ* à *Iacobo* quodam *Syro* [89], qui eandem ſententiam fortiter defenderat,
7 dicti fuerunt. Atrox exinde in Eccleſiâ Alexandrinâ ſchiſma, cæde atque ſanguine continuatum, in cauſa fuit, ut non ſolùm multò maxima pars Eccleſiæ Alexandrinæ à reliquâ Ec-
8 cleſiâ Catholicâ avelleretur; ſed & Ægyptus ipſa, attritis incolarum viribus, in Saracenorum poteſtatem veniret, qui discordiâ Chriſtianorum uſi, utrosque oppreſſerunt; ut exiguum, proh dolor! veſtigium Chriſtianæ Religionis nunc in Ægypto ſuperſit. [90] Hæc atque alia talia ſcriptores noſtri.

9 Æthiopes autem referunt: *Dioſcorum, ejusque ſucceſſores atque iſtorum ſectatores, graviter de injuria illata queſtos fuiſſe; illum enim, neque Eutychetem ſecutum: neque divinitatem aut humanitatem in Chriſto realiter exiſtentem un-*
10 *quam negaſſe, aut confudiſſe; naturæ duntaxat vocabulum, divinitati atque humanitati Chriſti commune, agnoſcere no-*
11 *luiſſe: atque id unicè caviſſe, ne contra Eccleſiæ Catholicæ mentem, & concilii Oecumenici Epheſini placita, duæ perſonæ Chriſti aſſererentur; id enim ſecuturum, ſi duas naturas,*
12 *duasque voluntates in Chriſto admitteremus.* Deniq; *vocabulum* (φύσεως) *naturæ natum vel creatum quid ſignificans, divinitati nullatenus quadrare: neque duas voluntates, duabus naturis in unâ perſonâ citra diviſionem, ſeparationem,*
13 *aut diſtantiam unitis, animo concipi poſſe: neque humanam naturam in ſtatum gloriæ exaltatam, idem ampliùs velle, facere, aut pati, quod in ſtatu exinanitionis voluerit, fecerit, aut paſſa fuerit: adeoque in præſenti ſtatu gloriæ humanita-*

 tem

tem nihil velle neque ſentire, quod non ſimul velit & ſentiat
3,13,22. *divinitas. Denique auditâ nunc clariùs noſtrâ ſententia, otio-* 14
ſam ſibi videri iſtam quæſtionem[g], *& meram* λογομαχίαν, *ob*
quam Chriſtianos ſe invicem odiſſe non oporteret. Chalcedone 15
à verbis ad verbera ventum, pugnatumque magis quàm diſputatum. Dioſcorum verò neque auditum neque intellectum ſatis, abſentem, tanquam contumacem & hæreſeos reum odio & invidia magis, quàm jure condemnatum fuiſſe. Hæc & 16
ſimilia cùm Gregorium diſſerentem audirem, paulò attentiùs animum ad hanc rem applicare cœpi, num iſta forſan ex ſuo ingenio & opinione: vel ex mente doctorum & librorum patriæ ſuæ elocutus eſſet.

N.G.I,28. Primo itaque reperi omni dubio carere, quòd Habesſi- 17
ni *rejiciant concilium Chalcedonenſe*, quamvis neſciant, quid in eo contineatur; cum canones ejus nunquam acceptarint, neque deſcriptione dignati fuerint. In illud tamen & patres 18
ibi congregatos, ex veteri falsâ perſuaſione, acerbiſſimis & injurioſiſſimis verbis invehuntur, ማኅበረ ፡ አብዳን ፡ *Conventũ ſtultorum* vocantes, & ከለኬዶናውያን ፡ *Chalcedonenſes* hereticis ac maleficis accenſentes, & tamen, ut mox dicemus, Eutycheten damnantes (91). Secundo obſervavi eos in hoc er- 19
rore eſſe, quaſi Patres concilii Chalcedonenſis hypoſtaſin Chriſti dividere, & contra præcedens concilium Epheſinum ex unâ *duas perſonas* facere voluerint, quod & adhuc Latinis affingunt[h]. Hanc ob cauſam damnant *Leonem Papam*, & 20
in cœlum extollunt ſuum *Dioſcorum*, tanquam orthodoxæ fidei hyperaſpiſten, qui juſto zelo diploma Leonis ad ſe datum dilaceraverit: eumque martyri aſſimilant, ob accepta verbera, excuſſos dentes, & evulſam barbam; ſic enim Poëta 21
in Encom. VII. Septemb. 4, 6.

(Marginal notes: Encom.13. Nov.1,3. ጸ፡ር፡)

ሰላም ፡ ለዲዮስቆሮስ ፡ ሀይማኖተ ፡ ንጉሠ ፡ ዘተሳለቀ ፡
ተዋህዶ ፡ እምላከ ፡ ወሰብእ ፡ ለመ ፡ ለ፪ነፈቀ ፡
ያስተጸንዕ ፡ ህየ፡ ኢለ ፡ ሀለው ፡ ደቂቀ ፡
ዘተነጽየ ፡ እምነ ፡ ጽሒም ፡ ወእምአስናኒሁ ፡ ዘወድቀ ፡
ፋሬ ፡ ሀይማኖት ፡ ፈነወ ፡ ብሔረ ፡ ርሑቀ ።

Salutem Dioscoro *Religionem Regis* (i.e. Melchitarum) *qui irriſit,* *Vni-*

g) Rex ipſe Baſilides, cùm Patriarchæ cauſas diſcordiæ cum Eccleſiâ Romanâ exprobraret, de controverſiâ ſuper duabus in Chriſto naturis, ita ſcripſit: *Lis de hac re non eſt magni momenti; neque iſta fuit cauſa diſſenſionis.*

L.I.c.28. p.172. h) Hoc eſt, quod referente P. Nicolao Godigno P. Petrus Pays ex Æthiopiâ ad Goanos ſocios ſcripſit: *Abaſſini in eâ ſunt opinione, quatuor nos in divinis aſſerere perſonas quia duas in Chriſto naturas confitemur,* &c.

Vnitatem Dei & hominis dum (Rex) *in duo divisit.*
Vt confirmaret (eos) *qui ibi erant, religionis suæ alumnos.*
Quod evulsum erat è barbâ suâ, & è dentibus suis qui exciderant,
Ceu fructum fidei suæ misit in regionem longinquam.

22 Propterea in cœlo illi manere asserunt

ዓስበ፡ ቀራኒሁ፡ ወጺቆ፡ | condignum *præmium dentium excus-* Encom. d. l.
ወንጻይ፡ ጽሕሙ፡ | *sorum, & barbæ evulsæ.*(92)

23 Tertio animadverti quòd expreßè *damnent Eutychetem* ut hæreticum; contra verò *laudent Timotheum*(93) Patriarchā Alexandrinum, (quem in Concilio VI. generali condemnatum nostrates scribunt) cujus doctrinâ convicti fuerint secta-
24 tores Eutychetis. Sic enim idem Poëta, Chalcedonensium hostis aliàs acerrimus, de eo scribit: Encom. 13. Febr. 2, 4.

ውዕዩ፡ በነደ፡ ቃሉ፡ እለ፡ ተ | *Cremati fuerunt flammis verborum*
አምኑ፡ በትምህርቱ፡ ለዐላ | *ejus, qui crediderunt doctrinæ hære-*
ዊ፡ አውጣኪ። | *tici Eutychetis.*

25 Quamquam Gregorius, de isto interrogatus, mihi responderit:

ቦ፡ ዘይብል፡ ቶስሐ፡ | *Sunt* (in Æthiopiâ) *qui dicunt Eutychetem*
አውጣኪ፡ ወቦ፡ ዘይ | *confudisse* (sc. duas in Christo naturas) *&*
ብል፡ ኢቶስሐ። | *sunt qui dicunt, non confudisse eas.*

Sic quidem Eutyches, sed error ejus non defenditur ab Æthiopum nonnullis.

26 Quarto constat ex multis locis, quòd utrumque abstractum & መለኮት፡ *Divinitatem* & ትስብእት፡ *Humanitatem* conjunctim in Christo apertè confiteantur; (94) quid autem hoc aliud est, quàm agnoscere duas simul naturas in Christo? Videat Lector infra epistolam responsoriam Basilidis Regis 3, 13, 22. ad Patriarcham Romanum, post defectionem à Latinâ religione datam.

27 Quintò ipse *Tellezius* ex relatione Patrum Societatis p. 63. a. & testatur *utramque naturam reperiri in illorum libris*, & im- p. 306. & 330. putat contumaciæ, quod verbis non voluerint agnoscere ve-
28 ritatem Catholicam, quam reipsa in libris suis doceant. Ad- L. V. c. 24. dit: *Catholicos Habessinos ab hæreticis persecutionem passos,* p. 421. *in extremis dixisse*: DEUS & HOMO: *atque hoc ipso fidem*
29 *Catholicam, & duas in Christo naturas asseruisse.* Jam autem teste Susneo, in oratione ad suos habitâ, omnes Habessini fatentur: *Christum esse verum Deum, & verum homi-* 3, 10, 72.

 nem.

nem. Ergo ſecundùm ipſos Patres Societatis fatendum, omnes Habeſſinos agnoſcere duas in Chriſto naturas.

Sextò notandum, vocabula quibus Græci utuntur, & 30
quæ Latini in his arduis fidei quæſtionibus imitati ſunt, nempe οὐσία *eſſentia* : ὑπόςασις *ſubſtantia* vel *ſubſiſtentia* : πρόσωπον *perſona* : φύσις *Natura*, apud Æthiopes per alia valdè æquivoca exponi;[i] quare mirum non eſt, tot errores exinde naſci. Nam 31
ህላዌ : modo *eſſentiam* ſignificat : modò *hypoſtaſin* ſeu *per-*
R. ሀለወ: *ſonam*, ut in Lexico noſtro manifeſtum fecimus. Retulit autem mihi Gregorius, *eſſe qui dicant* in Chriſto dari ክልኤቱ: ህላዌያት : *duas eſſentias*, ſcilicet *divinitatem* & *humanitatem*, quòd unaquæque natura ſuam propriam habeat, & retineat eſſentiam : alios verò, ne inciderent in errorem Neſtorii, 32
vocabulum ባሕርይ : quod propriè *Margaritam* ſeu *Unionem* ſignificat, adhibere maluiſſe; dicentes: *in Chriſto dari* ክልኤቱ: ባሕርያት : *duas ſubſtantias*. Imitatione Arabum, qui ſuum جوهر *Margarita* etiam pro *ſubſtantia* accipiunt. Id 33
rurſum aliis diſplicuiſſe, cum vocabulum iſtud, non minus æquivocū ſit; quia etiam ὑπόςασιν ſeu *perſonam* ſignificat, vel-
Comment. uti cum de Filio Dei dicunt : ዘተወልደ : እምባሕርየ: ለአብ : *Qui* 34
MS. de vita Mar. virg. *natus eſt ex ſubſtantia Patris.* Sic autor Computi cujusdam Eccleſiaſtici manuſcripti in fine addit :

ዘሀለው፡ ስምዐት፡ በአ	*Qui teſtes fuerunt unius* Personæ *Chri-*
ንተ፡ ፩ ባሕርይ፡ ለክርስቶስ፡	*ſti* (Alius fortaſſis hunc locum accipe-
ስኖዶዮስ፡ ሊቀ፡ ጳጳሳት፡	ret de unâ naturâ in Chriſto) *Synodius*
ዘእለእስክንድርያ።	*Patriarcha Alexandrinus* &c.

Ex quibus colligitur, cùm nos ex Chalcedonenſi Concilio de naturâ diſputamus, illos loqui de perſonâ. Hodie pro 35
perſonâ voce አካል : tanquam minùs æquivocâ plerumque
3,5,90. utuntur, ut in quæſtionibus catecheticis Gregorii videre eſt. Reperitur quoque vocabulum ገጽ: πρόσωπον *perſona*, quod ma-
3,5,25. lè *Faciem* verti diximus. Quæ dum lego atque mecum per- 36
pendo, video confuſa atque perplexa eſſe omnia : nullum certum quæſtionis ſtatum : & vocabula ſupra modum æquivoca. Fortaſſis Eutyches ipſe, qualisnam natura ex duabus facta ſit? quodnam illius nomen? quævé qualitates, dicere non potuit. Tam enormiter verò ſtultum fuiſſe, ut naturas in Chriſto ita confuſas putaverit, ceu *aquam cum vino*: atque in opinione tam abſurdâ aſſentientes habuiſſe plurimos ſapientes viros, id ferè omnem fidem excedit. Æthiopes certè tam

i) Notum eſt Brocardicum vetus: *Errorum genitrix eſt æquivocatio ſemper.*

tam crassæ hæresis rei non sunt. Quam ob causam fateor, me
non capere, quænam disputationes illæ crebræ fuerint, quas
Patres Societatis cum Habessinis super duabus naturis in
Christo habuerunt; in quibus eos semper succubuisse dicunt,
37 libris suis propriis convictos. Quod utique facile credide-
rim, cum supra dictum sit, illos divinitatem & humanitatem
38 Christi libentissimè fateri. Quod autem ex contumaciâ &
hæreticâ pravitate contradixerint, & propterea libentiùs sup-
plicia, exilia & bella pati voluerint, id demum creditu difficile
est. Mihi similius vero videtur, verbis convenire non potuis-
39 se. Si enim priùs illis explicaveris, nos per naturas in Christo,
tam divinitatem, quàm humanitatem illius intelligere, & de-
inde interrogaveris: *Quænam natura in Christo defecerit, si-
quidem illi unam tantùm agnoscant?* certissimè responsuri
sunt: *neque divinitatem, neque humanitatem defecisse, sed
40 utramque durare, & in æternum manere.* Sic constabit, il-
los vocabulum *naturæ* longè aliter ac nos accipere, & verum
quæstionis statum apud Habessinos in eo consistere: *an, &
quo communi nomine utrumque abstractum*, quod indubiè
41 admittunt, *nominandum sit?* Quia autem P. Tellezius non
exprimit, quâ linguâ in disputando usi fuerint, (nam nec La-
tinè nec Lusitanicè callent Habessini) quibus vocibus *essen-
tiam, personam*, & *naturam* expresserint: quomodo voca-
bula sua nimium certè æquivoca explicuerint, aut descripse-
42 rint: & quomodo interpretes illa reddiderint: an, ut dixi, de
communi nomine convenire non potuerint: an vocabulum
جوهر *substantia* displicuerit, ita ut negent *duas* in Christo exi-
stere *substantias*, verentes, ne hoc idem esset ac duas asserere
43 personas; id ulteriori indagationi relinquo. Istud saltem li-
quere puto, nullam de commixtione & confusione natura-
rum in Christo, *(quæ Eutychetis hæresis fuit)* controversiam
cum Habessinis extitisse. B. Tellezius illius nunquam memi-
nit; id solùm creberrimè inculcat: *Æthiopes unam tantùm* L.V.c.24.
naturam: (non dicit quam vel qualem) *Patres verò duas de-* p. 471. & alibi.
fendisse, divinam *videlicet &* humanam. Ipsamque Eutyche- L. I. c. 36.
tis hæresin non aliter describit, quàm quòd *unam solam na-* p. 90. b.
turam, & unam solam voluntatem in Christo docuerit. Inte-
rim in tantâ vocabulorum Æthiopicorum varietate & am-
biguitate integrum mihi non est definire, quod potissimum
44 nostro sensu pro vocabulo naturæ adhibendum sit. Nam

Jacobitæ vocabulum Arabicum طبيعة *Tabia*, Æthiopicum ጠባይዕ: *Tabajε*, quod aliàs voci φύσις *natura* reſpondet, & Coptis ϮΦⲨⲤⲒⲤ *DPhyſis* vocatur, duntaxat de rebus creatis, 45
& in ſpecie de elementis uſurpant, & ob id divinitati accommodare nolunt. *Melchitæ* verò uti & Grçci alio vocabulo deſtituti, ſine ſcrupulo id faciunt. Hinc illa pugna. Sic enim 46
loquitur *Eutychius* Patriarcha Alexandrinus Melchita: in Chriſto ſunt

Annal. T. II. p. 149.

جوهران جوهرا لاهوتيا وجوهرا ناسوتيا قوما واحد لكل جوهر طبيعة فذلك جوهران طبيعتان قوام واحد ☸	*Subſtantiæ duæ, ſubſtantia divinitatis & ſubſtantia humanitatis; at perſona una: unicuique ſubſtantiæ eſt natura; & ſic duæ ſubſtantiæ duæ naturæ, perſona una.*

Eapropter in Ægypto, ubi infauſtum iſtud diſſidium adhuc 47
durat, *Cophtitis* Arabicè dicentibus مشيه واحد طبيعة واحد *Mashiah Wahid: Tabia Wahid. Voluntas una, natura una.* Melchitæ reſpondent: مشيتان طبيعتان *Mashiatân tabiahtan Voluntates duæ: naturæ duæ*[95]. Inſignis quidam vir ex no- 48
Pet. Heyling. Lubec. ſtratibus, qui, anno 1634. in Ægypto moratus, Cophtitarum libros evolverat, cenſuit: *Diſſenſum partium magis in metu ſequelæ, quàm in re ipſa conſiſtere. Græcos enim obviam ire* 49
velle hæreticis, qui divinitatem & humanitatem Chriſti confundunt vel commiſcent: Cophtitas verò illis, qui duas in Chriſto fingunt perſonas. Quod ſi res ita ſe habeat, ut de ſenſu 50
tantùm verborum, vel olim pugna fuerit, vel nunc adhuc ſit, nullum certè tam acerbum genus lachrymarum daretur, quod ſufficeret ad deflendam infelicem iſtam *logomachiam*: nullum pectus tam durum, quod non lugeret infauſtas con-
Joh. 15, 12, 13 tentiones eorum, quibus Chriſtus arctiſſimum charitatis vinculum ſuo exemplo tam ſollicitè commendavit: nulla mens tam immittis, quæ ob naturæ vocabulũ concordiæ nexum vere velit inter eos, quorum naturam verbum æternum in ſacroſanctam ſuam hypoſtaſin aſſumſit. Verum enim verò 51
ut eſt corruptiſſimæ naturæ noſtræ infirmitas, ubi ſemel cœperit ambitio, ex ambitione æmulatio: ex æmulatione invidia: ex invidiâ odium, animus ab affectibus occupatus, verum non amplius providet, ſed, quaſi auribus atque oculis obſtructis, neque audit, neque videt, quomodo vel quâ mente aliquid ab alterâ parte dicatur vel ſcribatur. Sed nos pluribus de hac controverſiâ diſputare ſuperſedemus, donec plures

plures Cophtitarum Habesſinorumque libros, quibus hucusque deſtituti fuimus, inſpiciamus, atque ex iis, quibus verbis atque argumentis ipſi utantur, ſufficienter cognoſcamus.

CAP. IX.

De contentione quæ Habesſinis interceſſit cum Eccleſia Romana, præſertim cum Patribus Societatis Jeſu usque ad initium hujus ſeculi.

1. Melchitarum & Jacobitarum *Patriarchæ*. 2. Hunc ſecuti Habeſſini; ſic 3. à Græcâ & Romanâ Eccleſiâ avulſi. 5. Papam tamen Romanum noverunt. 6. Epiſtola *Alexandri* III. ad Regem Æthiopiæ. 9. *Zera-Jacobi* legatio ad *Eugenium* IV. 10. & *Davidis* ad *Clementem* VII. cui Alvarez obedientiam illius nomine pollicitus eſt. 11. Quod gratum Pontifici accidit. 14. *Johannes Bermudes* à Paulo III. confirmatus fuit, qui 16. Habeſſinos Romæ bene habuit. 18. Hinc ſpes, hoc Regnum Eccleſiæ Romanæ ſubjici poſſe. 19. Annitente *Ignatio Loyolâ*, *Nonio Barreto* Patriarchæ. 21. *Andr. Oviedus* adjunctus. Hi 22. animum Regis exploratum 23. præmiſerunt quosdam: 25. qui tandem ad *colloquia* admiſſi, de religione *disputaverunt* cum Rege: 27. qui à Luſitanis ſibi *metuit*. 33. *Barretus* in Indiâ manet. *Oviedus* præcedit 34. bene exceptus in Habeſſiniâ. 35. *Proceſſiones* reciprocæ. 37. *Claudius* moderatè egit. 38. Sacra Latina permittit. Oviedus plura cupit. 41. Rex cunctatur: nec 42. epiſtolâ Oviedi movetur: 47. *Colloquia* ſacra concedit, 48. de quibus nonnulla Tellezius refert. 51. Scriptis nihil proficitur. 54. *Aſpera* Oviedus *remedia* tentat, ſed fruſtra. 55. Claudio frater ſucceſſit, 56. qui indulta Luſitanis revocavit, & 58. mortem Oviedo minitatus eſt; 60. ut *Fremonam* ſecedere coactus ſit. *Malac-ſaghedus* mitior in Luſitanos. 61. Moriuntur omnes eorum Sacerdotes.

1 ORtâ hâc lamentabili discordiâ omnes Alexandrinæ ſedi ſubjectæ gentes in partes, viribus ferè æquales, disceſſe-
2 runt. Quælibet enim factio peculiarem Patriarcham ſibi elegit[k]. Græci generis Chriſtiani, quique in clientela & poteſtate Imperatoris Conſtantinopolitani erant, *Melchitarum:* cæteri, qui μεσογεῖα (ut vocant) ſeu *intima Africæ* incolebant, ac inter eos *Axumitæ* (ut tunc *Habeſſini* vocabantur)
3 *Jacobitarum* Patriarcham ſecuti ſunt. Sic à Græca non tantùm, ſed & à Romanâ Eccleſiâ avulſi, nullam vel exiguam
4 illius cognitionem habuêre. Poſthæc gliſcente Saracenorum potentiâ: & occupatâ Ægypto, commercia bonarum artium cũ noſtri orbis Chriſtianis prorſus interciderunt. Pon-
5 tifices tamen Romanos ex actis conciliorum priſcorum noverant & ceu Principes inter Oecumenicos Patriarchas ſuſpiciebant. Illi viciſſim datâ occaſione amicitiam ſtabilire nitebantur, quaſi neſcirent Habeſſinos Monophyſitas & Mo-

k) Utrique recenſentur in Hiſtoriâ Saracenicâ Elmacini.

Monotheletas eſſe, atque condemnati Dioſcori partes ſequi. Baronius ex Rogerii Annalibus Anglicanis epiſtolam Ale- 6
A.C.1177. xandri III. edidit, cujus titulus eſt: *Chariſſimo in Chriſto Filio,*
n.32.&ſeqq. *illuſtri & magnifico Indorum Regi, ſacerdotum ſanctiſſimo,* &c. quam ille putat ad Pretejannum, in Æthiopiâ longè latèque regnantem, datam. Nimirum cum Baronius iſta ſcribe- 7
ret, Habesſinorum Rex pro Presbytero Johanne habebatur; at tempore Alexandri III. Aſiatico Regi id nominis competebat: nec niſi ſub finem ſeculi decimi quinti Habeſſinorum
2,1,9. Regi à Luſitanis impoſitum fuit, ut ſupra docuimus: neque ex totâ illâ epiſtolâ elici quicquam poteſt, quod in Africam vel Æthiopiam vel gentem Habesſinorum ſpeciatim quadret: etiam quid ſecutum fuerit, Baronium latet. Putat qui- 8
dem eâ occaſione *Eccleſiam S. Stephani* unà cum ejus habitationibus poſt abſidem Baſilicæ S. Petri ſitam, Habesſinis conceſſam fuiſſe, & tamen neſcit, an ab ipſo Alexandro Papa, an ab aliis Pontificibus id factū ſit [96]. Nobis, ſi vera epiſtola eſt, ad *Aſiaticum* potius *Prete-Janum* quàm Æthiopum Re-
1,1,10. gem directa videtur, licet & iſti Indorum nomine olim vene-
3,2,13. N.G.1,29. rint. Porro ſunt qui ſcribant, *Avenionem ad Clementem V.* 9
legatos ab Habeſſinis veniſſe. Nec dubitatur de legatione,
B.T.1,36. quam Imperator *Zera-Jacobus* ſub finem concilii Floren-
p.90.b. tini [97] A. 1439. ad *Eugenium* IV. miſit, nullâ re memorabili geſta. Gregorius quidem nihil de eâ noverat, niſi quòd Legatum cum comitatu ſuo Romæ depictum vidiſſet, atque ex habitu populares ſuos agnoviſſet.

Superiore ſeculo *Franciſcus Alvarezius* Luſitanicæ le- 10
gationis in Æthiopiâ ſacerdos, literas à *Davide* ad *Clementem* VII. attulit, quas Pontifici Maximo, in publico omnium purpuratorum conſeſſu, *Imperatore Carolo* V. præſente, ſo-
A.C.1533. litâ Europæorum ſubmiſſione obtulit: ſimulq; reverentiam atque obedientiam Æthiopiæ Regis nomine pollicitus eſt. Gratisſimum id Pontifici accidit, quòd, dum in Septentrio- 11
ne nationes integræ à ſede Romanâ deficerent, in Oriente & Meridie novæ illi ſubjicerentur. Quam ob rem nec manda- 12
tum Alvarezii, nec verba epiſtolæ ſcrupuloſè examinata: neque anxiè disquiſitum fuit, cui Eccleſiæ vel religioni Rex ipſe eo usque addictus fuiſſet, ut, ſi opus eſſet, à reatu hæreſis priùs canonicè abſolveretur. Nam, ut mox dicemus, Habeſſini 13
mentem Regis ſui poſtea longè aliter interpretati ſunt. Inte- 14
rim.

rim ſpecies quædam amicitiæ diu manſit; cùm enim *Johan-*
nes Bermudes Romam veniſſet auxilia petitum pro Davide,
ab Adelenſibus aliquoties victo, Papa *Paulus* III. audiens,
quod à Metropolitâ *Marco*, (ut ipſe de ſe ſcribit) ſucceſſor
nominatus, & ſacris ordinibus initiatus eſſet, non dubitavit
illum confirmare, atque ordinationem ſchiſmatici præſulis
15 ratam habere. Erant eodem tempore Romæ boni quidam
viri Habeſſini, qui Novum Teſtamentum cum Liturgiis ſuis 3, 4, 8.
16 Æthiopicè imprimebant; illos Papa non tantùm tolerabat,
ſed & ſumtibus juvabat: atque illi viciſſim benevolentiam
Romanorum, munificentiam ſummi Pontificis, filiæque il-
lius ſpiritualis *Hieronymæ Farneſiæ* mirum in modum lauda-
bant, [l] eumque tanquam caput & Principem omnium Or-
17 thodoxorum extollebant [98]. Quin & *Pius* V. datis ad *Me-*
nam, Romanis infenſiſſimum, literis, *Chariſſimum Filium*
eum nuncupavit; ſive odium illius erga Latinos neſciens,
quod mirum: ſive illum blandis titulis, quod P. Nicolaus L. I. c. 29.
18 Godignus putat, allicere volens. Eapropter nonnulli credi- p. 178.
derunt, Habeſſinos omnes eſſe optimæ notæ Catholicos,
ſediq; Romanæ ſubjectos [99]; quorũ credulitatem Tellezius L. IV. c. 12.
meritò perſtringit, & irridet: pleroſque ſpes inceſſit, ingens p. 334. a.
illud Regnum, quod tunc temporis quadruplò majus ac re
ipsâ erat, æſtimabatur, ditioni Romanæ Eccleſiæ nullo ne-
19 gotio adjici poſſe. [m] Inprimis fundator Societatis Jeſu P. Igna-
tius Loyola ad id efficiendum totâ ferebatur cogitatione; &
primò ipſe proficiſci & converſæ Æthiopiæ lauream repor-
20 tare flagrantiſſimè cupiebat. [100] Id cũ non indulſiſſet ei *Julius* B. T. II, 21.
III. tamen cum eò egit, ut, annitente *Johanne* III. Luſitaniæ
Rege, præter inſtituta Societatis, ex ſodalibus ſuis *Johanni*
Nonio Barreto dignitas Patriarchalis conferretur, quamvis Ibid. c. 20.
jam eſſet in Æthiopiâ hoc titulo à Pontifice ornatus *Johan-*
21 *nes Bermudes* [101]. Adjunctus illi fuit *Andreas Oviedus* Epi-
ſcopus, quò ſi Barreto humanitùs quid accidiſſet, ſucceſſor

l) In Epilogo Novi Teſtamenti Epiſtolis Paulinis annexo.

m) Sic enim Damianus à Goëz in Epiſtolâ ad Pontificem Romanum Lovanii An. 1544. impreſſa: *Æthiopum Imperator cum omnibus ſuis Regnis, ſub tuâ diſciplinâ vivere cupit, nec quicquam magis optat, &c. inſuper viros doctos ſibi dari orat, atque exorare avidè affectat.* Autor præfationis Latinæ Novo Teſtamento Æthiopico præmiſſæ inter alia ait: *Sed nos, dum quatuor obſtinatos & inſanos hæreticos, qui ſe à nobis ob petulantiam ſegregarunt, blanditiis, præmiis, minis reducere ſtudemus, numeroſam nationem brachia ad nos tollentem, noſtramque opem implorantem negligimus.* Quàm verè iſta dicta fuerint, ex hiſtoriâ noſtrâ, è relationibus Patrum Societatis deſumtâ, percipi poteſt.

Ibid. c. 25. præstò esset. Hi diversis navibus impositi Anno 1556. in Indiam navigaverunt. 22 Claudius interea Davidi patri successerat, cujus animum priùs explorare consultum visum, quàm Patriarcha casibus vel injuriis objectaretur. Præmissus ergò 23 *Jacobus Dias*, cum Patre *Gonçalo Rodrighesio* & fratre *Fulgentio Freyre* Jesuitis, qui sub initium Februarii Goâ solventes, *B. T. II, 23.* & ad portum Arkikò mensis spacio appulsi, à præfecto maritimæ illius provinciæ benevolè accepti, & post duos menses ad Regem deducti fuerunt. Is intellectô, Lusitaniæ Regem 24 missurum sacerdotes, & viros Ecclesiasticos, qui illum atque populares ejus sacra Romana docerent, graviter perturbatus fuit animo, diuque hæsitavit, quid responderet; neque enim admittere illos consultum rebatur: neque Regem Lusitaniæ offendere volebat. Diversa *colloquia* habita fuerunt, quorum 25 summa ex parte Gonçali plerumque eò recidebat: *Pontificem Romanum, in terrâ Christi Vicarium, omnium Christianorum caput esse, si Habessini salutem assequi vellent, iterum se cum suo legitimo capite conjungerent; ipsum enim Christum voce suâ asseruisse unum tantùm in Ecclesiâ esse ovile, & unum tantùm pastorem, &c.* Habessini contra: *Tantam rem etiam cum aliis Patriarchis deliberandam, & decernendam esse; veteres enim mores ac ritus privato consilio deserere, novosque suscipere, rem esse periculi & offensionis plenam.* Tandem Rex responsum dedit: *Si viri illi, quos Rex Lusitaniæ* 26 *N.G. II, 18. p. 326.* *missurus esset, in Matzuam venirent, adfuturum aliquem, qui eos exciperet, atque tutò ad se perduceret;* ut ex ipsâ Gonzali Rodrighesii epistola, quam in commentario lectori (102) dabimus, [n] constare poterit. Accedebat & metus, ne illum 27 Lusitani, quod plurimis aliis Regibus in Indiâ contigerat, tributarium facerent: & prætextu religionis magnam vim militum cum bombardis & tormentis immitterent: præsertim 28 cum recordaretur, quantas res parva Lusitanorum manus in regno suo paucos ante annos patravisset. Quæ suspicio se- 29 quentibus temporibus adeò crevit, ut cum David Rex de Matzuâ & Suaqenâ insulis occupandis & muniendis (quod utique saluberrimum fuisset) cum Roderico Limæo Lusitanorum Legato seriò egisset, simulque auxilia, commeatum *Alv. c. 82. & 84.* atq; pecuniam liberaliter obtulisset, postea non tantùm ejus rei nulla mentio facta, sed ne quidem auxilium Lusitanorum, quamvis maximè necessarium, ampliùs desideratum fuerit,

n) Extat apud N. Godignum L. II. c. 18. & lectu est dignissima.

30 fuerit, quin *Turcis* potiùs portus *Arkiko*, cum inſulâ, adjacen-
te, aliàs recuperatu facili, in manibus relictus; prorſus quaſi
viam omnem Luſitanis ſtudio præcludere vellent. *tantum
poteſt alienæ dominationis metus!*

31 Cæterum Claudii verba in Indiâ nunciata Patriarcham
Nonium Barretum ejusque ſocios, qui omnia prona atq; pla- *B.T.II, 25.*
na ſibi imaginati fuerant, mirum in modum perculerunt.
32 Poſt longam deliberationem decretum: *ne dignitas Patriar-
chalis, cum detrimento autoritatis Pontificiæ, in contumeliam
Regis Luſitaniæ, cujus auſpiciis veniſſet, apud Regem malè
33 affectum, in caſum daretur. Maneret potius in Indiâ cum
Epiſcopo Nicæno* Melchiore Carneyro, *& ſolus interim iret*
Andreas Oviedus, *eventumque miſſionis ſuæ apud Habeſſinos
34 experiretur.* Sic ille, cum quinque ſociis profectus, ab Iſaa-
co, tum temporis Bahrnagaſſo, bene exceptus fuit. Plebs im-
pendentium ignara, neq; à ſacris Romanis aliena, feſto plau-
ſû, manuumque oſculis & Epiſcopum & ſodales ejus excepit.
35 Illi, occaſioni inſervientes, *proceſſionem* de ſuâ ad Habeſſino-
rum Eccleſiam, quamvis ſchiſmaticam inſtituerunt, atque
viciſſim ab illis viſitati fuerunt, mutuâ charitate & ſine expro-
36 bratione diverſitatis. Adventantem Rex perbenignè excepit,
niſi quòd ægrè ferret de *obedientiâ*, Pontifici Romano præ-
37 ſtandâ, ſecum agi. Nihilominus ut erat prudentiſſimus, & *2, 6, 24.*
imperio omnium digniſſimus (ut *Emanuel Fernandez* P. So- *B.T.II, 26.*
cietatis loquitur) ſemper *moderatiſſimè* cum Epiſcopo age-
38 bat, ita ut nunquam ſpem boni ſucceſſus illi adimeret. In-
terea temporis *ſacra more Romano* liberrimè adminiſtra- *2, 6, 21.*
bantur, neque cuiquam interdictum erat, illa ſequi. Verùm
tantâ benevolentiâ non contentus Epiſcopus, Regem acriter
urgere cœpit, *ut tandem aliquando Pontifici Romano ſe ſub-
39 mitteret.* Ille: *Majores ſuos nulli niſi S. Marci ſucceſſoribus
in ſacris paruiſſe*, inquit: *neque ſe cauſam videre, cur tam
nova poſtularet, populumque ſuum, cum Abunâ ſuo bene
40 contentum, turbaret.* Inſtanti reſpondit: *Quandoquidem è
tam longinquis oris, tam honeſtâ legatione ad ſe veniſſet, ſe
cum amicis atque doctoribus ſuis ſuper re tam ardua conſul-
41 taturum.* Oviedus intelligens, Regem moras nectere: ſi-
mul audiens, matrem Regis cum cognatis Regiis, ut & pri-
moribus atque doctoribus gentis, omnem mutationem pla-
42 nè averſari, epiſtolam ad Regem ſcripſit, in qua in memo- *B.T.II, 27.*

riam illi revocat: *Patrem ejus* Pontificem Romanum *pro Vicario Christi agnovisse, atque viros doctos ab illo petivisse: ipsum Claudium ad Regem Lusitaniæ scripsisse, Regem patrem jussisse, ne* Abunam *aliunde quàm Roma peteret: ipsumque publicè obedientiam Pontifici Romano pollicitum esse.*
*Quod si fortè de quibusdam fidei capitibus dubii quid super- 43
esset, rem in colloquium deduceret, utriusq; partis argumenta audiret; æquum enim esse, ut pars victa alterius veritatem agnosceret & sequeretur: probè perpenderet Rex, quorum 44
consilio in tam gravi causâ uteretur. Non parentum, non proximorum studia spectanda; sæpe inimicos hominis domesticos ejus esse: amorem cognatorũ amori Christi postponendum, 45
qui docendi causâ in templo Hierosolymitano mansurus, ne quidem sanctissimæ matris consilio*[103] *usus fuisset, eoque satis ostendisset in causâ Dei neminem obligatum esse consilia cum proximis communicare.* An & quid Rex responderit, 46
non traditur. Gregorius verò mihi dixit: *Non eum mandatorum & epistolarum Regiarum sensum fuisse, quem* Franciscus Alvarezius & Johannes Bermudes *exteri, & Pontifici addicti, Romæ interpretati fuissent: neque etiam esse potuisse, cum ante Susnei tempora Habessini nunquam sciverint, quid ista obedientia sibi vellet.* Ne verò Rex causæ & doctrinæ 47
suorum diffidere videretur, crebra colloquia permisit, quorum acta à Patribus Societatis evulgata non sunt; id tantùm
L. IV. c. 11. *Tellezius* refert: *rudes & indoctos in omnibus colloquiis ap- 48
paruisse Habessinorum doctores; neq; enim illos unquam Logicæ operam dedisse, neque doctrinam syllogisticam calluisse, neque enthymemata aut confutandi modos intellexisse, neque ullam notitiam habuisse subtilitatum Theologiæ scholasticæ.*
Ex quibus verbis lector de progressu & eventu talium dispu- 49
B.T. II, 27. tationum facilè judicare poterit. Pergit Tellezius: *Claudium, inscitiæ suorum pertæsum plerumque ipsum in arenam descendisse, & non parum negotii Oviedo exhibuisse.* Porro 50
queritur: *Habessinos licet victos, de victoriâ semper gloriatos, ac propterea omnia illa colloquia in irritum cecidisse.* Quare 51
scriptis agere consultius visum; neque Rex detrectavit, aliisque scriptis respondit, sed ea publicam lucem non viderunt.
Cum ergo Oviedus nihil proficeret, nec Claudium tam lon- 52
go tempore in sententiam suam pertrahere posset, *asperioribus* remediis uti decrevit, sed intempestivis. Etenim indigna- 53
tionis

tionis ſignificandæ causâ, aulâ exceſſit: ſimulque edictum
promulgavit, *in quo Habeſſinos multarum hæreſium infamia* B.T. II, 28.
notavit, & Luſitanos ſuos, ut ſibi ab illis caverent, hortatus
54 eſt. Quæ res Claudium non parum offendit; nam animus
liber, nullique ſubjectus, quem rationibus movere non poſ-
ſis, exprobrationibus & vituperationibus magis irritatur;
nedum Rex in regno ſuo, ſe ſuosque ut hæreticos traduci, pa-
55 tienter ferret. Haud ita multò poſt prælio contra Adelenſes
commiſsô occubuit; cui, quod ſine liberis obiiſſet, *Adamas
Saghed* frater ſucceſſit, diſſimilis moribus, & ab illius mode-
ratione & clementiâ diverſiſſimus, ut Luſitani ſuſpirantes
56 Claudii clementiam deſiderarent. Quæ enim ille Oviedo
ejusque religionis ſtudioſis indulſerat, revocavit: nec ulte- 2, 6, 31.
rius permiſit, ut Luſitanorum uxores Habeſſinici generis ma-
ritorum ſuorum religionē ſequerentur, aliaq; acerba contra
57 Latinos decrevit, ſubinde jaciens: *fratrem ſuum propterea à
Deo punitū, quòd non perſecutus eſſet Francorum Religionem.*
uti ferè proſpera vel adverſa procuratæ vel neglectæ religio-
58 ni attribuere ſolemus. Eò etiam aſperitatis venit, ut ipſe vo-
cato aliquando Oviedo mortem minaretur, ſi, ut hucusque *Id. II.* 31.
fecerat, dogmata Romana in regno ſuo ſpargere continuaret.
59 Cum verò non annueret Epiſcopus, *Deo magis quàm homi-
nibus obtemperandum eſſe*, dictitans, quaſi furore percitus,
acinacem ſtrinxit, & ni Regina & primores aulæ cohibuiſ-
60 ſent, violentas manus illi haud dubiè intuliſſet. Deſperatis
ergò rebus Epiſcopus *Fremonam* ſeceſſit, ibique totos tri-
ginta annos delituit, ſuisque Luſitanis, aſſumtô, poſt Barreti
mortem, Patriarchæ titulô, ſacra adminiſtravit, nemine pro-
hibente; quia *Malac-Saghedus* poſt patris fatum longè mi-
tiorem ſe Luſitanis præbuit: neque hi, modeſtiùs agentes, il-
61 lum contra ſe irritaverunt. Verùm clauſo à Turcis Habes-
ſiniæ aditu, captisque vel occiſis in itinere Patribus illuc miſ-
ſis, eò extremitatis redacta fuit Luſitanorum religio, ut om- *B.T. II*, 40.
nibus Patribus vitâ functis, nemo ſupereſſet, qui ſacra Luſita- *A.C.* 1597.
62 nis adminiſtraret. Anno demum vertente *Melchior Sylva-* *B.T. III*, 11.
nus Indus, Eccleſiæ S. Annæ quæ Goæ eſt Vicarius, ac ob id
colore & linguâ occultatus in Æthiopiam venit; qui tam diu
ſacris operatus eſt, donec ſuperveniret *P. Petrus Pays*; poſt
cujus adventum in Indiam reverſus eſt, quamvis aliis ſacer-
dotibus Luſitani deſtituerentur.

CAP. X.

De novâ missione ejusque successibus, usque ad adventum Patriarchæ Romani.

1. Afflictæ Lusitanorum res sacræ in Habessiniâ. 5. Cum novo seculo nova spes, *P. Pays* eò delato, qui 7. pueros Fremonæ instituit cum omnium admiratione, 9. quem Rex celebri famâ ejus motus, ad se vocat, & 10. honorificè excipit: 11. audit disputationes de relig. Missam & concionem libenter. 12. Obedientiam Papæ promittit. 14. Sabbati feriationem abrogat. 15. Literis Pontificis & Lusitan. Regis amicitiam expetit. 16. Odium inde suorum, à quibus occisus. 17. *Succedit Susneus* 18. favens Romanis, 19. Is perspiciens suorum ruditatem, 21. Patrum contra eruditionem, 22. per hos sacra instaurari cupit. 24. Colloquia habentur. 25. Regis frater 26. aliique Romanam religionem amplectuntur. 27. Susneus obedientiam Papæ pollicetur Epistolâ. 32. Solenne colloquium indicit. 33. de duabus naturis in *Christo*, 34. Convicti Habessini eo etiam iterato. 35. Edictum Regis. 36. Monachus inobediens castigatus. 37. Metropolitæ querelæ. 38. Disputans succumbit. 39. Repetitur edictum. 40. Inde concitati Alexandrini, 44. conveniunt. 45. Excommunicant Romanos. 46. Retundit Rex. 47. Sed repetit Simeon. 48. Ille ad arma, 49. quæ deprecantur Proceres & Monachi: sed 53. frustra. Hinc conjuratio. 55. Metropolitæ anathema. 57. Patres vertunt libros Æthiopicè. 59. *Ælius* conjuratorum caput, 61. in castra Regis irrumpens occiditur. 62. Vt & Simeon &c. 64. Sabbatum abrogatur. 65. Apologetica ejus Anonymi 66. edictum exasperat. 67. Exemplum pœnæ. 68. Jonaël Prorex deficit. 69. Rex suorum preces spernit. 70. Oratione acta defendit. 75. Jonaeli obviam it, qui rupibus se occultat. 78. Dein ad Gallanos perfugus, ab iis occisus. 79. Damotensium rebellio & 80. postulata iniqua, 81. à *Ras-Sylaxo* vincuntur, 83. prælio cruento. 85. Rex publicè ad Romanam religionem accedit, 87. & scripto publicat. 89. Novi motus filii Cabraelis: 90. astu Gallani cujusdam è rupibus extractus, 91. occisus est.

NOn latebat Archiepiscopum Goanum, atque Patres Societatis afflictus sacrorum suorum in Habessiniâ status; 1
Itaque cum priùs totius Æthiopiæ conversionem animo præcepissent, jam tantummodo solliciti erant, quo pacto Lusitanis suis consulerent, ne sacris prorsus carerent. Meritò 2
enim scrupulô conscientiæ movebantur, ne, cum de subjectione Abassiæ, quæ ad Diœcesin Romanam non spectabat, cogitarent, Lusitanos sibi subjectos, suæque religioni addictos, perderent. Igitur omni studio huc incumbebant, ut sa- 3
cerdotes submitterent, qui rei divinæ saltem inter Lusitanos præessent. Multi quidem ad id tempus iter hoc tentaverant, 4
3, 9, 62. sed frustra. Solus Melchior Sylvanus, de quo modò diximus, incognitus intraverat. Novo demum seculo nova spes afful- 5
sit Patribus Societatis optatum tandem scopum assequendi. Nam *P. Petrus Pays*, post primum infelix iter, quo variis ca-
B. T. III, 13. sibus jactatus, & captivitatem in Arabiâ perpessus fuerat, secundum in Æthiopiam suscepit, atque feliciter pervasit; quippe regionum, morum, linguarumque peregrinarum gna-

6 gnarus, & aëris illarum regionum patiens erat. *Johannes*[104]
Gabriel tribunus Lusitanorum celebris, de adventu ejus Re-
gem *Jacobum*, tunc rerum potientem, certiorem fecit, eum-
que multâ viri commendatione permovit, ut eum, statim
post hyemem, ad se venire juberet. Sed ille paulo post regno
7 motus *Zadenghelum* successorem habuit. Interim P. Pay- *Ibid. c. 14.*
sius Fremonæ *informandis* Lusitanorum *pueris* deditus, cum
capacia quædam ingenia selegisset, qui libellum D. Marci
Georgii P. Societatis, de doctrinâ Christianâ vernaculè ver-
sum, ediscerent, brevi eos sic instruxit, ut exactè quæstioni-
8 bus propositis respondere possent. Insolitum & mirabile
Habessinis visum, è pueris audire, quæ vix juvenes & adulti
sciebant. Erat enim huic viro ingenium promtū & ad omnia
versatile, non liberalibus modò, sed & mechanicis artibus
instructissimum, cum affabilitate & morum facilitate con-
9 junctum. Igitur fama tam ingeniosi & solertis viri, tamque
felicis doctrinę, per vicinas regiones sparsa, ad novi Regis au-
res brevi pervenit, qui cupidus videndi Magistrum hunc,
10 ejusque discipulos, literis Petrum excivit. Hic mense Aprili
Anno C. 1604. cum duobus pueris Lusitanis in aulam profe-
ctus, magno à Rege honore, tanquam unus ex primoribus
regni, affectus fuit; non sine gravi Monachorum offensio-
ne, quorum inertia, cum solertiâ Petri comparata, plerisque
11 contemtui erat. Statim postero die cœperunt disceptatio- *Ibid. c. 17.*
nes de controversiis religionis, benevolentissimè à Rege au-
ditæ: celebrata quoque fuit *Missa* Romano more, additâ
concione sacrâ; quibus adeò captus fuit *Zadenghelus*, ut,
communicato cum intimioribus amicis consilio, Pontifici
12 Romano se subjicere decreverit. Verùm cùm publicè id fa-
cere non auderet, adjuravit Petrum de non revelandô secre-
tô, ac aperuit illi: *se dictis illius convictum, nullum alium cen-
sere pastorem Ecclesiæ universalem, & Vicarium Christi in
terrâ, præter Pontificem Romanum: negatam illi obedien-
tiam Christo negari, & qui non cum illo faceret, extra Eccle-
siam constitui; propterea decrevisse sese Patriarcham & Pa-
13 tres instruendo populo suo Româ petere.* Ob tam subitam &
improvisam significationem ingenti lætitiâ perfusus P. Petrus
Pays, propositum ejus summis laudibus extulit: nec Rex cun-
ctatus, secretum, quod sub juramento P. Petro crediderat,
14 ipse publicavit, edictô promulgatô, *ne quis Sabbato ampliùs
feria-*

feriaretur, ac plura talia edidit, ut ipſe Petrus feſtinationem
ejus ſufflaminare, & currentem retinere cogeretur. Scriptæ 15
fuerunt *literæ ad* Pontificem *Clementem* VIII. & *Philippum*
III.[105] Hiſpaniæ atque Luſitaniæ Regem: & Petro, ut cura-
ret, traditæ. *In iis amicitiam ſuam offerebat, milites atque*
opifices, nec non Patres e Societate Jeſu petens, qui ſubjectos
ſuos erudirent. Non latebant hæc primores Regni, quibus 16
B.T.III, 19. iſta molimina nimium diſplicebant. Propterea in perniciem
Regis ſui conſpiraverunt, eumque prælio victum occide-
2, 6, 93. runt, ut ſupra memoravimus. Cæſo Zadenghelo magnæ 17
Ibid. c. 22. P. Payſii ſpes collapſæ, ſecutisque ſuper ſucceſſione civilibus
inter Jacobum & Susneum bellis: quievit ſtudium religionis,
2, 7, 32. donec Jacobo interfecto, *Susneus* rerum potiretur. Is P. Pay- 18
ſium cum ſodalibus perbenignè excepit, eique in omnibus
aures benevolas præbuit.

Erant res Eccleſiaſticæ Æthiopum tunc temporis, ut di- 19
3, 6, 49. ximus, afflictiſſimæ, jam ab octoginta annis nulla pax: &
perpetua bella aboleverant penè literarum ſtudia, ut vix eſ-
ſent, qui ſacras literas in templis legerent, nedum abuſibus
& erroribus obviam irent, Metropolitæ, Eccleſiæ hujus 20
primates, homines plerumque ignorantisſimi, Eccleſiam,
cui præeſſent, ceu peregrinam non noverant, & ferè ſacra-
3, 7, 13. rum & profanarum rerum rudes, ſolâ ſacerdotum dignorum
& indignorum ordinatione munus ſuum implebant. Id- 21
circo Rex atque magnates, cum Patrum ſtudia in informan-
dis Habeſſinorum liberis: fervorem in converſione gentium:
eloquentiam in concionibus antehac non auditis: acumen
diſputandi contra doctores ſuos; adhæc ſanctitatis famam
inter Neophytos & Proſelytos tam neceſſariam: varias de- 22
nique artes, in pace utilisſimas, cernerent, tantâ admiratio-
ne & affectu erga eos ferebantur, ut illorum operâ rem ec-
cleſiaſticam reſtitui poſſe, certisſimè ſibi pollicerentur. Da- 23
B.T.IV, 2. tæ quoque à Rege ad *Pontificem Romanum* & *Regem Hiſpa-*
niæ epiſtolæ,[106] quibus auxilia Luſitanorum & amicitiam
regiam expetebat. Ipſe verò Payſius de affectu Regis erga
Romana ſacra pluribus ſcripſit. Crebræ quoque diſputatio- 24
nes habebantur, quarum (ut ſemper aliàs) præcipuum thema
fuit, *de duabus in Chriſto naturis*, quod cum ex ipſis Habeſſi-
3, 8, 36. norum libris, ut ſupra diximus, facilè demonſtraretur, illo-
rum doctores labaſcere, & Patres Societatis ſuperiores eſſe
videbantur. Pri-

25 Primus ex Principibus *Râs-Seelaxus*, Susnei frater uteri-
nus, religionem Romanam publicè professus, & sacrâ cœnâ
26 Romanæ Ecclesiæ ritu palam usus est; cujus exemplum mul-
ti Tribunorum atque Centurionum secuti sunt, maximè
cùm constantem Regis erga Patres Soc. favorem cernerent.
27 Tandem Rex ipse, accepto Pauli V. Pontificis responso,[107]
aliâ epistolâ, d. 31. Januarii Anno 1613. scriptâ,[108] *obedientiam* Id. p. 309.
illi tanquam universalis Ecclesiæ pastori pollicitus est, *seque*
Patriarcham Romà missum admissurum, modò auxilium
militare, valdè necessarium, simul mitteretur, ut arduum hoc
28 *negotium effectui dari posset.* Legatum quoque se missurum
scripsit cum Patre *Antonio Fernandio* aliâ quam antehac usi-
29 tatâ viâ. Sed istud irritum fuisse, supra diximus. Epistolæ 2, 16, 24.
ejus generis plures ultro citroque commeaverunt, quas, quia
magnum in historiâ momentum habent, integras in com-
30 mentario nostro,[109] Latinè redditas, lectori dabimus. Rex
publicè Romanæ religioni favebat, nemine contradicente;
nam æmuli sublati, & ferocissimi Religionis Alexandrinæ
31 defensores per acies ceciderant. Soli Monachi supererant,
32 qui in omnibus disceptationibus succumbebant. Ideò Rex, A. 1613.
ut per universum Regnum manifestaret, non temerè se, sed
maturo consilio, quasi vi veritatis subactum, novæ Religioni B. T. IV, 11.
studere, solenne colloquium instituit, magnatibus plerisque
33 præsentibus. Materia disputationis iterum fuit quæstio *de*
duabus naturis in Christo; quasi ista omnium controversia-
34 rum caput esset & complementum. Sed primò statim con-
gressu victos Habessinos, scribit Tellezius. Sanè bonitas ma- p. 330. a.
teriæ, tot autoribus, tot rationibus subnixa, celerem victo-
riam tribuebat. Nihilominus post aliquot dies repetitum
colloquium, eundem, ut Tellezius ait, habuit eventum. d. l.
35 Quapropter Rex, quasi confecto bello, & triumphante nunc
veritate, edictum promulgavit, ut omnes inposterum crede- Ib. p. 330, b.
rent, atque dicerent: *duas in Christo naturas dari*, scil. *divi-*
nam & humanam, inter se realiter distinctas, sed in una per-
36 *sonâ divinâ unitas.* Nihil curavit hoc edictum Monachus
quidam valde pertinax, qui in præsentiam Regis deductus,
cùm paulò irreverentiùs locutus esset, (ut quidem Tellezius p. 331. a.
scribit) loris cæsus, solus quidem dolores sensit, sed metum o-
mnes, ne datô hoc initio graviora sequerentur; putantes,
eum ob negationem duarum naturarum verberibus mulca-
catum fuisse.

His auditis Metropolita Simeon primò abſens accurrit, 37
acerbè apud Regem queſtus, *talia ſine præſcitu ſuo agitari,*
atque ſe abſente disputationes de Religione haberi. Rex ſatis 38
prævidens illum patribus disputando parem non futurum,
reſpondit: *colloquia iisdem conditionibus illo præſente repeti*
p. 331. *poſſe.* Quod factum; ſed ut Tellezius ait, *Simeon ne verbu-*
lum quidem reſpondere potuit. Atque ſic victoriâ ab ipſo Æ- 39
thiopiæ primate reportatâ, edictum acrius *de duabus in Chri-*
Ibid. in fin. *ſto naturis* per præconem promulgatum fuit, *pœnâ mortis*
conſtitutâ in eos, qui contrarium affirmarent.

Severiſsimo hoc edicto quaſi tubâ pugnæ ſignum da- 40
tum eſſet, immane quantum omnium animi commoti fue-
rint. Plerique controverſiam hanc tanti non faciebant, ut 41
propterea diſſentientes in partes diſcedere oporteret; *omnes*
enim agnoſcere divinitatem & humanitatem in Chriſto, ſed
de vocabulo quæſtionem eſſe. Vtcunque demum iſta quæſtio 42
ſe haberet, talem tamen ſeveritatem in Æthiopiâ inauditam,
à Chriſti ejusque Apoſtolorum manſuetudine, primorumque
temporum lenitate alieniſſimam eſſe; doctrinâ enim & argu-
mentis non pœnis animos erudiri. Si verò homines ideò, quòd 43
duas in Chriſto naturas comprehendere non poſſent, ſupplicio
afficiendi eſſent, quid futurum, ſi ad alia & graviora, quæ in
Patrum doctrina & ritibus nova reperirentur, transire
oporteret. Talibus ſermonibus accenſi, Metropolita Si- 44
A. 1613. meon, proceres multi, & inter eos *Jamanaxus*[o] Imperatoris
frater uterinus, denique Clerici atque Monachi ferè omnes
convenire: de remediis impendentium malorum conſilia in-
ter ſe agitare: & *tandem mortem pro defendenda religione an-*
tiqua oppetendam, dicere. Primò Simeon, tanquam ex of- 45
ficio pro incolumitate Religionis Alexandrinæ vigilaturus,
excommunicationem valvis templi caſtrenſis publicè affixit,
quâ *omnes* tenerentur, *qui Francorum* (ſic Romanæ Religio-
ni addictos vocant) *Religionem ſequi, aut de ea disputare* au-
derent. Rex inopinatâ hac Metropolitę audaciâ graviter of- 46
fenſus, eam tamen vindicare auſus non fuit, aliud tantùm
edictum promulgavit, quo *unicuique libertas dabatur Pa-*
trum religionem, jam disputationibus ſtabilitam amplecten-
di. Sed Metropolita impavidus iterum omnes *anathemate* 47
percusſit *duas in Chriſto naturas aſſerentes.*

Vi-

(o የማን፡ ክርስቶስ፡ *Emana-Chriſtos* Tellezio. p. 332.

48 Videbant & dolebant moderati pleriq; *certamina hæc chartacea in cædes eruptura, nec ſine multo ſanguine immi-*
49 *tia Regis decreta expungi poſſe.* Eo in metu procerum multi, ipſaque mater Regia *Ite-Hamelmala*, inſtantisſimis Regem orant precibus: *deſiſteret cœptis, neque implacabiles in ſe concitaret ſeditiones, cum ſuo Regnique ſui interitu conjunctas.*
50 Paulo poſt Metropolita, multique Monachi atque moniales in caſtra venerunt, ſupplices Regi: *ne quid in Religione innovaret, aliàs ſe pro majorum ſuorum ſacris mortem obire pa-*
51 *ratos.* Rex denuò ad colloquium totum negotium remiſit, idque ad ſextum usque diem continuatum, ſed nihil profectum fuit; clariſſimo rurſus exemplo, DOCTORUM DISCEPTATIONIBUS CONTROVERSIAS SACRAS SOPIRI NON
52 POSSE. Clerici rurſus ad genua Regis provoluti, gemitibus & lachrymis eum obteſtati ſunt: *ne religionem, à tot Imperatoribus in Æthiopia per tot ſecula quietè cultam, immutaret.*
53 Regè inexorabili & immoto, exaſperatis animis diſceſſum, deſperatâque concordiâ, lamentabiles caſus, atroces ſeditiones & cruenta bella ſecuta ſunt, quæ totam ferè Æthiopiam peſſumdederunt.

54 Primi conſpiraverunt *Jamanaxus* modò dictus: *Ælius* B.T.IV,14.
gener Regis, Prorex Tigræ: Eunuchus *Caſlo*, aliique plurimi. Vt autem occaſio turbarum, & ex iis interficiendi Regis,
55 naſceretur, Metropolita novum & ſeverius *edictum* in primario caſtrorum templo affigi curavit, quo *omnes Latinæ religionis participes, excommunicabantur*; ſed intento mortis
56 metu hanc ſuam cenſuram retractare juſſus fuit. Interim Patres Societatis, favore Regis ſubnixi, feſtinare atque parare omnia, quæ ſtabiliendæ doctrinæ ſuæ utilia videbantur.
57 In eum finem aliquot libros, veluti *Maldonatum* in IV. Evangeliſtas: *Toledum* in Epiſtolam Pauli ad Romanos: *Riberam* in Epiſtolam ad Hebræos, aliosque plures in linguam Æthiopicam transtulêre, quos aliqui æſtimaverunt: plurimi verò, ob intermixta vocabula Amharica, tanquam Barba-
58 riſmis & ſolœciſmis plenos, deſpexerunt. Orationem verò Dominicam & ſalutationem Angelicam Æthiopicis quidem literis, ſed Latinâ linguâ deſcriptam,[p] (110) ceu Magica vocabu-
59 la horrebant. Contrà Alexandrini dictis atque ſcriptis Patres Societatis inceſſere, atque verbis altercando gravioribus ma-

p) Reperitur annexa Rudimentis linguæ Æthiopicæ Mariani Victorii, Anno 1631. Romæ editis in 8.

B.T.IV,15. lis præludere. Inprimis *Ælius* propoſito edicto omnes Fran-
cos Tigrâ excedere: Alexandrinos verò ſe ſequi jubet. Mox
comparato exercitu apertè deficit. Simeon adverſarios di- 60
Ib.c.16. ris devovit: Ælium verò multis cumulavit benedictionibus;
quibus ille, credo, fretus, confeſtim prælio contra ſocerum,
cum validâ manu appropinquantem, decernere ſtatuit; fru-
ſtra dehortante uxore, & lachrymis reconciliationem cum
patre ſuadente. Sed ferox juvenis, & factioni ſuorum ni- 61
mium confiſus, ne quidem ſumto jentaculo feſtinans, & qua-
ſi irâ amens, paucis ſtipatus in ipſa hoſtilia caſtra equo vehi-
tur; *ubi Rex eſſet*, rogitans, & ſic inter attonitos, & quid no-
væ rei eſſet, mirantes, illæſus usque ad tentorium Regis pene-
travit; ubi demùm tumultu orto, lapidis ictu cruentus, ſtatìm-
que confoſſus, temeritatis ſuæ pœnas dedit. Milites occiſô 62
Duce ſuô fugam capeſſunt. Simeon, inter fugientes & inſe-
quentes ſtupido ſimilis, diu ſeorſim ſtetit; ſive non obſerva-
tus: ſive ut Clericus neglectus; tandem agnitus & à Regiis in-
terfectus fuit. Capita amborum publico ſpectaculo propo- 63
ſita, & circumcirca miſſa. Eunuchus *Caſlo* capite plexus: Jama-
naxo venia data. Sic *Regum propinqui turbarum pœnas, qui-
bus ipſi cauſam dedere, plerumque effugiunt.*

Hâc victoriâ confirmatus Rex, & ſemper minus me- 64
tuens, alia religionis capita aggreſſus eſt. Paucos poſt annos
B.T.IV,20. etiam *Sabbati obſervationem, tanquam Judaicam & Chri-
ſtianis moribus adverſam*, edicto publico prohibuit. Reſpon- 65
(111) ſum fuit Anonymi cujusdam ſcriptô, contemtim de Religio-
ne Romanâ, & multâ cum inſectatione Patrũ Societatis, quos
Pilati agnatos vocabant, tanquam Româ oriundos ejusque
conterraneos; additâ contra Regem graviſſimâ commina-
tione. In eo *ſcripturæ dicta*, ſed nihil ad rhombum, *turmatim
p.350. allegata fuiſſe*, Tellezius ait. Rex ſcripto hoc magis accen- 66
ſus quàm mitigatus, *edictum de Sabbato* exaſperavit, atque
eo die *arare & opus ruri facere* (id enim potiſſimum inter-
mittebatur) agricolas juſſit; additâ contra transgreſſores mul-
ctâ, prima vice *veſtis unius textæ*, valore Patacæ Luſitanicæ:
ſecundâ vice *confiſcationis omnium bonorum*, utque crimen
iſtud ſeptem annis non præſçriberetur; cujusmodi formula
ſanctionibus gravioribus plerumque inſeri ſolet.

Proœm. V tique vera ſint, neceſſum eſt, quæ de Habeſſinorum 67
p.13.not. naturali pietate ex P. Tellezio ſupra retulimus. Quandoqui-
dem

dem ad neglectum diei Sabbati tam ſeveris edictis cogendi fuerunt: cùm noſtrates ad feriationem diei Dominicæ tametſi gravibus pœnis vix induci poſſint. Cæterum contra *Bucum*, ſtrenuum & clarum virum militarem, propter ſabbati obſervationem exemplum datum, quò minùs alii veniam ſperarent.

68 Occaſionem ex eo arripuit *Jonaël Prorex* Bagemdræ à Rege deficiendi, omnibus, quibus talia edicta non placebant,
69 in partes ſuas tractis. Quamobrem rurſus illuſtres viri atque fœminæ aulicæ, & inter eas multæ Regis cognatæ, flebiliter illum obteſtabantur: *ne ſemet, Regnumque ſuum caſibus exponeret, miſereretur tot afflictorum merâ ſimplicitate atque ignorantia peccantium, neque tam intempeſtivâ muta-*
70 *tione popularium animos turbaret.* Rex paulò commotior, B.T.IV,21.
cum plures ejusdem ſententiæ eſſe animadverteret, ut ſemel omnibus reſponderet, nutantes confirmaret, & adverſantes terreret, nobiles præcipuos & exercitus ſui legatos atque tribunos, nec non monachos & literatos, qui aulam ſequebantur, convocatos, gravi oratione præteritorum commonefecit;
71 (112) inter alia objiciens, *quod Zadenghelum regno vitaque privaſſent, quia relicta Alexandrina, Luſitanorum religionem amplexus eſſet: ſe obtenta contra Jacobum victoria nemini gravem fuiſſe, ignoviſſe potius omnibus; nihilominus ſe quotidiè ſeditiones & rebelliones experiri, mutatæ religionis præ-*
72 *textu, cum eam duntaxat emendaverit. Se enim idem ac reliquos omnes dicere,* CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM VERUM DEUM ET VERUM HOMINEM ESSE; *ſed perfectum Deum eſſe non poſſe, niſi etiam perfectam naturam divinam habeat: nec perfectum hominem ſine perfecta natura humana; cumq; natura divina realiter ſit diſtincta à natura humana, inde ſequi, duas in Chriſto naturas dari unitas in*
73 *una hypoſtaſi verbi æterni. Iſtud autem non eſſe deſerere, ſed declarare religionem. Adhæc ſe abrogaſſe* Sabbati feriationem, *quòd Chriſtianos non deceret obſervare Sabbatum Ju-*
74 *dæorum. Iſta ſe credere non in gratiam Luſitanorum, ſed quod veritas iſta in* concilio Chalced. *decreta, in S. ſcriptura fundata, atque à tempore Apoſtolorum eousq; per manus quaſi tradita fuerit, ſeq;, ſi neceſſe fuerit, propter hanc doctrinam mortem libenter paſſurum, ſed eam prius experturos contradi-*
75 *centes.* His ita dictis affertur *Jonaëlis* epiſtola, de qua refert

P.Tel-

d. l. P. Tellezius, quòd multas ſuperbas conditiones continuerit: inter alias etiam expulſionem Jeſuitarum. Rex in prælio re- 76
ſpondendum ratus, expeditas cohortes proficiſci jubet. Sed rebellis, vim ejus non exſpectans, in rupes inacceſſas ſe recepit, unde elici non potuit. At Susneus, bellandi vetus, defe- 77
ctores, incommoda & inopiam illarum rupium non diu toleraturos, è longinquò obſedit. *Jonaël*, crebris deſertioni- 78
bus debilitatus, ad Gallanos perfugit, qui inter ſe discordes, fidem promiſſam non diu præſtiterunt, ſed clientem hunc ſuum, præmiis ab Rege acceptis, interfecerunt.

B. T. IV, 22. Tam malus ſucceſſus non terruit *Damotenſes*, in auſtra- 79
libus Gojamæ partibus habitantes, qui ad famam *profanati Sabbati*, ut illi loquebantur, cum Eremitis ſuis, in interioribus illius Regni deſertis latentibus, ad arma proſiluerunt; fru- 80
ſtra dehortante *Ras-Seelaxo*, alioquin eorum Patrono, cui omnis amicitiæ nuntium remiſerunt, *niſi libros, à Patribus è Latino ſermone in Habeſſinicum converſos, cremaret, ipſosque Patres de procerâ arbore ſuſpendendos traderet.* Sic de- 81
p. 354. ſperatâ pace, *Ras-Seelaxus* contra illos profectus, licet à magnâ parte exercitus ſui, Damotenſium cauſæ magis faventis, deſereretur, ita ut vix ſeptem millia remanerent; hoſtium verò numerus usque ad duodecim millia creviſſet: confligere tamen ſtatuit, quia milites bello exercitos, & armis melius inſtructos, nec non quadraginta Luſitanos ſclopetis ferè armatos, in caſtris ſuis habebat. Cum ad manus ventum eſ- 83
ſet, prælium quidem Regiis proſperum, ſed valdè cruentum fuit. *Quadringenti* enim *Monachi*, quaſi devoti, acerrimè pugnaverunt; centum & octoginta octo inter occiſos repertis.

B. T. IV, 23. Nondum publicè profeſſus erat Rex Religionem Ro- 84
manam, partim metu, ne populares ſuos in ſe concitaret: partim quòd ægrè à ſe dimitteret uxores ſupernumerarias, &
Alv. c. 59. pellices nobiles, quibuscum, inveterato Regum Æthiopiæ
A. 1622. vitio, conſueverat, multosque ex illis liberos genuerat. Tan- 85
dem verò tot adverſariis rebellibus cæſis, poſitô metu, ſe à priſtinis ſacris Alexandrinis publicè abdicavit: & P. Payſio
p. 356. peccata ſua more Romano confeſſus, ſimulque dimisſis illegitimis, ſolam primam uxorem, cum quâ primos filios genuerat, retinuit. Hoc ſuo exemplo multos alios redarguit, 86
quos non pudebat, contra ſacroſanctam Chriſtianorum do-

ctri-

ctrinam, & bonos cultiorum gentium mores, non modo
87 pellices, ſed & adulteras penes ſe habere. Paulo poſt Rex
converſionem ſuam ad ſacra Romana, magnâ cum repre-
henſione Patriarcharum Alexandrinorum, univerſæ genti
88 ſuæ publico ſcripto manifeſtavit,(113) cujus ſumma erat: *ſe B.T.IV.27.*
Romanam ſedem, desertâ Alexandrinâ, nunc venerari: &
Papæ Romano, ſucceſſori Petri Principis Apoſtolorum, obedi-
re; neque enim ſedem iſtam ſive in fide, ſive in bonis moribus
errare poſſe: poſtremò ſuos, ut idem facerent, hortatur. Præ-
terea *de duabus naturis in Chriſto* fuſè diſſeruit, & *Metropo-*
litas Æthiopiæ ut graviſſimorum criminum reos culpavit.
89 Sed paucos movit exemplum Regis ejusque adhortatio.
Nam ſub idem tempus *filius Cabraelis* novas res molitus eſt, *B.T.L.IV.31*
90 haud meliore fortunâ, ac præcedentes, uſus. Quia cum *Ras-*
Seelaxum advenire audiret, imparem ſe viribus ſentiens, in
rupes fortiſſimas Shewæ ſe recepit, unde non niſi aſtu cujus-
91 dam Galli, muneribus ad id conducti, extractus fuit. Iſte
enim graviter ſe offenſum à Ras-Seelaxo ſimulans, amico-
rum ſuorum auxilia rebelli pollicitus eſt, quæ cum in vico
quodam cum paucis ſuorum præſtolaretur, dolo circum-
ventus ac miſerè trucidatus fuit.

CAP. XI.

De adventu Patriarchæ Romani in Habeſſiniam, & rebus ſub eo geſtis.

3. *Alphonſus Mendez* Patriarcha Æthiopiæ creatus. 6. Inauguratio ejus & iter *Goam*, 7. *Dium*, & 8. *Baylurum Dancalæ* portum, cum 9. itineris ſociis; 10. ubi *miſere excepti, &* 11. habiti in Reguli aulâ. 12. Iter moleſtiſſimum. 13. A Jeſuitâ obviam veniente recreati 14. *Fremonam* pervenerunt, 15. & poſteà in *caſtra Regia.* 16. Rex die definito, 17. habitâ à Patriarchâ *oratione*, 18. datoque *reſponſo* 19. in verba Pontificis *jurat.* 20. Idem à totâ aulâ factum. 21. *Ras-Seelaxi* comminatio ſæva, 22. cum inſolitâ clauſulâ, 23. improbatur. 24. Actus *anathemate* finitus. 25. *Edicta* nova 26. de *ſacris*, 27. *Paſchate & jejuniis* Romanis amplectendis. 28. Etiam *fœminæ* jurare juſſæ. 29. *Sedes* Patriarchalis. 30. *Reſidentiæ* Patrum. 31. Turbæ inter clericos ob *computum* novum. 32. *Baptiſmi* & *Ordinationis* reiteratio. 33. Conciones. 34. *Viſitatio* & *Confirmatio.* 35. Ruſtici dictum jocoſum. 36. *Seminarium.* 37. *Spectra* dramatica vulgo terrori. 38. Defectio *Tecla-Georgii* & furor in *Francos* 39. repreſſus, ejus & ſororis ſuspendio; 40. fruſtrà intercedentibus nobilibus fœminis. 41. A Patriarcha *Præfectus Prætorio excommunicatus*, 42. levi de causâ; ſed 43. petente Rege in gratiam *receptus.* 44. Hinc *Aulicorum* indignatio, 45. quam auxit *Icegi* 46. cadaveris *refoſſio:* 47. & *veneficæ* in carcerem conjectio, Patriarchæ juſſu facta. 48. Putant Habeſſini hodie *nullos* dari *magos.* 49. His *Rex* alienatus à *Patriarcha*; 50. qui antiquam *Miſſæ* formulam indulget, cum autoritatis jacturâ, 51. quæ in dies minuta aulicorum *obtrectationibus*, 52. prædictione *fanatici* cujusdam. 53. Aucta ſuſpicio ſimultatibus 54. & Ras-Seelaxi facto. 55. *Agavvorum* 56. Duce *Mel-*

caxo

saxo seditio: 57. junguntur eis alii. 58. *Infelix* Regis cum eis *pugna:* 59. *felicior* Râs-Selaxi cum *Laecq-Marjamo.* 60. *Kebaxus* à Lastensibus interimitur, 61. ut & *Fekur-Egzius.* 62. *Causam* malorum esse sacra Romana, aulici dicunt. 63. *Melcaxus* pro Rege se gerit. 64. Missi ab eo occisi. 65. *Lastenses* se vindicant. 66. *Ras-Selaxus* accusatus, & 67. bonis privatus. 68. *Patres* Regi *invisi* redduntur. 69. *Indulgentiæ* Jubilæi à quibusdam irridentur 70. ut vanæ. 71. *Sertzaxus* deficit: 72. sed mox captus & fustibus cæsus. 73. Vnus ex complicibus unco suspensus. 74. *Nova* in Lastenses *expeditio* primò felix: 75. secus in fine. 76. Quare denuò Patres sugillantur: 77. qui multa relaxant. 78. Rex *veteres ceremonias* indulget 79. invito Patriarchâ. 80. *Edictum* aliud laxiùs; 81. sed nimis tardum.

LÆtos hos rerum suarum successus Patres Societatis pridem Romam, atque in Lusitaniam scripserant, sed pru- 1
B.T.IV.32. dentissimò consiliò nihil temerè statutum; ne destinatio novi *Patriarchæ*, sicut Johannis Nonii Barreti, rursus in irritum caderet. Cùm verò ipse Rex Susneus suis literis præsulem 2
3,10,27. petivisset, ipsamque Romanam religionem palam professus esset, aulæ Romanæ purpurati non ultra cunctandum putaverunt. Igitur, quasi in provinciam aliquam Lusitanicam 3
p.385. mittendus esset, nominante *Philippo* IV. Hispaniæ, simulq; Lusitaniæ Rege, Patriarcha creatus fuit *Alphonsus Mendez*, insignis vir, natione Lusitanus, Doctor Theologiæ, è Patri- 4
3,9,19. bus Societatis Jesu, quæ Æthiopiam sibi peculiariter reservaverat, tanquam provinciam à se partam & excultam. Ad- 5
hæc æmulationes metuebantur, si ex aliâ natione, vel alio quodam Ordine ecclesiastico eligeretur. Suetis cerimoniis 6
Vlyssiponæ inauguratus, mense Majo Anno 1624. Goam In-
Id. IV. 35. in fin. diæ appulit, & res Societatis in Æthiopiâ ex voto fluere audiens, itineri statim se accinxit. Verùm per æstivos menses, 7
navigationi minus aptos, exspectare coactus, mense demum
Id. c. 36. Novembri illius anni *Dium* perrexit, naves Baneanorum illic reperturum se sperans, quibus in Mare rubrum veheretur. Sed illi, Turcarum avaritiâ anno superiore emuncti, & Arabum piraticam timentes, omnem illuc navigandi animum deposuerant. Difficulter itaque aliis navibus paratis, tandem *Dio* solvit.

Tempestivè verò Regis Æthiopiæ literis monitus fuerat, 8
ne in Suaqenam, neque in Matzuam tenderet, sed *Baylurum* portum Dancalæ appelleret. Eò igitur intendit; *sex* sociis 9
Id. c. 37. comitatus, nempe Patribus *quatuor*: & fratribus *duobus*. Patres erant

1. *Johannes Velascus Castellanus.*

Gregor. 2. *Hieronymus Lobo* i.e. *Lupus*; quod nomen, ne adver-

adverſarii in omen verterent, cum alio quodam in Æthiopiâ commutatum fuit.

3. *Bruno de S. Cruce.*

4. *Franciſcus Marqueſius.*

Fratres erant:

Emanuel Luis, Oeconomus.

Johannes Martinus.

Et *tredecim* alii, videlicet:

Famulus unus.

Quinque *Muſici.*

Tres *Habeſſini.*

Duo *cœmentarii*, cum duobus opificum tironibus, exſtruendis templis & ædificiis; eos enim Patres Æthiopici petiverant. His comitibus natione Luſitanis, (ſi Velaſcum & Habeſſinos excipias,) ſtipatus 3. die Aprilis portum illum tenuit.

Maturè quidem Patriarcha *Dancalæ Regulo* Muhamme-
dano Habeſſinorum amico, ab Imperatore commendatus
10 fuerat; ſed ob tardius iter in oblivionem venerat. Quapro-
pter ſegni, vel nullâ rerum neceſſariarum curâ, miſerè exce-
ptus fuit. Quin hoſpites ſuos, egeſtate avidos, muneribus
explere cogebatur; tantum abeſt, ut ullum ab illis benefi-
cium acceperit. Nec jumenta ſufficiebant, quibus ſarcinas *Id. c.38.*
veherent; plerique pedibus per aſpera & torrida euntes, cum
11 fame, ſiti & æſtu intolerabili conflictabantur. Nec in ipſius
Reguli aulâ per ſedecim dies, multò meliùs habiti: cupidita-
12 tes ejus variis muneribus vix ſatiabant. Poſteà jumentario-
rum improbitatem & avaritiam devorare coacti, per infeſta
Gallanis loca, & oſſibus occiſorum hominum terribilia, in-
13 cedebant; donec, tot tantiſque difficultatibus ſuperatis, P.
Emanuel Barradas cum nonnullis Luſitanis & Habeſſinis *Id. c.39.*
XVI. die Junii in confinibus Tigræ obviam veniret; commea-
14 tu, jumentis, aliiſque rebus neceſſariis inſtructus; quibus re-
creati, Abaſſiæ montes conſcendere cœperunt, ac quinto die
per lætiores gramine campos, & gratiora diverſoria *Fremo-
nam* pervenerunt; ubi hyemem jam cœptam non ſolùm,
ſed & Octobrem & partim Novembrem, inſalubres menſes, *B.T.V,1.*
15 tranſegerunt. Menſe enim Decembri *Gorgoram* venerunt,
ubi Patriarcha, die dato, feſto comitatu, magnoque applau-
ſu in caſtris exceptus, & peractis ſacris in tentorium Regis de-

ductus, in sellâ æquali juxta eum sedere jussus fuit. Inter alia 16
cum Rege pactus est, ut XI. die Februarii Anni C. M.DC.XXVI.
sacramentum Pontifici Romano publicè diceretur.

Id. c. 2. Quo die cum *Rege*, atque primogenito ejus filio *Basilide*, comparuerunt *fratres Regis*, *Proreges* atque *præfecti provinciarum*, quique aliquâ dignitate conspicui erant; positisque duabus sellis magnificis, Rex in dextrâ, Patriarcha Pontificali habitu in sinistrâ consedit, qui magnificam de Pontifice Ro- 17
mano habuit orationem, cum vituperatione præteritorum temporum memorans: *jam olim ab Imperatoribus Æthiopiæ Legatos* Romam *venisse, ipsumque Regem nuper petivisse pastorem & prædicatores Evangelicos; venisse igitur horam, quâ Rex majorum suorum debito satisfacere, seque suosque* Ecclesiæ Romanæ *submittere teneretur.* Rex sum- 18
Id. c. 3. mum aulæ præfectum *Melca-Christum*, Samenæ Satrapam, respondere jussit [115], qui collaudatis Lusitanorum meritis, *animum*, inquit, *Regi esse, promissa majorum de obedientiâ* Papæ Romano *præstandâ, nunc implendi.* Nondum finitâ oratione, Rex interloquitur, dicens: [116] *Se non hoc primùm die obedientiam* Pontifici Romano *præstare, utpote quam diu antehac Patri superiori Societatis Jesu pollicitus fuerit.* Patriarcha, brevi responso dato, librum Evangeliorum explicuit. Rex verò, in genua procumbens, in verba summi Pontificis hoc modo juravit: [117] *Nos* SULTAN-SAGHEDUS, 19
Rex Regum Æthiopiæ, credimus, & confitemur, quòd S. Petrus *Princeps Apostolorum à* Christo *Domino nostro caput totius Ecclesiæ Christianæ constitutus fuerit: & quòd principatus atque potestas in totum Mundum ipsi data fuerit, dum illi dixit:* TU ES PETRUS ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM: ET DABO TIBI CLAVES COELORUM: & aliâ vice, cùm illi dixit: PASCE OVES MEAS. *Similiter credimus*, Papam Romanum *legitimè electum, verum successorem S. Petri Apostoli in regimine esse: eumq; eandem potestatem, dignitatem & primatum totius Ecclesiæ Christianæ tenere. Igitur S. Patri* URBANO VIII. *hujus nominis, per Dei gratiam Papæ & Domino nostro, & successoribus ejus in administratione Ecclesiæ promittimus, offerimus, &* juramus veram obedientiam, *& humiliter personam atque imperium nostrum pedibus ejus subjicimus. Sic Deus nos juvet & sancta hæc Evangelia.* Idem post Regem jurave- 20
runt

runt *Basilides: fratres Regis: Proreges* atque *Proceres omnes:* nec non *Clerici* atque *Monachi* præsentes.

21 Post quæ *Ras-Seelaxus* quoque verba faciens, evaginato, ceu bonô quodam impetu, gladiô, in hæc verba prorupit: *Quod factum factum*[q]; (i.e. præterita transeant) *qui verò inposterum non fecerit, quæ unumquemque facere oportet, hunc experietur.* Sævum hoc plerisque visum, præsertim qui cum defectore Cabraelis filio faciebant, quibus terren-
22 dis id fecisse putabatur. Adhæc insolitam clausulam juramento suo addidit: *Se quoque sacramentum Basilidi, ut successori & Patris heredi dicere: seque fidum illius Vasallum fore, modò ille sanctam Catholicam Fidem tueri, atque defendere velit; aliàs primum atque maximum ejus hostem futurum.* (118)
23 Quasi verò subjecto liceret, absolutissimo Regi & Monarchę omnibus legibus humanis soluto, qualem Habessinorum Regem esse, supra diximus, subjectionis suæ novas conditiones ponere. Sed tacuit Rex: neq; Basilides in potestate patris sui adhuc constitutus, quicquā respondere ausus fuit. Quòd verò hæc conditio juramento adjecta Ecclesiam Romanam nihil juverit, sed potius exitium *Ras-Seelaxo* acceleraverit, in- 2, 9, 14.
24 frà dicemus. Finitus fuit actus anathemate, more Æthiopiæ dicto in omnes juramenti hujus immemores futuros. Et mox 3, 13, 8.
25 secuta edicta: *Ne quis inposterum Missam diceret, aut ullo officio Ecclesiastico fungeretur, sine licentia Patriarchæ.* Ordinationes enim Metropolitæ Alexandrini pro legitimis non habebantur; ideò sacerdotes pleriq; denuò ordinabantur, sal-
26 tem sub conditione. Porro: *ut omnes Sacra Rom. sequerentur, nec quisquam rebellibus receptum daret; qui secus faxit, suppli-*
27 *cio afficeretur.* Injunctum etiam fuit, ut omnes in celebrando Paschatis festo, ut & in observatione Quadragesimę canones
28 Ecclesię Rom. cum Patribus Societatis sequerentur. Præterea, cum Patriarcha *Regii sanguinis fœminis* parum fideret, quæ in opinionibus suis Alexandrinis pertinaciores dicebantur, decretum fuit, *ut illæ quoque certo die juramentum sacrum* præstarent; quasi seorsim à viris Rempubl. aliquam constituerent. An verò & quomodò id factum sit, apud Tellez. non reperio.
29 Prima posthæc cura fuit ædificatio sedis Patriarchalis, & constitutio redituum annuorum, quibus dignitatem suam novus Præsul sustentaret: electusque fuit locus in Bagemdræ Id. c. 4.

 &

q) Æthiopes dicunt, & semper in ore habent: ዘኮነ፡ ኮነ፡ quod factum est, factum esto.

& Dembeæ confiniis *Debſan* dictus: nec non alius in caſtris 30
Imperatoris prope *Dancaz*. Adhæc diverſis in regnis domicilia patribus (*Reſidentias* vocant) exſtructa fuerunt, ut:

	ማይ:ጓጓ:	*Maiguagua* ſive *Fremona*, in Tigrâ.	
	ጋኔተ:ኢየሱስ:	*Ganeta Jeſus* cum pulchro templo.	
	ጎርጎራ:	*Gorgorà*, in Dembeâ.	
	አዛዞ:	*Azazo*,	in Gojama.
Id. c. 6.	እናብእሴ:	*Enabeeſſe*, vulgò Nebeſſe	in Gojama.
	ሐዳሽ:	*Hadaſch*, Adaxa Luſit.	in Gojama.
Id. c. 7.	ቈላላ:	*Kolala*,	in Gojama.
	ልጀ:ንጉሠ:	*Ledꝫ a-negus*,	in Gojama.
	ሰርካ:	*Serca*,	in Gojama.
	ተምኋ:	*Temhhua*,	in Gojama.
	አትኻና:	*Athhana*, in Bagemdra.	

Id. c. 6. *Quadrageſima* illo ipſo anno more Romano celebrari 31
cœpta, cum *ſeptimanæ ſanctæ* ſolennibus, ut & *feſtum Paſchatis* ſecundùm tempora ritualis Romani. Quæ res ingentes turbas per univerſum regnum, maximè inter clericos & monachos, concitavit; qui, & computationis & cauſæ ignari, hôc pactô contra canones concilii Nicæni, & Cyclum Paſchalem in eo præſcriptum, peccari putabant. Neque etiam ob inopiam typographiæ per omnes regiones æqualiter & tempeſtivè edici poterat.

Interim fervebant *baptiſmi* converſorum, & *ordinationes* 32
clericorum, & quidem multorum jam dudum baptiza-
3, 6, 40. torum & ordinatorum; ob cauſas quas ſupra retulimus. *Conciones* 33
quoque ſacræ Europæo more paſſim dictæ, in quibus Patres neceſſe habebant creberrima ſacræ ſcripturæ dicta ci-
3, 5, 16. tare, ſi docti haberi vellent, ut alibi diximus. Sic magis ma-
Id. c. 8. giſque res Patrum Societatis creverunt, ut multa hominum millia omnis ætatis & ſexus numerarentur, tam baptizatorum, quàm ad Romanam religionem converſorum.

Duos poſt annos *viſitationem* inſtituit Patriarcha à ſo- 34
dalibus nonnullis adjutus, quâ rurſus innumeri baptizati; partim etiam confirmati fuerunt; magnô Regis procerumq; applauſu, qui nunquam talia à Metropolitis ſuis factitari viderant: alii contrà felices iſtos ſucceſſus limis oculis aſpiciebant, in occaſiones novarum rerum intenti: quidam etiam apertè reſiſtebant, & Sacerdotes Habeſſinos à Patriarchâ or-
Id. c. 11. dinatos, more Romano Miſſam in Eccleſiis ſuis dicere prohibe-

35 hibebant, quosdam etiam occidebant. *Ruſtici*, Regiis mandatis utcunque parentes, veterem morem plerumque male- *Greg.* bant. Ex quibus unus, accepto in confirmatione colapho, (119) ut ritus fert, à vicino interrogatus, *quomodo valeret? nunquam pejus*, inquit, *quàm poſt acceptam illam à Patriarcha*
36 *alapam.* Adhæc *Seminarium* ſexaginta puerorum, tàm Habeſſinorum quàm Luſitanorum, inſtitutum fuit; quos ut Patres animarent, aliosque allicerent, comœdiam Europæo
37 more egerunt; at cum etiam Dæmonia (dramate ita poſcente) in ſcenam producerent, multi è rudi plebe, tanquam veris ſpectris, ita exterriti fuerunt, ut è ludo ſe foras proriperent, & ወይለኒ፡ ወይለኒ፡ ሰይጣናተ፡ አምጽኡ፡ *Eheu! Eheu! Diabolos adduxerunt*, vociferarentur.

38 At inſecutæ tragœdiæ prudentes magis perterruerunt. Nam *Tecla-Georgius* alius Regis gener, conjugis ſuæ causâ *Id.c.10.* cum ſocero discors, duobus nobilibus viris *Gebra-Marjam* & *Johanne Acayo* in ſocietatem tractis, à Rege defecit, & per *A.1628.* præconem ſolenniter edixit: *Se, Romanis ſacris relictis, Reli-* *5. Nov.* *gionem Alexandrinam armis protecturum.* *Id.c.11.* Vtque ejus rei fidem plenam faceret, ſacra Crucifixi ſigna (quia ſculptilia abominantur) cum roſariis, torulis, aliisque rebus, quibus *p. 439.* cultum ſuum ſacrum Romanenſes exornant, igni cremavit; & quo ſpem omnem reconciliationis fœderatis ſuis adimeret, *Capellanum Abba Jacobum*, qui ſacris Romano ritu o-
39 perabatur, vittâ & ſtolâ ſpoliatum, necavit. Non tulit Rex *Id.c.12.* tantam indignitatem; ſed *Kebaxum* Tigræ Proregem ſtatim cum exercitu miſit, qui inſigni celeritate uſus, rebelli ſecuro & imparato ſupervenit, eumque prælio victum cum ſorore *Aderâ* cepit, quæ cum fratre, quia graviter in Roma- *Id.c.13.*
40 na ſacra debacchata fuerat, de altâ arbore *ſuſpenſa* fuit. Non juverant illam interceſſiones Reginæ, aliarumque Principum fœminarum, quæ mulierem nobilem ſuſpendi, in Æthiopiâ prorſus inauditum, & ſexui ſuo valdè dedecoroſum putabant; præſertim cum viſendo tam triſti & infami ſpectaculo à Rege advocarentur. (120) Miſerebantur enim illius non tanquam innocentis, ſed quòd tali ſupplicii genere plecteretur.

41 Sequuntur alii caſus, qui magnam Patriarchæ atque Patribus invidiam conciverunt, & inter cauſas odii erga Re-
42 ligionem Romanam à Tellezio recenſentur. Patriarcha, ut omne jus ſuum actu quodam exerceret, ſimulque autorita-

tem ſuam oſtentaret, *Præfectum Prætorio*, id minimè exſpe- 43
ctantem, levidenſem ob cauſam, neque ad forum ſuum ſpectantem, publicè in templo, totâ aulâ præſente, diro *anathemate* percuſſit. Id. c. 14. Prædia quædam occupaverat, quæ monachi ad ſe pertinere dicebant, eaque poſthabitis illorum querelis, & Patriarchæ monitoriis, reddere noluerat. Auditâ ergo atrociſſimâ excommunicatione, (121) quâ diris atque furiis omnibus ceu alius *Datan* vel *Abiram* devovebatur, quaſi fulmine de cœlo tactus, deliquium animi paſſus, & penè exanimatus fuit. p. 446. a. Sed illico, intercedente pro eo Rege, (quo conſentiente id factum fuiſſe Tellezius ait) & aliis, qui juxta erant nobilibus, quaſi culpam deprecatus, in gratiam rurſus recipiebatur. Nulla ſanè res altius in pectora aulicorum deſcen- 44
dit; quorum plurimi fremebant: *Eo ſervitutis Eccleſiam ſuam veniſſe, ut præſul externus poteſtatem ſibi arrogaret conſiliarium ſtatus Regium, virum ſenem & clarum, ob prædia litigioſa, quæ Rex quovis momento à poſſeſſore auferre, & veris Dominis, ſi monachi tales eſſent, reſtituere potuiſſet, noxæ inferorum dedendi.*

Id. c. 18. Auxit indignationem alius caſus. Mortuus antiſtes mo- 45
nachorum primarius *Iceghè*, quem ſummæ apud Habeſſinos autoritatis poſt Abbunam eſſe diximus, 3, 3, 26. priſcę Religionis pervicax, in templo quodam, ceremoniis Romanis jam dedicato, ſepelitur. Patriarcha, reprehenſo Præpoſito, *profanatum eſſe templum ſepulturâ hæretici, neque Miſſam in eo dici poſſe*, pronunciavit. Præpoſitus eandem de Datamo & A- 46
biramo ſententiam, quæ Præfectum Prætorio proſtraverat, metuens, non exſpectato novo mandato, refodi cadaver, & foras projici jubet. Indoluère acerbiſſimè Habeſſini, *tantâ ſævitiâ advenas Francos in ſe graſſari*, dicentes, *ut, plus quàm infenſiſſimi hoſtes, ſepulturam defunctis inviderent; reputarent jam omnes, quid vivis ſperandum?* Ibid. p. 456. Addit Tellezius: 47
Veneficam quandam juſſu Patriarchæ in vincula conjectam, ſed mox dimiſſam, quòd id in malam partem accipi intelligeret. Doctiſſimos enim Habeſſinorum cenſere, *nullos ho-* 48
die in mundo ampliùs dari magos aut veneficos, *adeoq; graviſſimam injuriam illi fœminæ, quæ juſſu Patriarchæ in carcerem ducta fuerat*, illatam.

Sic commotis omnium animis, Rex ipſe actus hujusmo- 49
di juriſdictionales, quos Patriarcha ſibi arrogabat, in Maje-

ſtatis

ſtatis ſuæ diminutionem accipiens, (quòd antiqui Metro-
politæ nunquam talia tentaſſent) alieniore ab illo, & Patri-
bus animo eſſe, eorumque adverſariis benevolas aures præ-
bere cœpit. Qui, ut infringerent nimiam Patriarchæ poten-
tiam, intolerabilem ſibi viſam, præſertim quod eum in cer-
tis cauſis *matrimonialibus* Divino & Canonico jure prohi-
bitis: maximè verò in causâ *polygamiæ* & *divortiorum* inex-
orabilem haberent, initium petendi faciunt ab illis, quæ non
50 niſi cum odio ſui maximo negare poterat: nimirum, *ut* *Id. c.19.*
*Miſſam priſcô Æthiopicô more dicere liceret; poſſe enim Pa-
triarcham formulas antiquas, ubi opus eſſet, emendare, ne
totas tollere neceſſe haberet. Populum antiqua audientem
patientiorem fore: nec differentiam inter veterem & novam*
51 *Religionem facilè animadverſurum.* Ceſſit Patriarcha, &
Miſſam Æthiopicam emendavit, ſed cum maximo autorita-
tis ſuæ detrimentô. Nam illius injuſſu lectæ paſſim fuerunt
Liturgiæ antiquæ ſine ullâ emendatione; crebreſcente famâ,
Imperatorem ad priſcam religionem rediiſſe. Sic concuſ-
ſa Patriarchæ potentiâ, aulici Regis auribus creberrimè
inſuſurrabant: *odioſam omnibus factam eſſe religionem Ro-
manam, eumque in ſummo vitæ periculo fore, niſi eam quo-
que deſereret.* Dixerat enim vir quidam potens: *vivimus in
Æthiopiâ, & tamen non habemus Regem Æthiopicum, ſed
Romanum.*
52 Supervenit res, primò ridicula viſa, quæ multis rumo- *Ib.p.458.b.*
ribus cauſam dedit. Fanaticus quidam (123) in Palatio Regis
exclamavit: *ſe à Deo & ſanctiſſimâ virgine Mariâ miſſum,
ut eorum verbis Regi nunciaret, niſi extemplo ad priſtinam
Religionem rediret, intra duas hebdomadas graviſſimas ca-
ſtigationes paſſurum.* Reſpondit Rex: *Se in Religione Roma-
na victurum & moriturum. Nuncium autem, ut iſta citò re-
ferre poſſet, morte ocyùs afficiendum & ſuſpendio necandum
eſſe.* Sed interceſſione multorum, qui eum *mente captum
dicebant*, ſervatus importuni vaticinii pœnam atroci fuſtiga-
tione luit. Sic ab aulicis quidem ludibrio habitus, vulgi tà-
men animos adeò concitavit, ut paſſim evulgarent: *Ange-
lum cœlo legatum, Regem ad reſtaurationem Religionis Ale-*
53 *xandrinæ hortatum fuiſſe.* Interim odium adverſus Patres
eorumque ſacra indies gliſcens, ſimultatibus aulicorum ma-
gis magisque augebatur. Etenim Regem ejusque filium pri-
moge-

mogenitum æmulatione erga Ras-Seelaxum, ſummum Patrum amicum, & maximum Luſitanorum Patronum, ſtimulabant; per ſpeciem confidentiæ monentes: *viderent, ne gloriâ rei militaris, & favore Luſitanorum ad invadendũ Regnum abuteretur.* Augebat ſuſpicionem, quod *Ras-Seela-* 54
xus quendam Leçanaxum, calumniarum & injuriarum in ſe reum, comprehendi, & quamvis ad Imperatorem provocaſſet, occidi juſſerat; non enim ob crimina, ſed tanquam index, & machinationum Ras-Seelaxi gnarus, è medio ſublatus videbatur. Igitur Rex ademtâ agrorum parte (quod etiam indictâ causâ in Æthiopiâ licet) Ras-Seelaxum demovet Gojamâ, cujus præſes erat, ſimulque ſuetis legionibus abſtrahit.

Interim *Tecla-Georgio* ſupplicio affecto, caput defe- 55
ctionis ablatum erat, defectio ipſa durabat: & tanta quotidie incrementa capiebat, ut atrociſſimi & diuturni motus ex eâ
B.T.V.15. ſequerentur. Quippe *Agawi*, montana Bagemdræ gens, arma nondum depoſuerant: adhæc à Regiis laceſſiti, tanquam injurias ſuas vindicaturi, iras retinebant. Quo meliùs autem 56
ſe defenderent, *Melcaxum* Regium juvenem, inter Gallanos jam diu agentem, ad ſe vocant, eumque Ducem ſuum conſtituunt. Is, quo plus virium acquireret, vetuſtæ religionis defenſorem ſemet proclamavit. Ad eum ergo, tanquam ad 57
aſylum, omnes in Regem iniquè affecti, & de Romanis ſacris malè ſentientes, præcipuè Monachi in veteri Religione perſtantes, plurimi denique pagani & agricultores confugiunt. *Laſta* dicebatur rupes munitisſima, ac præcipua rebellium ſedes, unde *Laſtenſes* poſteà vocati fuerunt. Ingens belli moles, in excidium Patrum, totiusque Religionis Romanæ, & tantùm non Regiæ domus eruptura. Rex, contracto viginti 85
ſeptem millium exercitu, contra eos proficiſcitur; ſed improſpera habuit belli initia. Quippe agreſtes illi loco tuti, provolutis ſaxis ingentibus, Regios, contemtu hoſtis incurioſiùs ſuccedentes, turbaverant: dein validâ manu deſcendentes,
p.449.a. alam ſiniſtram totam circumvenerant; ut, niſi *Kebaxus* cum recentibus militibus veniſſet ſubſidio, penitus deleta fuiſſet. Perculſis hac clade militibus, Rex ulterius progredi non auſus, partem exercitus limiti tuendo reliquit, & in caſtra prima ſe recipiens, Ras-Seelaxum fratrem, inter Agawos Gojamenſes exulis inſtar latentem, advocare coactus fuit. At limitanei illi,

illi, sive metu pavidi, sive viribus impares, loco cedentes, Lastensibus occasionem irrumpendi dederunt, ut impunè prædas agere atq; vicinos divexare possent; cum adveniens Ras-Sælaxus illos repulit, atque in rupes suas retrocedere coëgit. A. 1629.

59 Hâc rebellione in Bagemdrâ fervente, *alia in Ambara* cœpit, duce *Laæca-Marjamo*, Regiæ domus propinquo, sed ille celeritate Ras-Sælaxi præventus & fugatus, in rupis præcipitio vitæ finem invenit.

60 Non eadem felicitas contra rebelles contigit *Kebaxo*, Id. c. 16. qui moræ pertæsus, cùm & commeatus & auxilia Regis cunctarentur, in spem venit Lastenses vincendi; & fortè pylas rupium suarum negligentiùs custodiverant, vel astu introitum concesserant, exitum negaturi. Quippe montani illi, rupibus suis assueti & viarum gnari, de improviso supervenerunt, ut receptui locus non esset: deinde novissimum Id. c. 17. agmen atque latera exercitus incursando, Regium Ducem fortiter pugnantem, sed à suis desertum, interemerunt.

61 Hujus &, qui mox secutus est, *Fækur-ægzii* casus, spes Patrum valde afflixit: adversariis verò eorum ansam dedit, Re-
62 gis benevolentiam erga illos subinde imminuendi. Hi enim Id. c. 18. animo illius obrepentes, cùm ob adversa præliorum & crebras defectiones mœstum viderent, in hæc verba eruperunt: *Quis tandem erit præliorum bellorumque finis? Rustici isti non capiunt mysteria sacrorum Romanorum, neque alium intelligunt cultum Divinum, quàm in quo nati & educati sunt. Vocant nos Turcas & Muhammedanos, ideò quod priscis Liturgiis non amplius utimur: propter hanc causam arma ce-*
63 *perunt, & Regem sibi elegerunt.* Quippe eò audaciæ venerat *Melcaxus*, ut successu rerum elatus pro Rege se gereret: & officia aulica, more Regum Æthiopię, inter amicos distribueret; indies enim viribus crescebat: & quicunque Patres oderant, inprimis nobiles Tigrenses, eum clam hortabantur, *insisteret modo cœptis: studia populi & amicorum auxilia non*
64 *defutura.* Sic animatus eò temeritatis processit, ut Proregem, ceu indubius Æthiopiæ Rex, in Tigram mitteret. Delecti illum deducebant, neglectis militiæ muniis, tanquam in pacificam provinciam mitterentur, in itinere epulantes à Regiis subitò invasi, & magnâ clade victi fuerunt, quatuor mil-
65 libus ferè cæsis. Sed *Lastenses*, in ultionem intenti, inter Regios, qui messem circumcirca corrumpere volebant, ma-

gnam quoque ſtragem ediderunt. Itaque variante fortunâ,
cùm autor culpæ quæreretur, Ras-Seelaxus incuſatus fuit, 66
quaſi mandatum Regis exequi tardaſſet, neque laboranti-
bus maturè ſubſidio veniſſet. Tantumque valuerunt ini-
mici ejus, ut conſcriberentur accuſationis capita, quibus re-
ſpondere cogeretur; quod ita præſtitit, ut verbis quidem ab- 67
Id. c. 20. ſolveretur, reipsâ vero condemnaretur, Gojamâ rurſus, cum
prædiis beneficiariis, & magna copiarum parte ademtâ, &
Principi Baſilidi conceſſâ.

Sic rurſus fracto *Ras-Seelaxo*, non difficile erat idem 68
contra Patriarcham & Patres machinari; *Eos enim nihil aliud
agere* dicebant, *quàm ut Regnum, quod jam Papæ Romano
in Eccleſiaſticis ſubmiſiſſent, etiam Regi Luſitaniæ in ſeculari-
bus ſubjicerent. Hunc in finem illos, nomine templorum &
Reſidentiarum, arces & muros ædificare, unde haſtis & ſa-
gittis nunquam expelli poſſent;* aliaque in hunc modum ſug-
gerebant, quibus Rex, ætate jam ſuſpicacior, ſi non fidem,
certè faciles aures præbebat. Publicè tamen eandem comi-
tatem & affabilitatem Patribus adhuc aliquamdiu exhibe-
Id. c. 21. bat: Epiſcopum Româ miſſum Patriarchæ coadjutorem co-
miter excipiebat. Sed cum ille attuliſſet diplomata *Jubilæi* 69
Anno CIƆ IƆ CXXV. Romæ habiti, atque nunc etiam Æthio-
piæ conceſſi, irridebatur à pleriſque, qui tantos theſauros
Id. c. 22. *indulgentiarum*, quantos Patriarcha jactabat, neutiquam
mente capere, nec intelligere poterant. Erant enim (*Telle-* 70
p. 464. b. *zii* verba ſunt) qui inſtar Phariſæorum cœperunt dicere inter
ſe, *quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Quis poteſt dimit-
tere peccata, niſi ſolus Deus?* Sed Rex ſevero vultu reſpondit:
*Claves Regni cœlorum Petro datas, earumque uſum in conce-
dendis indulgentiis Pontifici, ceu illius ſucceſſori, competere.*
Idem Epiſcopus epiſtolas ſummi Pontificis ad Regem, ejus-
que Filium Baſilidem, nec non Patriarcham Alfonſum attu-
lit, quas in commentario noſtro cum lectore communica-
bimus. (124)

Cæterum Habeſſini, quaſi indulgentiæ materiem pec- 71
candi dediſſent, magis magisque ad ſeditiones & turbas
inclinabant. Etenim gliſcente Laſtenſium defectione, *Ser-
Id. c. 24. tzaxus*, Prorex Gojamæ modò conſtitutus, tam malam gra-
tiam Regi ſuo retulit, ut non tantùm ab eo deficeret, ſed &
Principem Baſilidem, deteſtabili conatu, contra proprium
pa-

patrem ſollicitaret. Cùm verò nihil efficeret, alium Regii ſanguinis adoleſcentem ad imperii culmen evehere conatus
72 eſt, ſub cujus nomine regnaret. Verùm id illi infeliciſſimè ceſſit; prælio enim fuſus & captus, fuſtibus ad necem cæſus *Id. c. 25.*
73 fuit. Septem è complicibus ſecuri percuſſi. Vnus è præcipuis illius miniſtris, quòd magnas blaſphemias (ut ait Tellezius) contra ſedem Romanam, & injurioſa in Regem verba evomuiſſet, impacto unco ſuspenſus: & cùm non ceſſaret dira effutire, ac ob id, præciſâ linguâ, tota die pependiſſet, noctu demum haſtis confoſſus fuit. Tot tamq; lamentabiles caſus transfigebant multorum animos, & Laſtenſes, tanquam deſperatâ veniâ, in rebellione magis confirmabantur.

74 Igitur Rex novam expeditionem cum omnibus copiis *Id. c. 26.*
ſuis contra illos ſuſcepit: aliquot rupes occupavit: & ipſum ferè cepiſſet rebellium principem, niſi cum paucis fugâ ſibi conſuluiſſet; ſpolia tamen opima ab eo relata. Sed penitus debellari non potuit; quia tot latebræ, tot latè patentes rupes, in quorum intimis receſſibus agreſtes illi, ferarum more,
75 abditi latebant, omnes expugnari non poterant. Accidit ergo, ut versâ mox fortunâ, rebelles delectam Regiorum manum funderent: deinde univerſo Regis exercitui cui commeatum defuturum prævidebant, collectis denuò viribus, imminerent. Quamobrem Rex, priusquam transitu anguſtiarum præcluderetur, recipere ſe in Dembeam decrevit, quamvis non confecto bello. Movit ergo caſtra feſtinantiùs, quam ut incoactus id facere videretur. Quæ res famam illius multum imminuit, defectorum verò auxit.

76 Ab hoc tempore Patrum adverſarii, Regem triſtem vi- *Id. c. 28.*
dentes, identidem ingeminabant: *Nunquam tranquillam* *p. 480. a.*
fore Æthiopiam, quamdiu Romana Religio prævaleret; eam quidem valdè bonam, ſed plebejorum captum ſuperare, qui majorum ſuorum ritus, quos à teneris imbibiſſent, externis præferrent. Quem enim illis perſuaſurum, circumciſionem malam eſſe: Sabbati ferias Deo non placere: antiquam Liturgiam probari non poſſe: Calendarium Romanum melius Æthiopico, & jejunia feriæ quartæ Deo minus accepta eſſe, quàm feriæ ſeptimæ. *Quanto ſatius foret, in talibus quæ ſubſtantiam fidei non tollerent, veteres ritus retinere? Quòd autem Ras-Seelaxus & alii contrà nitantur, id privato eorum ſtudio contra Regis Regnique ſalutem fieri.* His atque aliis

 tali-

talibus victus Rex, maximè cum nullum remedium videret ſedandi Laſtenſes, & Bagemdra ferè tota jam in hoſtium poteſtate eſſet, inſtantibus amicis, inprimis fœminis illuſtribus, & periculum, ſi à militibus ſuis deſtitueretur, exaggerantibus, urſit Patriarcham, ut relaxaret, quæcunque poſſet, & ſic animos exacerbatos leniret. Ille gravem procellam præſagiens, 77
OBLIQUANDA VELA, quamvis ægerrimè cenſuit, NE CUNCTA SERVARE VOLENS OMNIA PERDERET. Quapropter
p.481. annuit Regi, eâ tamen conditione, *ne publicis edictis, ſed tacitâ quaſi conniventiâ ſtatuta remitterentur, interim à pœnis & mulctis abſtineretur.*

Itaque Rex tertiam expeditionem contra Laſtenſes me- 78
ditans, ut eò benevolentiores milites haberet, edictum promulgavit, quo *priſcæ cerimoniæ, quæ contra fidem non pugnarent*, verbis generalibus indulgebantur. Hoc quaſi arbitrio ſingulis conceſſo, magno populi applauſu Alexandrinæ cerimoniæ, prout cuique commodum videbatur, denuò liberè uſurpatæ fuerunt, ſed maximo omnium Luſitanorũ, cumpri-
Id.c.29. mis Patriarchæ, dolore, qui ſtatim literas [125] ad Regem compoſuit; graviter queſtus: *quòd contra conſilium ſuum Rex* 79
Laicus ejuſcemodi edictum de rebus ſacris publicaverit; ſui enim officii eſſe talia mandata vulgare, ſimulque commonefecit eum verborum *Azariæ*, ſummi Sacerdotis ad *Oſiam*
2,9,4. Regem, & caſtigationis mox ſecutæ, prout ſuprà memoravimus. *Emendandum igitur hoc factum, aliudque edictum, aſſiſtente aliquo ex Patribus Societatis, proponendum eſſe.* Paruit Rex, & edictum propoſuit, in quo tria tantùm continebantur

(1) Vt Liturgiæ antiquæ, ſed nonniſi emendatæ, in Miſſa 80
legerentur.

(2) Vt feſta ſecundum antiquam temporum computationem, excepto Paſchate aliisque feſtis, quæ inde dependerent, celebrarentur.

(3) Vt quicunque vellet, loco Sabbati, feriâ quartâ jejunaret. Patriarchæ autem inter cætera, quæ dudum narravi-
2,9,6. mus, reſpondit: [126] *Sacra Romana, non prædicatione Patrum, nec miraculis eorum, ſed ſuis edictis atque mandatis in regnum introducta, non quidem aſſenſu popularium ſuorum, ſed ſuâ liberrimâ voluntate, quòd ea meliora crediſſet Alexandrinis. Nullam ergo querimoniæ cauſam Patriarcham habere.* Cæterum conceſſiones iſtæ non ſufficientes & nimis 8

tar-

tardæ, ac propterea irritæ prorsus fuerunt: neque Lastensium aliorumque turbatos animos sedaverunt.

CAP. XII.

De religionis Romanæ decrementis, & restitutione religionis Alexandrinæ.

1. *Florentes* hucusque Patrum *res* 6. nimio rigore repetente *mutantur.* 9. Rex ipse *Alexandrinam religionem reducere* parat 10. *prosperâ* cum rebellibus *pugnâ,* quod mirum! & 13. *persuasione* Alexandrinorum: 17. necnon Reginæ & 18. Filii *precibus* ad id inductus. 19. In *concilio* Procerum id *decernitur.* 22. *Patriarcha opponit* se gravi oratione, 24. quâ *victorias* Regi *exprobrat,* 28. simulque *minatur:* tandem 30. *supplex* fit; sed 31. frustrà. 34. Edicto *libertas* Alexandrinorum sacrorum *indulgetur:* idque 35. *Patriarchæ* per ablegatos *significatur;* 38. qui *temperamentum* quærit: sed 42. nîl obtinet. 43. *Promulgatur* edictum 45. *magno* cum populi *applausu,* 46. inprimis Clericorum. 47. Resumtæ *cerimoniæ priscæ:* 49. *Circumcisio:* 50. *Annuus Baptismus.* 51. Carmen *invectivum* contra Patres. 53. De gravi hâc mutatione *judicia* & 54. *sermones.* 57. Patres incusantur *nimii rigoris* in *adiaphoris.* 61. Sacra *Latinè* peracta Habessinos *offenderunt;* qui 62. *calamitates* omnes *Patribus* imputaverunt.

1 VIdimus hucusque incrementa Religionis Romanæ in Æthiopiâ: autoritatem Patriarchæ ad summum fastigium evectam: Regem ejusque fratres, multos etiam regni proceres, partim verè, partim fictè à partibus Patrum Socie-
2 tatis stantes. Etenim cultus Latinus per diversa regna acerrimo studio exercebatur: multi Habessinici generis sacerdotes, à Patriarchâ ordinati, res sacras tractabant; ædificationes
3 collegiorum & templorum ubique fervebant. Jamque post Patriarcham *viginti & unus* sodales, videlicet XIX. Patres & II. Fratres sodalitatis, per tredecim domicilia distributi, numerabantur. Poterantque Patribus res suæ, tot millibus ba-
4 ptizatis vel conversis, satis placere; certè tot gentilium animarum lucrum, baptismo acquisitarum, minimè pœniten-
5 dum erat; cùm repentè magna mutatio incessit, ex qua Patrum exilium & Romanæ religionis eversio secuta est.

6 Etenim Patres, temporis opportunitatem sequendam esse censentes, omnes omnino ritus Alexandrinos, etiam eos, qui olim in Latinâ Ecclesiâ sub Episcopis Romanis tolerati fuerant, abrogare satagebant: plebs contrà, antiqui moris tenax, sed inprimis Monachi & Clerici, priscę religionis alumni,
7 fortissimè sese opponebant. Præter eos Magnatum plerique sive odio Latinorum: sive ambitione, crebras defectiones parabant: & rupibus suis, quamvis magnam Regis potentiam,
8 eludebant. *Insigni documento, cultum sacrum, quem vulgus*

oderit, difficillimè à Principibus obtineri: nec unquam libertatem ritusque eorum feliciter attentari, qui loco situque regionum suarum tuti sunt.

Igitur Rex, Patribus aliàs addictissimus, tot seditionibus, 9
tot cædibus, tot suppliciis suorum fatigatus: ætate gravescente, & præsentium pertæsus, & futurorum pavidus: instantibus amicis: suspicione in fratrem: Lastensium contumaciâ: diminutione Majestatis suæ: denique amittendi Regni anxius: de abrogandâ Romanâ & restituendâ pristinâ A-
B.T.V.31. lexandrinâ Religione seriò cogitavit. Dubitantem (quod 10
mireris) impulit prospera cum Lastensibus pugna; quos imparatos, cum fortissimis & exquisitissimis suorum quartâ expeditione Rex aggressus est, & tam atroci clade affecit, ut octo hostium millia, cum nonnullis factionis ducibus, & præcipuis transfugarum, occisa, vel de saxis in præceps dejecta fuerint. Lætabantur Lusitani, hac victoriâ *rebellionem* 11
concidisse putantes: *neque quemquam contra Romanam Religionem inposterum hiscere ausurum*; sed longè aliter evenit.
Id. c.32. Nam qui Alexandrinam religionem præferebant, Regem 12
postridie in locum prælii deducunt, ingentem occisorum multitudinem commonstrantes, eumque sic alloquuntur:
Non Ethnici, non Muhammedani fuerunt isti, quorum cæde 13
jure lætari possemus: Christiani fuerunt, tui quondam subjecti, nostri populares, & partim tibi, partim nobis sanguine conjuncti. Quantò rectiùs tot fortia pectora exitialibus Re- 14
gni tui hostibus opponi potuissent? Non victoria est ista, quæ à civibus reportatur. Ferro, quo illos necas, teipsum confodis. Vtique non oderunt nos, quos tam terribili bello persequimur; illum tantummodò cultum, ad quem illos cogis, aversantur. Quot jam ob mutationem sacrorum interfecimus? Quot ad- 15
huc interficiendi restant? Quis finis erit præliorum? Desine illos, obsecrò! ad nova sacra adigere, ne desinant tibi obedire, aliàs nunquam tuta pax fiet. Nam & Gallanis & Ethnicis ob depositos avitos ritus invisi sumus, atque ab illis Apostatæ
p.489. *vocamur.* Arrenegados (vulgò *renegati*) ait Tellezius hoc
L.IV.c.29. loco. Alibi narrat, Regem Adelis, postquam duos Patres per 16
suas terras in Abassiam tendentes occiderat, superbissimè in literis suis ipsum Regem Susneum *Apostatam* vocavisse. Omni autem dubio caret, *Muhammedanos* & vicinos *gentiles* mutationem *Alexandrinæ* Religionis in *Romanam* ægrè tu-

tulisse, non amore in illam, aut odio in hanc, cum neutram intelligerent; sed metu, ne *Lusitani*, accessione *Habessinorum* validiores, utrosque opprimerent: & horum terrestri cum illorum maritimâ potentiâ conjunctâ, omnibus superiores fierent. *Turcæ* quoque indignabantur, Metropolitam ex Ægypto non amplius peti. Hoc enim quasi vinculo devinctos sibi tenebant Habessinos, & ad conditiones, quas vel-
17 lent, obnoxios. Institit supradictis ipsa Regina, per sacra conjugii, per communes liberos Regem monens: *videret quid ageret, ne Regnum, seque fortunasque omnes totamque do-*
18 *mum perderet.* Idem urgebat filius primogenitus Princeps *Basilides* & *Jamanaxus* frater uterinus, qui Gallanos sub Rege militantes instigabant, ut dimissionem à Rege efflagitarent, *tanquam prorsus nollent contra Habessinos novæ reli-*
19 *gionis causâ amplius bellare.* Sic, flexo Regis animo, Basilides, convocatis omnibus Regni proceribus & Satrapis, concilium habuit, in quo conclusum: *non aliud turbatæ patriæ remedium esse, quàm ut Alexandrina religio restitueretur.*
20 Quo meliùs autem id secus sentientibus persuaderent, *eandem esse Romanorum atque Alexandrinorum sententiam,* dictitabant. *Vtrosque dicere, Christum esse verum Deum & verum hominem. Vnam autem vel duas naturas asserere, vocabula esse exigui momenti, neque satis digna Imperii pro-*
21 *pterea pessundandi.* His rationibus induxerunt Regem, ut tandem facultatem unicuique daret ad sacra Alexandrina redeundi.

22 Nihil horum Patriarcham latebat. Is ergò cum Episcopo & Patribus præcipuis aditum ad Regem petit, & tandem obtinet: ubi hujuscemodi orationem habuisse sese, ipse *Id. c. 33.*
23 autor est: *Victores nuper nos fuisse putabam, sed ecce victi sumus: Lastenses contrà, fusi atque fugati, id quod voluerunt, obtinuerunt. Ante commissum prælium tempus fuit* (127)
24 *vovendi & pollicendi: nunc verò est adimplendi. Victoriam milites Catholici & Lusitani reportarunt, Deo Catholicam religionem prosperante. Iam autem mala illi refertur gratia; nam nudius tertius decretum factum est, quò libera rursus*
25 *permittitur Religio Alexandrina. Sed hìc non cum Episcopis aut religiosis viris deliberatur; iners vulgus, Gallani atque Muhammedani, imo etiam fœminæ sententias de Religione*
26 *dicunt. Cogita quot victorias à rebellibus obtinueris, ex quo*

Ro-

Romanam Religionem ſecutus es. Memento, quod iſtam, non
armis, aut metu coactus, ſed liberâ voluntate inductus, tan-
quam veriorem amplexus fueris. Neque nos ſponte noſtrâ 27
venimus, ſed miſſu Papæ Romani Pontificis ſummi, Regisque
Luſitaniæ, & quidem ad preces tuas. Neque illi aliud quid
animo unquam agitaverunt, quàm ſolummodò conjunctio-
nem Regni tui cum Eccleſia Romana. Cave ergo, ne illos ad 28
juſtam indignationem commoveas. Illi quidem procul, Deus
tamen propè adeſt: & ſatisfactionem, quæ illis debetur, petet.
Labem ſane indelebilem Leoni de tribu Juda, *quo inſignia tua*
fulgent, inures: maculam gloriæ gentique tuæ imprimes: de- 29
nique multorum peccatorum cauſam iſtâ tuâ apoſtaſiâ præ-
bebis; quæ, ne videam, neve imminentem Dei ultionem expe-
riar, ſtatim jube mihi hîc caput præſcindi. Sic obortis lacry- 30
mis in genua prociderunt Patriarcha & ſocii, Regis reſpon-
(128) ſum exſpectantes. Rex immotus paucis reſpondit: *Se fe-* 31
ciſſe quantum potuerit, ſed plus non poſſe; neque agi de totali
Religionis mutatione, ſed tantùm de rituum quorundam con-
ceſſione. Ad ea Patriarcha: *Se jam indulſiſſe aliquot & plures* 32
indulturum, quæ ſubſtantiam fidei non concernerent. Aliud
modò edictum promulgaret, quo cuncta in integro manerent.
Sed aliud reſponſum non retulit, niſi quòd Rex ſequenti die 33
Id.c.34. quoſdam delegaturus eſſet, qui cum Patribus agerent. Nec
melius reſponſum à Principe datum, qui diſſimulandi peri-
tus, ambiguis verbis illos dimiſit.

A.1632. *Die 24. Junii* Alexandrinæ Religionis fautores, ut decre- 34
tum paulò ante memoratum executioni darent, Imperato-
rem adeunt: & oratore *Abba-Athanaſio* petunt, *ut edicto pu-*
blico facultatem daret ſubjectis ſuis majorum ſuorum reli-
(129) *gionem rurſus amplectendi; aliàs Regnum peſſum iturum.*
Aſſenſum præbuit Rex, & quoſdam ad Patriarcham ablega- 35
vit, qui id illi priùs ſignificarent. Hi illi exprobrant, *crebras* 36
popularium defectiones: Ælium: Cabraëlem: Tecla Georgium:
Sertzaxum cum multis myriadibus occiſorum. Laſtenſes ad-
huc pro priſca Religione pugnare: omnes ad illos accurrere:
Regem verò deſeri, quòd omnes Habeſſini antiquam Religio-
nem præoptarent. Liberum tamen fore inpoſterum omnibus, 37
quibus placuerit Romanam Religionem ſequi; ſic enim à tem-
2,6,21. *poribus Claudii hucusque Luſitanos quietè vixiſſe in ſua Reli-*
gione: & connubiorum atque hoſpitii jura cum Habeſſinis
com-

communia habuisse; quibus verò ea non placuerit, antiquam
38 *permitti.* Responsio, post breve deliberationis spatium, per
Patrem *Emanuelem d'Almeyda* Regi relata: *Patriarcham* p.493.b.
intellexisse utramque religionem in regno illius liberam fore. (130)
39 *Jam verò se æqualiter amare Æthiopiam ac patriam suam*
Lusitaniam, adeoque quicquid salvâ doctrinæ puritate fieri
40 *possit, statim concessurum. At differentiam faciendam esse*
inter eos, qui nondum susceperint sacra Romana, veluti La-
stenses, cum iis enim conniveri posse: qui verò illi se planè ad-
dixerint, atque confessione & communione sacrâ usi fuerint,
iis sine gravi peccato indulgeri non posse, ut ad pristinam Ale-
41 *xandrinam religionem revertantur.* Volebat Patriarcha hoc
temperamento ipsum Regem, totamque ejus aulam, & præ-
cipuos proceres excipere; hi enim jam tum publicè professi
42 fuerant Religionem Romanam. Sed nihil aliud respondit
Rex, mœrore & ægritudine confectus, quàm: *Quomodo id*
fieri potest? Jam non amplius regni potens sum? Sic frustra
43 discessum. Extemplò tubæ atque tympana consonuerunt, p.494.
& præconis voce proclamatio facta, hisce verbis: *Ausculta-* (131)
te! Auscultate! Primò proposuimus vobis Religionem Roma-
nam, habentes illam pro bona: sed innumera hominum multi-
tudo periit cum Ælio, Cabraële, Tecla Gergio, Sertzaxo, de-
44 *niq; cum istis agrestibus Lastensibus. Quamobrem nunc vo-*
bis concedimus religionem majorum vestrorum. Licebit in-
posterum Alexandrinis Clericis frequentare Ecclesias suas, &
habere suas arculas eucharisticas, & legere Liturgias prisco
45 *ritu. Sic valete & lætamini.* Incredibile dictu est, quanto Id.c.35.
populi gaudio exceptum fuerit hoc edictum; castra tota,
46 quasi ab imminente hoste liberata, plaudere & lætari. In-
primis Monachi atque Clerici, maximum Patrum odium 3,3,39.
experti, lætas in cœlum voces tollere: promiscuum virorum
atque fœminarum vulgus tripudiare, atque saltare: milites
47 Imperatori suo fausta quæque precari: *rosaria* vel sua pro-
pria, vel aliorum fortè obviorum, frangere, quædam & cre-
mare; *sufficere sibi* dicentes, *quòd Christum verum Deum,*
verumque hominem esse credant, nec opus esse disputatione
de duabus naturis. Illico resumtæ *priscæ* in sacrâ cœnâ *ceri-*
48 *moniæ:* passum pro vino in usum sacri calicis adhibitum: sa-
crosanctum *nomen Jesu* in ore habere (quod Lusitanis moris)

 severè

ſeverè prohibuerunt: aliquos etiam, qui hoc non obſervarent, lanceis confoderunt. Paucos poſt dies *generalis circumciſio* inſtituta, poſthabitis rei tam inanis doloribus, tantùm ne quid ex moribus priſcis in gratiam Patrum neglexiſſe viderentur. Quin & aliqui *lavacrum* annuum, in feſto Epiphaniorum antiquitùs uſitatum, rurſus uſurparunt; ablui hoc pacto ſeſe putantes à reatu, admiſſione Religionis Romanæ contracto. Multi læto cantu, tanquam ob ſervatam ab hyænis Occidentis Æthiopiam, ſequens carmen concinebant:

49 (line: "rent, lanceis confoderunt. Paucos poſt dies generalis cir-")

ናሁ፡ አምሠጠት፡ አባግዐ፡ ኢትዮጵያ፡
እምተኵላት፡ ዐረብ፡ በትምህርት፡ ማርቆስ፡ ሐዋርያ፡
ወቄርሎስ፡ ዐምድ፡ ዘቤተ፡ ክርስትያን፡ እስክንድርያ፡
ተፈሥሑ፡ ተፈሥሑ፡ ወዘምሩ፡ ሀሌሉያ፡
እምተኵላት፡ ዐረብ፡ አምሠጠት፡ ኢትዮጵያ።

Ecce evaſerunt oves Æthiopiæ
Ab hyænis Occidentis per doctrinam Marci *Apoſtoli,*
Et Cyrilli, *columnæ* [r] *Eccleſiæ Alexandrinæ.*
Lætamini, Lætamini, & cantate Halleluja!
Ab hyænis Occidentis evaſit Æthiopia.

Sic brevi corruit totum iſtud Romanæ Religionis opus, tanto labore, tantisque impenſis, & tanto ſanguine toto ferè ſeculo partum. Haud ſecus ac magnæ turres, longo tempore ædificatæ, ſi fundamentum ſuffoderis, momento ruunt. Erant qui Patres Societates incuſarent, quaſi mutationem Religionis in Æthiopiâ, ſolertiâ ſua obtentam, præproperâ diligentiâ & feſtinatione nimiâ corrupiſſent. Nam Luſitani plerique, multiq; Habeſſinorum Romanę Religionis ſtudioſi, ægrè ferebant, tam ſubitò mutari, quæ ſalvâ Fide tolerari diutius potuiſſe putabant. *Sicuti enim arbores proceræ, quæ altas radices egerunt, haud facilè eradicantur: ita inveteratas opiniones, & diu receptas ſententias, quas cum lacte materno velut imbibimus, non niſi longo tempore, magnâ lenitate & multâ patientiâ vinci; quippe intellectum humanum, ſi cogatur, pertinaciam induere, quaſi in ultionem attentatæ libertatis.* Neq; etiam dubitabatur ab iis, qui amici Patrum non erant, ſi computationes ſacrorum temporum, & alia, quæ ipſe Papa liberaliter indulget, (modò id ejus benignitati & diſpenſationi acceptum feras) puta *communionem*, quam vo-

r) Sic vocant Eccleſiæ principes, doctrinæ luce fulgentes, tanquam *Fidei columnas*; ex epiſt. ad Gal. 2, 9.

58 vocant, *ſub utraque:* denique nonnulla, quæ primitiva Ec-
cleſia, teſtantibus vetuſtiſſimis canonibus, (qui Apoſtolorum
59 dicuntur) ſine ſcandalo uſurpavit, veluti *conjugia ſacerdo-
tum: jejunium feriæ quartæ: & feriationem Sabbati priſci:
abſtinentiam à nonnullorum animalium eſu*, & alia, quæ
tantùm conſuetudine, non jure ſacro nitebantur, videlicet
circumciſionem, in medio relinquere, & converſioni genti-
lium, & ſacris Luſitanorum præcipuè invigilare voluiſſent,
quin & Habeſſinorum animos & multorum paganorum a-
nimas lucraturi, & tandem ad optatam reductionis Æthio-
piæ metam perventuri fuerint. Ne Romæ quidem res ſine
60 rumore erat, ut infra dicetur. At illi fortunâ favoreque Re- 3,14,18.
gis utendum rati, Habesſinorum mores ad ritum Eccleſiæ
61 Romanæ per omnia conformare anniſi ſunt. Lingua La-
tina in cultu ſacro publico, & precibus quotidianis adhibe-
batur: ſalutatio Angelica:[s] Oratio Dominica: & ſymbolum,
quod Apoſtolicum vocamus, non niſi linguâ Latinâ audie-
62 bantur. Quibus rebus Habesſinorum animos ſenſim ita
à ſe alienarunt, ut tandem bella atque ſeditiones, locuſtæ, an- *B.T.V*,40.
nonæ charitas, denique calamitates omnes, nec non ſeveræ
pœnarum capitalium in Alexandrinos ſanctiones, illis tan-
quam autoribus imputarentur. ita pro amore odium, pro
63 gratia exilium retulerunt. Ex modò dictis prudentes facilè
veras tantæ mutationis cauſas cognoſcent: nihilominus
conſentaneum nobis videtur, eas quas Tellezius conſigna- *L.V.*39.
64 vit breviter referre: *Primò*, ait, *arcta matrimoniorum jura
ſecundùm Fidem Catholicam Habesſinos anxios habuiſſe,
cum ſecundùm Religionem Alexandrinam licitum illis fuerit
cum una vel pluribus & contrahere & diſſolvere conjugia.*
65 Secundò. Præter luxuriam invaluiſſe apud illos avari-
tiam, cupiditates, ambitionem, invidiam & odium, priva-
tim contra Ras-Seelaxum, quem non acerbiùs premi poſſe
putabant, quàm ſi perſequerentur doctores Fidei (ſc. Patres)
quos ille perditè amabat.
66 Tertiò. Multos occupaviſſe agros Eccleſiarum & Mo-
naſteriorum, quos illos reſtituere oportuiſſet.
67 Quartò. Judices ſeculares conqueſtos fuiſſe, quòd Pa-
triarcha ad ſuum forum traxerit cauſas matrimoniales.

s) Sic infeliciter expreſſa reperitur poſt Mar. Victorii Inſtit. Ling. Æthiop. Anno 1630. Romæ impreſſas: ኤዌ፡መሬእ፡ግሬዚእ፡ፕሌና፡ quod ſonat: *Ewe Marie grazie plena &c.*

Quintò. Alios fremuisse, videntes ædes sacras è cæmentis & calce ædificatas, non enim templa sed castella esse, dicebant, occupandæ Æthiopiæ duce Ras-Sælaxo constructa. Nec amicitiam esse quam cum Patribus coleret, sed fœdera & factiones. 68

Sextò. Monachos invidiâ accensos fuisse, quod solos Patres æstimari viderent, se verò, antea æstimatos, contemni: Illis igitur invalescentibus, se nihili fore. *Pergit Tellezius.* 69

Septimò. Habessinos semper provocasse ad mores & ritus majorum, cum non æquum putaverint, ut errorum condemnarent eos, quos per tot secula pro sanctis habuissent: neq; decere, ut audiant vel sequantur novitates, sed potius leges & consuetudines avitas. Nam vitio malignitatis humanæ (*secundùm Quintilianum*) vetera semper in laude: præsentia in fastidio esse. Adeò ut quamvis vincas argumentis intellectum, minimè tamen subigere possis voluntatem. 70

Octavò. Multis etiam Catholicis Diabolum in mentem dedisse, ut facerent inter Religionem Romanam & Alexandrinam aliquem velut syncretismum; dicendo: Omnes esse Christianos tam Romanos quàm Alexandrinos. Omnes credere in Christum: Christum omnes salvos facere. Exiguam inter utramque Religionem differentiam esse, utramque sua habere commoda & incommoda. Sed triticum à lolio secernendum & optimum eligendum esse. 71

Nonò. Censuras Ecclesiasticas nimiùm graves visas fuisse Habesinis, præsertim cum Datamum & Abiramum in excommunicatione Patriarchæ nominari audivissent. 72

CAP. XIII.

De expulsione Patriarchæ, & Patribus Societatis in exilium actis.

2. *Rixæ* Alexandrinorum *cum Patribus*, qui accusantur. 4. *Templa* illis ademta. 7. Mors *Susnei.* 8. *Ras-Sælaxus* abnuens religionem Alexandrinam: 9. *vincitur* & *exilio* multatur 10. cum aliis; 11. quidam supplicio affecti. 13. Patres *bonis* exuti 14. *Fremonam* ablegantur. 15. *Patriarcha* per literas à Rege petit 16. *exilii* sui *caussas* & 18. novum *colloquium.* 19. Respondet *Rex*, exponendo 20. suorum instantissimas *preces:* 22. λογομαχίαν de duabus naturis, 24. aliasque veras mutationis caussas; inter alia 28. *Anabaptismum,* 29. *Reordinationes* Presbyterorum, 31. adventum *Metropolitæ*, qui 33. forte jam adfuit. 35. *Discedunt* Patres Fremonam, & cum 36. *auxilium* Lusitanorum exspectarent, 38. *Regno* planè *ejiciuntur.*

POst publicatum Regis edictum Alexandrini indubiè superiores facti, vicem Patribus Societatis reddere, eosque 1

pror-

2 prorſus Habeſſiniâ expellere, ſummâ ope nitebantur. Huic
propoſito quotidianis rixis & contentionibus præludebant; B. T. V. 36.
cum primis Patriarcham accuſantes, *quaſi populum ſeditioſis*
concionibus ad defectionem concitaret, atque à Religione Ale-
3 *xandrinâ averteret*; ſcilicet auditores ſuos palàm pro con-
cione *ad conſtantiam* hortatus fuerat. Cognitâ verò Baſili-
dis minitantis indignatione, paulò moderatiùs agendū fuit.
4 Haud ita multo poſt templa Patribus ademta; ſic enim ſacra
Romana ceſſatura putabant. Et primò ædem Gorgorrenſem,
Europæo more egregiè conſtructam, cedere coacti fuerunt.
5 Exceſſerunt ergò Patres, convaſantes quidquid ſacræ ſupelle-
ctilis in eà reperiebatur; confractis quoque ſculptis imagini-
bus, & eraſis picturis, ne inimicorum ludibrio exponerentur, p. 449. b.
6 ita, quod Habeſſinos facturos putabant, ipſi faciebant. Idem
patrandum fuit in Gojamâ, aliiſque Regnis, ubi Patres ſedi-
7 bus ſuis pellebantur. Dum hæc aguntur, graveſcere valetudo Id. c. 37.
Suſnei, quæ continuo mœrore aucta, die XVI. Septemb. A. C.
CIↃ IↃC XXXII. vitæ finem illi attulit.

8 Poſt exceſſum Regis adverſarii patrum primò omnium
aggrediuntur *Ras-Seelaxum*, quem præcipuum Religionis B. T. VI. 1.
Romanæ fautorem & protectorem fuiſſe diximus; ei polli-
centur *antiquas dignitates, prædia atque bona omnia, ſi ad*
9 *Alexandrinam Religionem redire vellet*. Cum abnueret, vin-
ctum catenis coram Rege ſtatuunt, ac mortis reum concla-
mant. Rex, *nolle ſe ſanguine patrui ſui manus polluere*, re-
ſpondit, eumque in locum quendam remotum prope Same-
10 nam, ademtis bonis, deportari juſſit. Caſum hunc mox alii Id. c. 2.
ſecuti ſunt, *Azaj Tino*, Secretarius (*ut vocant*) ſtatus, & Hi-
ſtoriographus regius: *Walata-Georgiſſa*, ſobrina Regis: qui-
11 cunque denique Patribus favebant in exilium miſſi: nonnulli
etiam ſupplicio affecti ſunt; fortè quia acerbiùs de Religione
Alexandrinâ locuti fuerant. Quidam enim dixerant, *Religio-* p. 516.
12 *nem Alexandrinam canum Religionem eſſe*. Inſiſtebant Pa-
trum inimici, *nihil actum eſſe*, Regi dicentes, *quoad* Patriar-
cha cum Patribus *intra regni fines ſubſiſteret: neque* Laſtenſes
priùs quieturos, quàm Patres omnes Æthiopiâ ejectos audi-
rent, ſed cuncta, quæ pro ſtabiliendâ Alexandrinâ religione
13 *agerentur, ficta atque falſa putaturos*. Volentem non opus
erat multis hortari, & ſæviora ab iratis Monachis & Clericis
intentabantur. Quapropter ſenſim bona atque prædia, dein

 arma

arma omnia, atque inprimis bombardæ, quas secum habebant, ablatæ. Sed primò *Fremonam* ablegabantur, ubi 14
quondam Patriarcham Oviedum commoratum fuisse diximus.

(132) Priusquam verò abirent, Patriarcha literas ad Regem 15
Id. c. 3. composuit, quarum summa hæc erat: *Non meâ sponte, sed jussu Pontificis Romani & Regis Lusitaniæ, petente patre tuo, in Habessiniam cum sodalibus meis veni, ubi accepto, nomine Romani Pontificis, & Lusitaniæ Regis, obedientiæ sacramento, munere Patriarchæ functus sum. Nunc, quandoquidem* 16
me rursus excedere jubes, peto, ut exilii mei causas scripto consignare, & cum proceribus tuis subscribere velis, quò totus orbis cognoscat, utrum doctrinæ, an verò vitæ & morum causâ id pati cogar? Concessi ceremonias à Patre tuo petitas, exce- 17
ptâ solâ communione sub utraque specie, *utpote soli Pontifici summo reservatâ. Illas nunc iterum offero, modò cum tuis Ecclesiæ Romanæ, tanquam omnium Ecclesiarum capiti obedire velis. Tandem peto, ut res sicut ab initio, ita nunc rursus* 18
in colloquium deducatur; sic enim de veritate totius negotii multò meliùs constabit.

p. 518. b. (133) Scripto respondit Rex in hunc modum: *Quæ antehàc à* 19
me acta fuerunt, jussu & præcepto patris mei facta sunt, cui parere necesse habui, adeò ut etiam ejus ductu bella, tàm cum propinquis quàm cum subjectis gesserim. Sed post ultimum 20
prælium in Wainadegâ commissum extiterunt docti & indocti, Clerici pariter & Laici, civiles & militares viri, denique magni & parvi, qui sine trepidatione Regi Patri dixerunt: Quamdiu vexabimur & fatigabimur rebus inutilibus? 21
Quamdiu pugnabimus cum fratribus nostris & propinquis, manum dextram sinistrâ nobismet amputantes? Quamdiu in viscera nostra ferrum dirigemus? cùm tamen fide Romanâ nihil discamus, quod antea non sciverimus. Nam quod 22
Romani vocant duas naturas in Christo, divinitatem & humanitatem, id dudum scivimus à principio in hunc usque diem. Credimus enim omnes eundem Christum Dominum nostrum perfectum Deum esse & perfectum hominem; perfectum Deum in divinitate, & perfectum hominem in humanitate.[t] Quandoquidem verò istæ naturæ non se- 23
paratæ sunt, neq; divisæ; quælibet enim non per se, sed cum alterâ conjunctim subsistit, proinde non dicimus, quòd duæ res

t) Et naturæ & personæ vocabulum hîc evitatur.

res sint, nam unum factum est ex duobus, ita tamen, ne con-
24 fundantur nec misceantur naturæ in suo esse[u]. *Hæc igitur controversia inter nos exigui est momenti: neque propterea*
25 *multùm dimicatum fuit: sed hanc potissimum ob causam, quòd sanguis Laicis negatus fuerit in S. Eucharistiâ, cùm tamen ipse Christus in Evangelio dixerit:* nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam æternam; *& cum sacram cœnam institueret, non dixit:* Sanguis est in meo corpore, quod modò vobis dedi; sed sumite & bibite, & partimini inter vos omnes. *Ex eo tempore disci-*
26 *puli fecerunt, sicut jussi fuerunt. Deinde* intermissio jejunii feriæ quartæ, *quod tamen in canonibus sanctorum Apostolorum injunctum est: ut &* diversa jejunandi ratio *tempore*
27 *quadragesimæ. Porro* festorum *annuorum, totiusque* computi Ecclesiastici *mutatio: & quòd omnibus permitteretur in Ecclesias intrare, nullo* mundorum vel immundorum discri-
28 mine *habito; ea sunt quæ homines nostros offenderunt. Sed nihil magis detestati sunt, quàm* reiterationem baptismi, *tan-* 3, 6, 47.
quam ante rebaptizationem Patrum Ethnici fuissemus &
29 *Publicani. Sacerdotes & Diaconos nostros* iterum ordinave- 3, 7, 13.
runt: arculas *altarium nostrorum* ligneas *combusserunt: &* 3, 6, 72.
saxeas denuò consecraverunt, quasi priùs sacræ non fuissent. Monachi *verò præcipuè questi sunt, quòd instituta eo-*
30 *rum abrogarentur. Hæ & aliæ similes veræ fuerunt causæ, ob quas discessimus à fide Romana, tametsi non nos id jusseri-*
31 *mus: sed Pater noster. Verùm enim verò quia* Abbuna Alexandrinus *jam in itinere est, & nobis nunciavit, se non posse in una regione conjunctim cum Patriarcha Romano & Patribus vivere, eam ob rem jussimus vos* Fremonam *concedere.*
32 *Serò autem nimis nunc ea offeruntur, quæ initio statim tribui potuissent; neque enim nunc reditus datur ad id, quod omnes in summo horrore & detestatione habent, ac eam ob causam*
33 *ulteriora colloquia omnia vana futura sunt.* Refert Patriarcha in epistolâ suâ ad Regem Hispaniæ: *Metropolitam illum,* B. 2. VI, 4.
cujus Rex mentionem fecit, aliquot annis ante in Æthiopiam venisse: sed ignotum in Enarea delituisse: auditâ verò abdicatione

u) Operæ pretium videtur hoc loco addere, quod supra omisimus, nimirum quo pacto Habessini sententiam suam de duabus in Christo naturis Æthiopicè efferant: *Autor Organi inter alia sic scribit:* ነበረ፡በየማኑ፡ዘወለዶ፡ህየ፡ሀሉ፡ትስብእት፡ፈጹም፡ዘተነሠአ፡እማርያም፡ከዋና፡አሐደ፡ምስለ፡መለኮት። *Sedit ad dextram illius qui genuit eum, ibi existit humanitas perfecta, quam sumsit à Maria, factus unum (una persona) cum divinitate.*

p.525.a. *tione Patriarchæ prorupiſſe*, & Regi dixiſſe: *Se munere ſuo*
fungi non poſſe, niſi Patriarchâ & Patribus vel interfectis,
Id. c.5. *vel in longinquum exilium miſſis.* Paruerunt Patriarcha & Pa- 34
tres, diu diſceptantes ſuper bombardis, quas ad ſui defenſio-
nem libentiùs retinuiſſent; ſed eas tradere coacti fuerunt, ne
Luſitanis fortè in auxilium eorum venientibus (quod time-
Id. c.6. & 7. batur) uſui eſſent. Exceſſit itaque Patriarcha ſede ſuâ cum 35
A.1633. omnibus Patribus præſentibus, octavo anno poſtquam in
Æthiopiam venerat. In itinere variis ærumnis vexati, atque
à latronibus crebrò infeſtati fuerunt, donec *Fremonam* pri-
ſcam Patrum habitationem perveniſſent. Quia autem fa- 36
cilè præſentiebant, quod manſionem diuturnam hoc in loco
Id c.8. habituri non eſſent, ſtatim decreverunt patres aliquot in In-
diam præmittere; qui de rebus omnibus Proregem edoce-
rent, & remedium peterent, nimirum auxilium militum Lu-
(134) ſitanorum Sed priusquam hoc obtineretur, iteratis Regis 37
mandatis (qui, ut erat mente ſagax, id fortè odoratus fuerat)
Id. c.9. etiam Fremonâ abire jubentur. Tardè obtemperaverunt.
Poſt longam moram clam ſe receperunt ad quendam *Johan-* 38
nem Akayum Regi quondam adverſum, qui tamen eos de-
fendere non potuit, atque ſic per vim abstracti, menſe Majo
Id. c.12. Anno cIↃ IↃc xxxiv. Turcis traditi, ac primò Arkikum & in
Matzuam, poſtremò in Suaqenam ad Præfectum Turcicum
illius loci deducti fuerunt. Sed nihil perinde irritaſſe Habes- 39
ſinorum animos, ajebat *Gregorius*, quàm quòd auxilia mili-
tum defendendæ Religioni ſuæ ex Indiâ petiiſſent; potuiſſe 40
Patres Regno exeuntes, more diſcipulorum Chriſti, pulve-
rem pedum excutere, ſed illis magis placuiſſe auxilia undiq;
ſollicitare; id autem tam occultè non factum, quin ad aures
Habeſſinorum pervenerit: imo ſequaces eorum, caſu aliquo
offenſos, id ſæpe incautiùs interminatos fuiſſe. Iſta inter alias 41
cauſa fuit, cur bombardæ & templa, ex lapide & cæmentis
conſtructa, illis adimerentur; ea enim tanquam caſtella ſim-
pliciores Habeſſini aſpiciebant.

CAP. XIV.

De iis, quæ poſt Patriarchæ & Patrum ex Æthiopia egreſſum, contigêre.

1. *Epiſcopi*, ſociorumque clam relictorum *ſtatus*. 2. *Patriarchæ* apud Turcas *calamitas*, & 3. *dolor* ob novi *Metropolitæ* adventum cum 4. *Petro* Heyling Germano, qui 6. cum Patriarcha *diſputavit*: 9. Regi Habeſſ. acceptus fuit. 10. De ejus

obitu

obitu variæ relationes. 11. Patriarcha *ære* ſe *redimit* 12. *P. Hieron. Lupum* mittit auxilia petitum, qui 14. nil efficit; cur? 15. Fautores Patrum in Æthiopiâ *occiduntur.* 16. *Nulli* in Habeſſiniam *intromittuntur.* 18. Romæ varii animorum motus. 20. Sex *Capucini* denuò miſſi, 21. quorum *duo* occiſi à *Cafris*: 22. *duo* in Æthiopiâ *lapidati*: 23. *duo* domum reverſi. 24. Alii *tres* denuò miſſi, qui 26. à Turcis capite truncati. 27. *Nogueyra* Patriarchæ vicarius ſuſpenſus. 28. *Alph. Mendez* in India diem *obit*: 29. ejus perſona *laudatur.* 33. Poſthæc nullæ ex Habeſſinia relationes. 34. Falſus rumor de *Islamismo* Regis refellitur.

1 REliquerat Patriarcha clàm diverſis in locis Epiſcopum *Apollinarem Almeydam*: & *P. Hyacinthum Franciſcum*: *Ludovicum Cardeyram*, *Brunonem Bruni*, & alios; qui
2 variis caſibus miſerè, plerique ſuſpendio periêre. Ipſe interea magnâ moleſtiâ inter barbaros Turcas, eorumque vexationes, & intolerabiles Solis ardores, in Suaqenâ annum ferè *B. T. VI. 16.*
integrum tranſegit.

3 Veruntamen nullum majorem animi angorem ſenſit, *Gregor.*
quàm cum novum Metropolitam ex Ægypto venientem,
4 ibique tranſeuntem oculis ſuis aſpicere cogeretur. Is in comitatu ſuo habebat Germanum quendam *Petrum Heyling*/ (135) civitate Imperiali Lubecâ natum, inſignem probitate & eruditione juvenem, Auguſtanæ Confeſſioni addictum, qui Arabicè communiter معلم *Muallim* i. e. *Doctor Petrus* voca-
5 tus fuerat. Is peregrinandi ſtudio, & addiſcendæ linguæ Arabicæ causâ tunc temporis in Ægyptum venerat, atque Cophtitis ob pietatem & modeſtiam percarus fuerat, auditâque Metropolitæ in Æthiopiam profectione, comitatus eſt
6 illum, atque in tranſitu *Patriarcham Alfonſum* in Suaqenâ obviam habuit. Cum eô ſtatim in arenam deſcendit, dogmata cum Eccleſiâ Romanâ controverſa impugnans, & quę-
7 cunque dicerentur, aſtantibus Arabicè explicans. Patriarcha commotior abſtinere illum à tali explicatione jubet, quòd Arabicæ linguæ ignarus, non intelligeret, quæ ab eo dicerentur; at ille reſpondit: *ſe propterea diſputare, ut audientes quo-*
8 *que inſtruerentur.* Finitâ diſputatione Patriarcha converſus ad ſuos, ingemuit, dicens: *Si Doctor iſte in Habeſſiniam venerit, in extremam hæreſin illam præcipitabit.* Poſt-
9 quam autem illuc venit, brevi Regi gratiſſimus factus, multisque beneficiis affectus, tentorio aliisque rebus neceſ-
10 ſariis donatus fuit. De illius abitu & exceſſu variæ relationes habentur; alii enim dixerunt, *illum clementiſſimè à Rege habitum, in Habeſſinia fato functum: alii benignè à Rege dimiſſum, in itinere ab Arabibus latrocinantibus interfectū fuiſſe.*

At Patriarcha poſt longas moras, & graves Turcarum ve- 11
xationes, ſolutis quatuor Patacarum millibus (IV. mille
circiter taleri Germanici ſunt) cum ſociis dimiſſus, primò
Dium, deinde Goam ſalvus pervenit. Et quamvis eſſent, 12
qui eum hortarentur, ut ipſe in Luſitaniam proficiſceretur, &
afflictum Æthiopiæ ſtatum repræſentaret, conſultius tamen
Id. c.17. viſum *P. Hieronymum Lupum* mittere, qui copias militares
peteret, quorum ope rurſus in Regnum introduceretur. Is 13
ergo non tantùm in Luſitaniam, ſed & Mantuam Carpenta-
norum ad *Philippum IV.* & tandem Romam profectus eſt.
Sed nihil effecit; ſive quòd non Apoſtolicum videretur, præ- 14
dicationem Evangelii armis tueri: ſive quòd ingentes ſum-
tus, (quia non milites tantùm, ſed etiam claſſis requirebatur)
nulla intus ſat validâ factione, vanos fore, prudentiores præ-
videbant. Quippe *Negus* ad omnia intentus, quoscunque 15
patribus favere cognoſceret, è medio tollebat. Sic perierunt
multi nobiles; inter cæteros *Tecla-Selaçaus*, & ſacerdotes
B.T.VI.21. & ſeqq. Romanis ſacris initiati: Patres denique omnes, ſolo *Bern-
hardo Nogueyra*, quem Patriarcha vicarium ſuum creaverat,
ſuperſtite. Quamvis enim Patriarcha ſucceſſu temporis alios 16
(136) Patres ſubmittere tentaret, omnes tamen conatus vani fue-
runt; ita ut diu ne nuncium quidem de rerum Eccleſiaſtica-
rum ſtatu ex Habeſſiniâ habere potuerit. Rex enim veritus, 17
ne Luſitani, Patrum injuriis ulciſcendis, armatâ manu veni-
rent, Turcas Suaqenæ & Matzuæ præfectos, id ſpontè ſuâ cu-
pientes, præmiis induxerat, ne quenquam Francorum intro-
mitterent.

Quibus Romæ auditis varii animorum motus extitere. 18
Plerique dolebant ſpem omnem, retinendæ in obedientiâ
Æthiopiæ, penitus decollaſſe: multi putabant Luſitanos in-
vadendi regni ſuſpicionem Habeſſinis dediſſe: nec deerant, 19
qui Patres Societatis culparent, quaſi per arrogantiam & im-
prudentiam ſuam in tractandis ingeniis Habeſſinorum, &
ſibi & Religioni Romanæ exitium attuliſſent, cum tamen
ſemper & primariò pro ſummi Pontificis majeſtate & impe-
rio in Vniverſam Eccleſiam Chriſtianam impensè labora-
rent: & propterea nulla non incommoda, exilia, cædes, atq;
L.VI,30. martyria libenter ferrent. Tellezius iſta generali narratione
involvit: *Siniſtros rumores*, inquiens, *Romæ à malevolis ſpar-
ſos: & fuiſſe qui dicerent, Patres ex mero odio tam contra
ipſos,*



IMAGO TRIUM CAPUCINORUM BASILIDIS HABESSINORUM REGIS IUSSU Aº 1648. CAPITE TRUNCATORUM

1. *Suakén Urbs et Insula.*
2. *Mare rubrum.*
3. *Bassa Turcarum. Insulæ præfectus.*
4. *P. Felix de S. Severino.*
5. *P. Antonius da Petra Pagana.*
6. *P. Josephus Tortulanus Altinensis.*

L.III.

Id. ι

B.
(

ipſos, quàm contra totam Luſitanam nationem Abaſſiâ ejectos eſſe: ſi modò alii prædicatores mitterentur, Habeſſinos & illos & ſacra Romana ſine morâ admiſſuros. Iſtud verò multò minori ſumtu, & longè faciliùs effectui dari potuiſſe, quàm P. Hieron. Lupi conſilium. (ſc. de mittendo in Habeſſiniam exercitu.)

20 Igitur Congregatio propagandæ Fidei, aliam viam ingreſſa, ſex Capucinos natione Gallos delegit, illoſque literis commeatus ab ipſo Turcarum Sultano impetratis, in Abaſ-
21 ſiam legavit. *Duo* navigatione Oceani *Magadoshum*, in Orientali Africæ littore ſitum, petivêre; at paucis Leucis intror-
22 ſum profecti, à Cafris occiſi fuerunt. *Duo* in Habeſſiniam quidem penetraverunt, ſed iis injunctum, ut vel regno rurſus exirent, vel ad Alexandrinam Religionem accederent;
23 cum neutrum facere vellent, lapidati fuerunt. Quo audito, reſidui *duo*, qui in Matzuâ ſubſtiterant, infectis rebus domum redire, quàm hujuſcemodi martyrium ſubire maluerunt.

24 Hos rurſum tres Capucini ſpe melioris fortunæ ſecuti *Id. c. 37.*
ſunt, ſed cùm in Suaqenam veniſſent, neſcio quo conſilio, literas (ut Tellezius narrat) ad Neguçum præmiſerunt, eum
25 ſcilicet adventu ſuo lætificaturi; ſed ille, gratulationis loco, iteratas ad Baſſam Suaqenæ literas ſcripſit, ut quàm primùm
26 capita eorum ad ſe mitteret. Quod ille ſpe præmii haud gravatim fecit, & detractas capitum pelles ſtramine fartas ad Regem miſit, ut ex colore Francos: & ex tonſurâ ſacerdotes co-
27 gnoſceret. Tandem etiam Bernhardus Nogueyra, ultimus *Id. c. 40.*
28 Patrum, ſuſpendio ad mortem actus fuit. Patriarcha verò *Alfonſus Mendezius* usque ad annum cIↄ Iↄc LVI. in Indiâ *App. I. §. 13.*
vixit. Vbi vigeſimô ſecundô exilii, vitæ verò ſeptuageſimo
29 ſeptimo, die Junii vigeſimo nono placidâ morte obiit. Erat is egregiis corporis animique dotibus præditus, ſtaturâ procerus, ut ſuper omnes emineret, nec non valetudinis firmæ, literis Græcis atque Latinis juxta doctus, muneri ſuo par.
30 Neque prudentiam in eo deſideraſſes, niſi fortunâ, favoreque Regio (qui ſæpe ſapientiſſimos fallit) in transverſum actus fuiſſet; ut quæ comi viâ & paulatim introducenda erant, donec homines novis ritibus aſſueſcerent, & animi diſſidentium coaleſcerent; ſeveritate atq; impetu ſtatuere, atque tueri ma-
31 luiſſet. Sic factum, ut initiò rigidè conſtituta poſtremò remittere: & cum maximo autoritatis ſuæ diſpendio relaxare

cogeretur. Alii contrà, ut Gregorius mihi retulit, eum excu- 32
ſaverunt, quòd ſub adventum ſuum res à Miſſionariis præce-
dentibus eò jam provectas reperiſſet, ut honeſtè eas retracta-
re non potuerit.

Poſt obitum Patriarchæ nullæ certæ ex Habesſiniâ ad 33
nos venerunt relationes. Anno autem cIↃ IↃc LXII. novum
3,7,25. Metropolitam in Æthiopiam miſſum fuiſſe, diximus,
quem in Ægypto multi Europæorum viderunt. Hunc
poſtea alii, ut ex certis relationibus conſtat, ſecuti ſunt. Ex 34
quo, ut & aliunde cognoſcitur, odio confictum fuiſſe id,
L. V, 37. & quod Tellezius tradit, quaſi Rex Habesſinorum, miſſis in A-
38. rabiam legatis, Islamiſmi ſtudio doctores Muhammedanos
pro Habesſinis petiviſſet; quod falſum eſſe, etiamſi nemo di-
ceret, attamen ex rebus geſtis, quas nos deſcripſimus, quilibet
mediocri judicio præditus intelligere poteſt. Quî enim ille, 35
qui ſplendidum Eccleſiæ Romanæ cultum, & dogmata à Pa-
tribus Societatis ſpecioſè tradita, quòd Habesſinis à S. Scri-
pturæ ſenſu, & primitivæ Eccleſiæ placitis aliena viderentur,
defendere nec voluit, nec potuit, futilem & abſurdum Isla-
miſmum admitteret? cujus initia & progreſſus Habesſinis è
propinquo nimiùm nota ſunt. Neq; enim perinde ac Chri- 36
ſtiana Religio patiendo & benefaciendo crevit, ſed vi & ar-
mis, discordibus vel barbaris gentibus obtruſus fuit; ut ne- 37
mini miraculum videri poſſit, ſævitiâ in nolentes: præmiis
magnis in volentes, doctrinam iſtam in Alcorano malè co-
hærentem, & crasſiſſimis fabulis refertam, connivente contra
ingratos Deo, longé latéque propagatam fuiſſe. Vel ſi maxi- 38
mè Rex, & proceres (quod Deus avertat!) eò inſaniæ venirent,
habiturine eſſent in partibus ſuis Clericos & Monachos, Ale-
xandrinæ Religionis acerrimos propugnatores? Nonne
multò juſtius timerent totius regni defectionem, capite, inter
tot Regii ſanguinis viros, nunquam defuturo? Poſtremò ul- 39
timæ Regis literæ quas ad Gubernatorem Batavorum in In-
A. circiter diam miſſas fuiſſe diximus, Chriſtianam prefationem haben-
1672. tes, ſatis demonſtrant, illum Chriſtianæ Religioni, cùm Tel-
2,7,68. lezius iſta ſcriberet, adhuc addictum fuiſſe. Recentius quid, 40
ſi nobis poſt editionem hujus operis oblatum fuerit,
publico non denegabimus.

FINIS LIBRI III.

LIBER

LIBER IV.

De

PRIVATIS HABESSINORVM REBVS, ET IN SPECIE DE OECONOMICIS.

CAP. I.

De re literariâ Æthiopum.

1. *Literas* cum *sacris transire*, docent exempla 2. *Latinorum* inprimis & 3. *Arabum.* 6. *Origo* Græcarum Latinarumque literarum. 8. *Æthiopicæ* non cum *Hebraicis*, ſed 9. aliquo modo cum nonnullis *Samaritanorum* characteribus conveniunt, 12. quorum, ut & *Græcorum* non expertem fuiſſe repertorem earum, 14. vel *numeri* oſtendunt. 15. *Antiquæ* ſunt literæ; ſed 17. *non* omnes *ſimul* repertæ; 18. argumento literæ *P.* quâ deſtituti fuerunt, 20. ut & noſtri *Germani* olim. 22. *Ambarici* characteres. 24. *Fabula* de *Suriano* & *ſancto* charactere apud Æthiopes refutatur.

1 REm literariam cum ſacris plerumque transire ſupra 3,4,1.
monuimus. Id in plerisq; Europæ nationibus factū
videmus, quæ, cum *Latinæ Eccleſiæ* nomen darent,
2 ejus *literas* & vocabula plurima receperunt. Interdum etiam
novæ literę priſcas expulerunt, quod veterū *Gothorum* literis
Runicis,[a] gliſcente Chriſtianiſmo, contigiſſe ſcimus. Ita *Ru-* (1)
3 *theni* à Gręcâ Eccleſiâ cum ſacris acceperūt literaria elementa.
In toto Oriente, & maximâ Africæ parte, cū *Islamiſmo* invaluit lingua & *literatura Arabica*, exactâ Perſarum veteri, & ſi quæ aliæ Aſiaticæ nationes ante Arabes literas habuerunt.
4 Quamvis enim ſcriptura, quâ vernaculas noſtras calamo exaramus, à Latinâ vel Græcâ plurimum differre videatur, dum literæ pro ſcribentium celeritate & lubitu diverſis ductibus ita variantur, ut alii ac rurſus alii characteres videri
5 posſint: attamen ſi veteres, quæque typis imprimuntur paulò accuratiùs conſideres, haud difficulter à priſcis Latinis de-
6 rivare poteris. Eruditorum communis eſt ſententia *Cadmum* literas Phœnicum Græcis tradidiſſe: Græcos Latinis: (2)
hos cæteris Europæis omnibus; primò armis & imperio, deinde Religione; quamvis ubique magna appareat differentia.

a) Runer in Septentrione vocantur, & adhuc paſſim in ſaxis inciſæ apparent. Videatur *Ol. VVormii* Literatura Runica: & Lexicon Runicum, *Hafniæ Danorum* impreſſum.

Etiam inter illas nationes, quæ Arabicis literis utuntur, magna ſcripturæ diverſitas cernitur; non dicam de Perſis & Turcis, ſed de Mauris & Occidentalibus Africæ nationibus, quarum literas, tametſi origine Arabicas, vix cognoveris.

Quod autem noſtras Æthiopicas ſpectat, in nonnullis 8
nomine quidem: figurâ verò nullatenus cum Hebraicis hodiernis conveniunt, ut ſi has ſpectes, dicendum ſit, Æthiopes cultum neque ſacrum neque profanum ab Iſraelitarum gente accepiſſe. At cum *Samaritanorum characteribus*, quos 9
2,3,46. multi judicioſiſſimi viri pro primævis, & genuinis veterum Hebræorum elementis agnoſcunt [b], aliqualem convenientiam habere videntur. Tametſi pleraſque, niſi valdè diſtor- 10
queas & invertas, ſibi invicem aſſimilare non poſſis. Eos conjunctim ob oculos hîc ponemus:

	Samar.	*Æthiop.*		*Samar.*	*Æthiop.*
Aleph	ࠀ.	አ: Alf.	Lamed	ࠋ.	ለ: Lavvi.
Beth	ࠁ.	በ: Bet.	Mem	ࠌ.	መ: Maj.
Gimel	ࠂ.	ገ: Gæml.	Nun.	ࠍ.	ነ: Nahas.
Daleth	ࠃ.	ደ: Dent.	Samech	ࠎ.	ሰ: Saat.
He	ࠄ.	ሀ: Haut.	Ain	ࠏ.	ዐ: Ain.
Wau	ࠅ.	ወ: Wavv.	Pe	ࠐ.	ፈ: Af.
Zajin	ࠆ.	ዘ: Zaj.	Tzode	ࠑ.	ጸ: Tzadai.
Cheth	ࠇ.	ሐ: Hharm.	Kuf	ࠒ.	ቀ: Kof.
Teth	ࠈ.	ጠ: Tait.	Resh	ࠓ.	ረ: Ræs.
Jod	ࠉ.	የ: Jaman.	Shin	ࠔ.	ሠ: Saut.
Caf	ࠊ.	ከ: Caf.	Tau.	ࠕ.	ተ: Tavvi.

Quamquam non certum quoddam Alphabetum Samarita- 11
num ſecutiſſimus; ſed ex diverſis figuris, quas Clariſſ. *Waltonus* in apparatu Bibliorum polyglottorum habet, eas ſelegerimus, quæ noſtris Æthiopicis ſimiliores videbantur.[c] Ve- 12
riſimile tamen crediderim, autorem literarum Æthiopicarum (quem hucusque incompertum habeo) & literarum illarum antiquarum, & Græcarum veterum cognitionem aliquam habuiſſe; at eas non, veluti manu traditas, in cer- 13
tum ſacrorum uſum accepiſſe, ſed ex ingeniô ſuô ad uſum linguæ Æthiopicæ, recipiendis vocalium notis, formaſſe & ordinaviſſe. Id enim alius ordo: alia punctorum lectionis- 14
que ratio, contra Orientalium morem, à ſiniſtra ad dextram: denique Græci numerorum characteres ſatis indicant; ut ex tabulâ hîc adjectâ videre eſt. Pervetuſtas autem eſſe ex eo li- 15
quet, quôd characteres diverſi eundem valorem habeant; veluti ሀ: ሐ: & ኀ: H. ſimplex: ሠ: & ሰ: S. purum & ſibilans: አ: & ዐ: A nudum: ጸ: & ፀ: Tz. Æthiopicum. Quæ ſono hodie 16
non

b) Walton in apparatu Biblior. Polyglott. Proleg. III. §. 29. & ſeqq.
c) P. II. *de Nummis &c.* in ſupplem. p. 38.

non differunt, & ideo ab Habeſſinis in ſcribendô ferè promi-
ſcuè uſurpantur. Olim autem differenter ſonuiſſe puto; quia
non probabile videtur, repertorem uni ſono duas vel tres fi-
17 guras accommodare voluiſſe. Deinde non ſimul, neque eo-
18 dem tempore repertæ fuerunt. Nam π. Græcorum vel P. La-
tinorum, Æthiopes, æquè ac reliquæ [d] cognatæ Orientales
linguæ, olim non habuerunt, ſed pro eo, vel peregrino ſuo
ጰ: *Pait*, ut ጴጥሮስ : ጳውሎስ: *Petrus*, *Paulus*, vel literâ በ : B. mo-
19 re Arabum uſi fuerunt ; hi enim dicunt & ſcribunt بطرس *Be-
trus*, بولس *Baulus*, ابركسيس *Ibraxis*, πράξεις, *Praxis* (ſcil. A-
poſtolorum.)
20 Quin etiam priſci Germani literâ P. caruerunt. Quare
in peregrinis vocabulis, niſu quodam uſi, F. ſimul protule-
runt, ut: Papa **Pfaff.** Palus **Pfaal.** Pavo **Pfau.**
Pepo **Pfeben.** Pondo **Pfund.** Præbenda **Pfründ.**
& innumera alia: vel *B.* pro *P.* uſurparunt, ut **Babenberg** ho-
die **Bamberg** pro **Papenberg**/Papæburgum: **Bapſt** ex Græco
21 πάππας. Tandem Habeſſini & literam ፐ: *Pa* receperunt, &
22 ultimô locô elementis ſuis addiderunt. Poſtquam verò *Am-
harica* lingua vernaculæ locum occupavit, ſeptem novi cha- 1, 15, 21.
racteres addendi fuerunt, quibus vocabula hujus dialecti for-
tè occurrentia exprimerentur; de quibus in rudimentis illius
23 linguæ pluribus agemus. Præter has nullas alias, neque in li-
bris ſacris, neque profanis, habent literas. Liber conciliorum,
ante 240. annos ſcriptus, quem Romæ extare diximus, nul- 3, 4, 31.
lum alium characterem habet; ut planè mirari cogar, quid
boni illi ſacerdotes Habeſſini Romæ degentes, homines aliàs
ignorantisſimi, P. *Athanaſio Kirchero* [e] de duplici charactere
24 fabulati fuerint: *Antiquo Suriano, & ſancto Sacerdotes & do-
ctiores uſos: hôc autem noſtro vulgari & communi in hunc
25 diem omnes Habeſſinos promiſcuè uti.* Vbi autem extant tales
Æthiopici libri charactere Suriano ſive Chaldaico ſcripti?
Quando, & cur libri ſacri noſtro vulgari charactere ſcribi cœ-
perunt? Nihil tale certe ab ullo probato viro aliàs dictum vel
ſcriptum reperitur.

d) Multi docti viri Dagesh lene pro invento Maſorethico habent; aliàs enim LXX. interpretes, qui & ipſi Judæi fuerunt, פ Hebræorum initiale, quod nunc *Pe* pronunciamus, per π, & non per φ enunciaſſent in vocibus פֶּלֶג φαλὲγ, פַּרְעֹה φαραὼ. & innumeris aliis, quæ Judæi hodie pronunciant Peleg. Par-oh. & ita porrò.

e) In Prod. Copto. cap. III. p. 47.

CAP.

CAP. II.

De Libris & Eruditione Æthiopum.

1. *Libri* non ſacri Æthiop. recenſentur. 6. *Studia* qualia. 7. Leges ſcriptæ nullæ. 8. Miſera *medendi* ratio, 12. etiam cùm *Rex ægrotat*. 15. Nec melior *Philoſophiæ* peritia. 16. De mixtura *elementorum* in corpore humano. 23. Duas *animas* aſſerunt. 30. In *Matheſi* aut abſurdi ſunt, aut rudes. 35. *Poëſin* amant, ſed *ſacram* tantùm, 38. quæ tota *Rythmica*. 39. Genera varia. 40. *Ænigmata* & *proverbia*. 41. *Linguæ Latinæ* cupidi ſunt: ſed 42. *Patres* eam docere noluerunt. 45. *Arabica* frequens eſt apud illos. 49. Epiſtolaris ſtylus.

PRæter libros ſacros paucos alios habent. Vana enim prorſus ſunt, quæ de Bibliothecâ X. millium voluminum Jac. Baratti nugatur.[f] Pauci nobis innotuerunt, videlicet: 1
2,3,30. ክብረ፡ነገሥት፡ *Gloria Regum*. De quo in præcedentibus egimus. Neſcio an ſit ille, de quo P. *Tellezius* ſcribit, quòd ſummæ apud Habesſinos ſit autoritatis, & alterum quaſi Evan-
Alv.c.37. gelium: eumque in Baſilicâ Axumenſi aſſervari. In eo hiſtoria Reginæ Sabæ, aliæque plures leguntur, ab Habesſinis fide dignisſimæ judicatæ.

መጽሐፈ፡ታሪክ፡ *Chronicon*. Allegatur à Rege *Claudio* in confesſione Fidei ſuæ. 2

መጽሐፈ፡ፈላስፋ፡ *Liber Philoſophiæ*. Æſtimatur in Æthiopia.

1,15,34. ሰዋሰው፡ *Scala*, Vocabularium, de quo ſupra. In eo vocabula difficiliora Amharicè vel Arabicè, ſed infelicisſimè & ſępè perversè exponuntur; ut exemplum ſequens de gemmis docet; Gregorius id mihi miſit: 3

ኢያስጲድ፡በኦሪት፡ወበአቡቀለምሲስ፤በዓረብ፡ያሽብ፡ኅብሩ፡ጸዐዳ፡ወቀይሕ።	*Jaſpis* in Pentateucho & Apocalypſi. Arabicè eſt يشب Color ejus albus eſt & ruber. 4
ሰንፔር፡በኦሪት፡ወበአቡቀለምሲስ፡ወበዓረብ፡ዐቂቅ፡ኅብሩ፡ከመ፡ፍሕም።	*Sapphirus* in Pentateucho & Apocalypſi. Arab. عقيق Color ejus eſt inſtar prunæ. 5

Carbunculum, quem hodie *Rubinum* vocant, intellexit. Plu-
(3) ra in Commentario noſtro dabimus.

Nulla,

f) Vrretæ viſum non fuit operæ pretium, tam modeſtè mentiri: Celeberrimas Bibliothecas, ait, quotquot unquam famam habuerint, nihili eſſe reſpectu Bibliothecæ Presbyteri Johannis. Libros eſſe innumerabiles & non habere numerum (ſic loquitur) pulcherrimè compactos & ornatiſſimos. Multos Patriarcharum, Salomonis &c. nomina præ ſe ferre. Exploditur à Nic. Godign. L.I. c.17. Et tamen Galleſius, qui de Bibliothecis noviſſimè ſcripſit, id refert pag. 141. in edit. Pariſ. 1680. Idem p. 126. ait: In Bibliotheca Cancellarii Seguierii plures quàm in ullâ aliâ Bibliothecâ Æthiopicâ dari Libros Æthiopicos.

6 Nulla, præter eruditæ ſuæ linguæ rerumque ſacrarum, ſtudia
tractant. Plerique ſatis habent, ſi legere & ſcribere ſciant; id-
que vel parentes liberos ſuos docent: vel monachi mercede
7 conducti. Nullas leges ſcriptas habent; conſuetudine &
moribus majorum jus & fas omne æſtimatur: & arbitrio ju-
dicis lites pleræque definiuntur.
8 . Medendi ratio apud eos prorſus eſt deploranda; ſecan-
9 do & urendo homines, ceu equos, curant. Ictero medentur
ferro arcuato, & candenti, circa juncturam brachii ſemicir-
culum facientes, cui parum goſſipii ſuperimponunt, ut hu-
mor vitioſus tamdiu deſtillet, quoadusque invaletudo abie-
10 rit. In plurimis morbis quilibet ſibi medicus eſt. Herbas
11 quas à parentibus ſuis utiles eſſe cognovit, adhibet. Sunt
apud eos qui putant, nihil intereſſe, an Medicorum & Phar-
macopolarum operâ, vel ſine eâ moriantur, ſe interim tam
12 gravibus expenſis opus non habere. Si Rex ægrotat, acce-
dunt, quaſi per pietatem ſciſcitantes, *Quid illi doleat? aut quo
morbo laboret?* ac ſi quis eodem morbi genere laboraverit,
quô pactô convaluerit, narrat, atq; ſic eadem omnibus ſalu-
13 bria eſſe opinantur. Quod ſi peſtis fortè cœperit, deſerunt do-
mos atq; villas, ac in montes cum armentis ſuis ſe recipiunt,
14 fugâ remedium quærentes. Febrem tertianam torpedine
piſce curant, cruciatu ineffabili, ut ſupra retulimus. Vulne- 1, 11, 14.
ra myrrhâ ſanant, quæ illic eſt communiſſima.[g]
15 Non quidem adhuc videre mihi contigit *librum Philo-
ſophiæ*, quem paulo ante nominavi, ſed non valdè argutos
Philoſophos eſſe, ex diſputationibus eorum Theologicis ap-
16 paruiſſe, *Tellezius* autor eſt: Ne Phyſicæ quidem ullam 3, 9, 48.
idoneam peritiam habent, ut cuique libros eorum legenti
palam fit. De mixturâ quatuor elementorum in creatione
hominis, ut & de animâ humanâ autor *Organi* ſequentia Lect. Lat. 2.
tradit; ex quibus videre eſt, quo pacto ſoleant philoſophari:

17 መንክረ፡ ገብረ፡ እግዚአብሔ	*Miraculum fecit Deus, dum crea-*
ር፡ አመ፡ ለሐኮ፡ ለአቡነ፡ አዳ	*vit patrem noſtrum Adamum, &*
ም፡ ወገብሮ፡ እም ፬ ጠባይዕ።	*formavit eum ex quatuor elemen-*
18 ቶስሐ፡ ጠባይዕ፡ ከመ፡ ኢይት	*tis. Miſcuit elementa, ita tamen*
አበዩ፡ በቤናቲሆሙ፡ ፩ ምስ	*ut non diſcordarent inter ſe. Pri-*
ለ፡ ካልኡ፡ ወሣልሥ፡ ምስለ፡	*mum cum ſecundo, & tertium cum*
ራብዑ። ቶስሐ፡ ርጡበ፡ ምስ	*quarto: miſcuit humidum cum*
ለ፡ ይቡስ፡ ወመዑየ፡ ምስለ፡ ቈ	*arido, & calidum cum frigido: in-*

g) Epiſt. Alph. Mend. ad B. Tellez.

ዞር:: ዘኢይትረአይ፡ ምስለ፡ዘ
ይትረአይ:: ወዘይትገሠሥ፡ምስ
ለ፡ ዘኢይትገሠሥ:: ክልኤተ፡ገ
ብረ፡እምዘይትገሠሥ፡ ወክልኤ
ተ፡ እምዘኢይትገሠሥ:: ሠለስ
ተ፡ ገብረ፡እም ይቡስ፡ ወአሐ
ደ፡እምርጡብ:: ሠለስተ፡ገብ
ረ፡ እምዘይትረአይ፡ ወአሐደ፡
እምዘኢይትረአይ:: ሠለስተ፡
ገብረ፡ እምቍሩር፡ ወአሐደ፡
እምውዑይ:: አእመረ፡ ነዳቂ፡
ኀበ፡ ዘየኀድር፡ ጽርሐ፡ወአስተ
ናደፈ፡ መአዝኒሁ፡ ለቤት፡ በ፬
ጠባይዕ:: ወሶበ፡አእመረ፡ካዕ
በ፡ከመ፡ ኢይክል፡ ለሐኵት፡ ተ
ሐውሶ፡ ወኢነቢበ፡ ዘእንበለ፡
Gen.2,7. ቱስሕተ፡ መንፈስ፡ ዘእምኀቤ
ሁ፡ ነፍሐ፡ ውስተ፡ ገጹ፡ ወረሰ
የ፡ ነባቤ፡ ወዘይትሐወስ:: በከ
መ፡ ትቤ፡ ቅድስት፡ ኦሪት፡ ነፍ
ሐ፡ውስተ፡ገጹ፡ለአዳም፡መንፈ
ሰ፡ ሕይወት:: ወኮነ፡ እጓለ፡እ
መሕያው፡ በመንፈስ፡ ሕይወት፡
ወበእንተዝ፡ ኢትመውት፡ ነፍስ፡
Matth.10,28. ምስለ፡ ሥጋ:: እስመ፡ እምአ
ፉሁ፡ ለእግዚአብሔር፡ ወፅአት፡
ተቶስሐት፡ ምስለ፡ ሥጋ:: በከ
መ፡ ይቤ፡ እግዚእነ፡ በወንጌል፡
ኢትፍርህዎሙ፡ ለእለ፡ ይቀት
ሉክሙ፡ ሥጋክሙ፡ ወለነፍስክ
ሙሰ፡ ኢይክሉ፡ ቀቲሎታ፡ ፡ወዘ
ይቤሰ፡ ኢትቅትል፡ ነፍሰ፡ በእን
ተ፡ ደመ፡ነፍስት፡ ይቤ:: እስመ፡
፪ ነፍሳት፡ ሀለዋ፡ ኀበ፡ሰብእ፡
አሐቲ፡ መንፈሰ፡ ሕይወት፡ ዘወ
ፅአት፡እም አፉሁ፡ ለእግዚአብ
ሔር፡ወኢትትኌለቍ፡ምስለ፡ጠ
ባይዕ፡ ወኢትመውትኒ:: ወአሐቲ
Gen.9,4. ሰ፡ ደመ፡ነፍስት፡ ይእቲ፡እምጠ
ባይዕ፡ ወይእቲሰ፡ መዋቲት:: ወበ
እንተዝ፡ ይቤ፡ እግዚአብሔር፡
ኢትብልዑ፡ ምስለ፡ ደም፡ እስ
መ፡ ደመ፡ነፍስትክሙ:: ወዓምደ፡ ቤቱሰ፡ ለእግዚአብሔር፡መ

visibile cum visibili, palpabile cum
impalpabili: duo fecit ex palpabili,
& duo ex impalpabili. Tria fecit 19
ex arido, & unum ex humido: tria
fecit ex visibili, & unum ex invisibi-
li: tria fecit ex frigido, & unum ex
calido. Noverat Architectus ubi
constituendum esset penetrale; &
fundavit angulos domus in qua-
tuor elementis. Cumque scivisset, 20
quòd fictile se movere non posset,
neque loqui sine mixtione spiritus
ex illo profecti. Ideò inflavit in fa-
ciem ejus, & fecit ipsum rationa-
lem & moventem se. Quemadmo- 21
dum dicit sancta Lex: Inspiravit in
faciem Adami spiraculum vitæ, &
factus est homo per spiritum vitæ.
[h] *Propterea non moritur anima*
cum corpore, quoniam ex ore Do-
mini egressa, mixta fuit cum cor-
pore. Quemadmodum dicit Do- 22
minus noster in Evangelio: Ne ti-
meatis illos qui interficiunt cor-
pus, animam autem non possunt
interficere. *Quod autem dixit:*
Non occides animam; *de anima*
sensitiva dixit, quoniam duæ ani- 23
mæ *sunt in homine, una est* spiritus
vitæ, *qui egressus est ex ore Dei, nec*
numeratur inter elementa: nec mo-
ritur unquam: altera autem est
sanguis corporis (*i. e.* anima sensi-
tiva *qua* (ortum suum habet) *ex*
elementis, atque illa mortalis est.
Quamobrem dixit Deus: ne com- 24
edatis carnem cum sanguine; *quo-*
niam sanguis animam sensitivam
efficit. At columna domus Dei spi-
ritus

h) በመንፈሰ፡ ሕይወት፡ in Mss. non aliter legitur. በ፡ autem significat *Per*; causam. Quasi vigore hujus spiritus vitalis homo factus fuerit.

ንፋስ:ሕይወት:ወእቱ::ወእመ
ከመ:ወጽአ:እንከ:መንፈስ:
25 ሕይወት:ትከውን:በድን:ሥጋ:
ወበእንተዝ:አርኰሰት:ኦሪ
26 ት:በድን:እስመ:ወፅአ:እምኔ
ሁ:መንፈስ:ሕይወት::ወበኀ
ቤነሰ:በድን:ክርስትያናዊ:ን
ጹሕ:ወእቱ::እስመ:ተቶስሐ:
ሥጋሁ:በደመ:መለኮት::ወጸ
ጋ:ጥምቀትኒ:ኢይአትት:እም
27 ኔሁ:ወበእንተ:በድን:ሥጋሁ:
ለወልደ:ድንግል:ይቤ:ዳዊት:
ወገደፉ:እኀዊሆሙ:ከመ:በድ
ን:ርኩስ። ዘብሂል:ኢያእመ
ሩዎ:ከመ:ቅዱስ:ወእቱ::እ
ስመ:አኀዊሁ:እሙንቱ:ሕዝበ:
አይሁድ:እመንገለ:እሙ:ወ
ልማዶሙ:በውስተ:ሕግ:አር
ኩሶ:በድን::

ritus vitæ *est. Postquam verò exiit* ſpiritus vitæ *corpus fit cadaver. Propterea Lex immundum pronunciavit cadaver, quoniam ex eo egreſſus est* ſpiritus vitæ. *Apud nos autem corpus exanime* Chriſtianum *mundum est, quoniam commixtum fuit corpus humanum ſanguine divinitatis. Gratia quoque baptiſmi non discedit ab illo. Et de cadavere corporis Filii Virginis dixit David:* Abjecerunt fratrem Ps. Æth.
ſuum ſicut cadaver immundum. 37.31.
Hoc est: Neſciverunt quòd ſanctus eſſet. Quoniam fratres ejus erant Judæi, reſpectu matris ejus. Statutum autem illorum in lege erat, immundum judicare cadaver.

28 Mirum eſt Habeſſinos, qui duas in Chriſto naturas, in unâ hypoſtaſi realiter unitas, intelligere non poſſunt: duas in ho-
29 mine animas animo concipere poſſe. Mirum verò non eſt, ſi conſideres dari etiam aliquos, qui tres in homine animas fingant, cum plures fingere poſſent, ſi unamquamque facultatem animalem pro anima habere velint.

30 Verùm enim verò, hæc atque alia talia interpretationem & excuſationem admittunt; at quæ de *ſyſtemate mundi* & aſtrorum motu vulgus credit, ea prorſus abſurda & indi-
31 gna relatu ſunt. *Tellurem* globum rotundum eſſe, & in medio aëris liberè ſuſpendi, pro inſigni fabula habent. Quid dicturos putas? ſi *planetas animalia* eſſe, & loco ſolis ſemper ſtantis, vaſtiſſimum cœli ſpacium volutando ſe perambulare docueris: & *antipodum* pedes noſtris obverſos aſſeverave-
32 ris. Certè illos in cœlum neceſſariò caſuros jurabunt. In quo tamen ſimplicitatem illorum non irriſeris, quia & nonnul-
33 li Sancti Patres, graves viri, antipodes negaverunt. *Solem* autem per feneſtram quandam abire & redire, dum occidit vel oritur, ſimpliciſſimi mortalium ſomniant. Quâ verò viâ ſubtus terram tranſeat, ſolliciti non ſunt. Sapientiores tamen in eo videri poſſunt Muhammede, divino illo ſcilicet Musli-

i) Verſus hîc in Codicibus noſtris non reperitur, olim autem in Codicibus Græcis & Latinis extitiſſe Ambroſius teſtatur. Vide Flam. Nobilii not. ad hunc locum.

morum Prophetâ, qui illum in puteum quendam cubitum
ire ſcribit. Pro magnô Philoſophô habitus fuit Gregorius 34
meus, quòd convexum quoddam ex chartâ inſtar cœli con-
fecisſet, cui intus grana tritici agglutinaverat, repræſentan-
dis primæ magnitudinis ſtellis, quo converſo oſtenderet, cœ-
lum, circum terram aëre circumdatam, moveri.

Cæterùm inter artes liberales *Poëſin* maximè amant, ſed 35
ſacram duntaxat: Ethnicam meritò deteſtantes. Oppido 36
mirabatur Gregorius, quòd poſt ſublatum gentilium Deo-
rum cultum, dirutaque idolorum templa, non ſimul libri &
carmina, quæ de illis agunt, radicitus fuerint deleta. Neque 37
enim par eſſe, ut Chriſtiani fabulas de Deaſtris ſæpe turpes le-
gant, multò minùs ut illas imitentur, atque exinde præcipua
carminum ſuorum ornamenta petant; cùm omne veſtigium
tam fœdæ idololatriæ Chriſtianis oporteat eſſe abominatio-
ni. Carmina verò Æthiopum in meris conſiſtunt *Rhythmis*; 38
ſi Rhythmos vocare licet conſonantes ejusdem ordinis ver-
ſum finientes, quamvis vocalibus diſſonantes. Præter eos
(6) vix ullum obſervari poteſt metrum. Genera varia habent, 39
prout in proſodiâ, novæ Grammaticæ noſtræ adjectâ, fuſiùs
(7) docebimus. *Ænigmatibus* etiam atque *proverbiis*[k] delectan- 40
(8) tur, quorum aliqua in commentario noſtro reperies.

1,14.3. Ingenio autem docili præditos eſſe Habeſſinos ſupra 41
memoravimus; atque eam ob cauſam eruditionis cupidiſſi-
mi ſunt, multumque fatigaverunt Patres Societatis, ut pue-
ros ſuos Latinè docerent. Verùm illi magis in docendâ reli- 42
gione *Latinâ*, quàm *linguâ* occupati fuerunt, & pauciores
numero docendæ linguæ vacare non poterant. Difficulta- 43
tem autem rei inſuperabilem, & maximam linguæ Latinæ
ab Amharicâ diverſitatem prætexuerunt. Negari ſanè ne- 44
quit, eum, qui de arte Grammaticâ nihil unquam audivit,
(9) difficillimè doceri poſſe, ut mihi cum Gregorio contigit. Ha- 45
beſſini enim ſolo uſu linguas diſcunt, maximè *Arabicam*,
quæ cum inter mercatores vicinos: tum inter Muhammeda-
nos Regi ſubjectos, & inter aulicos frequens eſt, eâque in lite-
ris Regiis ad exteros utuntur. Arabes ipſi, ut ſunt propagan- 46
darum fabularum ſuarum inter Chriſtianos ſtudioſiſſimi, eas
Arabicè ſed Æthiopicis literis deſcribere ſolent, ut eò faciliùs
ſim-

k) Supra 1,7,14. b. not. ſequentis proverbii meminimus: አድባራት፡ኰሖል፡የኳል ቍ፡በብሌን፡ወበማሁ፡ሀየማሁ፡ለብእሲ፡ለሀለ ታት። Montes *Kohol* conſumuntur ſpecillo oculario: & ita tempus præfinitum hominis conſumitur diebus. Vide proverbia Petræi poſt Jon. Proph.

47 ſimplicioribus imponant. Exemplum in Grammaticâ noſtrâ dedimus, & in Comment. rurſus dabimus: ut & quomo-
48 do Cophtitica Æthiopicis literis ſcribantur. Epiſtolas privati (10)
raro ſcribunt; nec rationem mittendi ſciunt. Si quis verò ſcribere velit, ad *ſcribam regionis* ſuæ, qui ጸሐፌ፡ሀገር፡ vocatur, abit, & pro mercede certâ epiſtolam ſibi componi curat.
49 Quo pacto verò eas exarare ſoleant, ex epiſtolis Gregorii ad
50 me datis liquet. Earum diverſa ſunt exordia, in his enim (11)
præcipuum ornamentum ponunt, ut ferè cæteri orientales; quia tantò pulchrior cenſetur epiſtola, quantò pulchrius fuerit exordium.

CAP. III.

De nominibus hominum apud Habeſſinos uſitatis.

1. Nomina propria *ſignificativa* ſunt, 2. non *appellativè* exponenda. 3. Plerumque à *ſacris* vocabulis deſumta, *Trinitatis* &c. 4. *Chriſti:* 5. *Mariæ* &c. 7. *Ethnica* deteſtantur. 9. *Fœminarum* nomina. 10. Cum *Arabicis* communia. 11. Quædam peculiaria.

1 NAtiva Habeſſinorum tàm virorum quàm fœminarum nomina, quæ non cum cultu ſacro ex Hebræâ vel Græcâ linguâ: aut à Coptis vel Arabibus ad eos venerunt, veluti ዳዊት፡ *David:* ያዕቆብ፡ *Jacobus:* እንድርያስ፡ *Andreas:* ቴዎድሮስ፡
2 *Theodorus:* ጎርጎርዮስ፡ *Gregorius*, ſignificativa ſunt omnia.[1].
Igitur ſi fortè pro appellativis accipias, ſenſum mirè turbare (12)
atque confundere poſſunt. Quamobrem operæ pretium exiſtimavimus nonnulla hîc exponere, ex quibus reliqua fa-
3 cilè conjici poterunt. Quæ articulum ዘ፡ notam Genitivi, præmiſſum habent, ea vel devotionem, vel ſubjectionem aliquam denotant, ut:

ዘሥላሴ፡	*Zaslaſſe*, Trinitatis; ſcilicet ſubjectus, vel S.S. Trinitati devotus.	
ዘክርስቶስ፡	*Zachriſtos.* Chriſti; h.e. Chriſto devotus.	
ዘወልደ፡ማርያም፡	*Zawalda Marjam*, Filii Mariæ	famulus vel addict⁹.
ዘማርያም፡	*ZaMariam* Mariæ	
ዘድንግል፡	*Zadenghel* Virginis	
ዘሚካኤል፡	*ZaMichaël* Michaël	
ተክለ፡ሥላሴ፡	*Planta Trinitatis*	

4 Sat multa cum nomine Chriſti componuntur, ut:

1) Quædam etiam mirè corruperunt; ex. gr. ናኦድ፡ *Naod* eſt Græcum ἀώδ. Jud. 3. 15. quod eſt ex Hebræo אהוד. Æthiopes verò ΤΟΝ ΑΩΔ audientes vel legentes, N. articuli, nomini ipſi præfixerunt.

ገብረ:	ክርስቶስ:	*Gabra-Christos*	Servus Christi m)	vel *Filii κατ' ἐξοχήν.*
ሥእለ:	vel	*Sula-Christos*	Imago Christi	
ጸጋ:	ወልድ:	*Tzaga-Christos*	Gratia Christi n)	
አካለ:		*Acala-Christos*	Substantia Christi	
ተንሣኤ:		*Tensea-Christos*	Resurrexit Christus	

Quę in sermone contractè pronunciantur; nempe *Gabraxòs, Seelaxòs Tzagaxòs, Acalaxòs, Tanseaxos.* 5

Vt & cum nomine *Mariæ* vel *Virginis*, ut:

ሀብተ:	ማርያም:	*Habta-Mariam*	Donum	*Mariæ* vel *Virginis.*
ተክለ:	vel	*Tecla-Mariam*	Planta	
ማኅፀንተ:	ድንግል::	*Mahtzenta Mariam*	Depositum	
ላእከ:		*Laeca-Mariam*	Famulus	
ዐጽፈ:		*Atzfa-Mariam*	Tunica	
ሠርጸ:		*Serza* Denghel	Germen	

Vel cum aliis sacris nominibus, ut: 6

ጸጋ:ዘአብ:	*Tzaga-zaab* Gratia patris.
ፍቁር:እግዚእ:	*Fekur-Egzi-e* Dilectus Domini.
ኢየሱስ:ሞአ:	*Jesus-Moa* Jesus vicit.
ክፍለ:ዋሕድ:	*Kefla-Wahed* Portio unici sc. Filii Dei.
ዐምደ:ጽዮን:	*Amda-tzejon* Columna Sionis.
ተስፋ:ጽዮን:	*Tesfa-tztejon* Spes Sionis.
ዘርአ:ያዕቆብ:	*Ber-a-Jacob* Semen Jacobi.
ዘርአ:ዮሐንስ:	*Zer-a-Johans* Semen Johannis.
በኃይለ:ሥሉስ:	*Zahaila-Selus* Virtute Trini.
በኃይለ:ሚካኤል:	*Bahaila-Micaël* Virtute Michaëlis.

Quippe non putant decere Christianos Ethnicorum nomina 7 liberis suis imponere. Eos enim nominis, quod illis cum aliis sanctis aut claris viris commune est, & exinde officii & muneris sui commonefaciendos esse. Nomen etiam *Homodei*, 8 Italis notum, ሰብእ: ወአምላክ: Seb-Waamlac, i. e. *Homo & Deus* hîc reperitur.

Fœminarum nomina sunt: 9

መለኮታዊት:	*Malacotavit* Divina.
ወንጌላዊት:	*Wangelavvit* Evangelica.
አመተ:ክርስቶስ:	*Amataxos* Ancilla Christi.
ሮማን: ወርቅ:	*Romana Wark* Malum punicum aureum.

Cum Arabibus & Cophtitis multa quoque communia ha- 10 bent nomina, ut:

بازان	ባዜን:	*Bazenus.*
ابره	አብርሃ:	*Abreha.*
اصبحه	አጽብሐ:	*Atzbeha.*

Dantur tamen & peculiaria quædam, ut ሱስንዮስ: *Susnejos,* 11 *Susneus.* Quod autores mirè corrumpunt *Sacinos, Socignos.* scribentes.

m) عبد المسيح Abd'-elmesih, χριστόδουλος.

n) Nisi secundum Amharicam significationem exponere velis *Donum Christi* & ጸጋ: ዘአብ: Tzaga-zaab. *Donum patris*, quod meliùs quadrare videtur.

CAP,

CAP. IV.

De re domesticâ Habessinorum, matrimoniis, victu, amictu, habitatione & sepulturâ.

1. *Matrimonia* Christiana. 2. *Polygamia* legibus civilibus licita, Ecclesiasticis non. 4. *Divortia*. 5. Ritus *nuptiales* 6. ex *Alvarezio*. 7. *Benedictio* sacerdotalis. 8. Victus *caro* bubula *cruda* vel semicocta: 10. *herbæque* à bobus *semidigestæ*. 12. *Panis* qualis? 13. *Pecuaria*. 14. *Butyri* conficiendi: 15 & *molendi* modus difficilis. 16. Vestium lotura. 17. *Potus* post cibum. 18. Hydromeli: 19. *zythus*. 20. *Vestitus* tenuis. 21. Mira *parsimonia*. 22. *Nuditati* assueti. 23. Capillos 24. crispant & butyro ungunt. 26. *Domicilia* vilia. 27. Domus Regiæ. 28. Mos lugendi mortuos. 29. Sepultura Regia ejusque pompa.

1 MAtrimonia Christianô more contrahunt Habessini
2 cum singulis uxoribus. Plures ducere nullâ quidem
lege civili prohibentur, id tamen pœnis ecclesiasticis coërce-
tur; quia Christianorum institutis, sacrisque canonibus ad-
versatur. Propterea polygamos à sacrâ cœnâ arceri diximus. 3, 6, 100.
3 In ea autem sunt opinione, quicquid Rempublicam aut
privatorum securitatem non lædat, nec secularibus pœnis
4 vindicandum esse. Neque etiam in divortiis faciendis scru-
pulosi sunt; ducendis dimittendisque uxoribus, pari facilita-
te; neq; aliam morum partem magis reprehendit *Tellezius*: L. I, 16. &
& quòd Patres Societatis id Habessinis indulgere noluerint, V, 35. & 39.
inter causas defectionis à Romanâ Religione refert, ut supra 3, 11, 64.
diximus.
5 *Ritus nuptiarum* tradere, non est pro dignitate hujus
6 operis: nec iidem in omnibus provinciis sunt. Quos Alva- c.20.
rez recenset, nimirum ubi *genialis torus* ante domus fores
statutus à tribus Presbyteris, Halleluja concinentibus, cir-
cumitur: ubi sponsorum abscissi *cincinni* commutantur, &
similia: Gregorius prorsus ignorabat, & fortassis in Tigrâ
7 tantùm usitatos fuisse, dicebat. Scias tamen benedictio-
nem sacerdotalem ad perfectionem matrimonii inter om-
nes requiri.
8 *Victus* illis non tantùm vilis & exilis est, sed etiam ab B. T. L. I, 16.
usu nostro alienissimus; cruda enim vel semicoctâ carne bu- & III, 32.
9 bulâ avidè vescuntur. Exemplum refert Franciscus Alva- c. 48.
rez de Præfecto Hangotæ (*Angot-Ras*) qui ejusmodi *dapi-
bus* excepit Rodericum Limæum Lusitanicum Legatum,
sed valdè nauseantem. Quippe pro condimento additur fel; Id. B. T. p.
tam corruptus est illorum gustus, ut illis sapiat tanquam mel. 42.
10 Pejus adhuc est quòd è ventribus boum mactatorum *herbas*
com-

comesas & semidigestas pipere quidē & sale probè conditas, tanquam præstantissimum sinapi appetunt; (ne in mortario 11
contundere opus habeant) quasi herbæ salubres à bobus Æthiopicis meliùs quàm ab hominibus cognoscerentur. Tale 12
minutal, quod illis appetitum, nobis nauseam movet, nemo nostrum illis facilè invidebit. Pane subcineritio ut plurimum utuntur, tenui, in modum placentarum, *Apas* vocant; de
2,12,9. quibus supra egimus.

1,10,5. Nationes aliquas diximus solâ re pecuariâ victitare. Pe- 13
(13) cudes ut multarum antiquarum gentium, solæ illarum opes sunt; hinc victus & amictus, carnem earum edunt & lac bi-
2,7,51. bunt. Scenicus ille Rex Jacobus, in abstrusis montium recessibus latens, tres vel quatuor capras, tanquam culinam & cellam aliquam vivam, secum habuit. *Butyrum* & *caseum* o- 14
ptimum, ubi temperatus est aër, conficere possunt; quô calidiores regiones aliàs carent, quia ob æstum difficulter congelatur. Verùm idoneis vasis destituti, non nisi magno labore cogunt, quippe in labro patulo lac tamdiu quatiunt, donec in butyrum coaguletur. Ita & *molendi modus* illis est difficil- 15
limus & laboriosissimus; catinum enim habent, cui grana
(14) imponuntur, metam verò manibus tamdiu versant, quoad grana comminuantur, (ex quo datio veterum in pistrinum intelligi potest) postea cribrant atque pinsunt panem: idque propriè fœminarum & ancillarum est officium, adeò ut etiam
(15) servos ad id cogere non possis. Viri contrà vestes lavant co- 16
riaceas, vel etiam gossipinas, ubi eas habent, lineæ ferè deficiunt; aliàs pellibus plerumque tecti sunt.

Potus illis lautior est, epularum omnium complemen- 17
(16) tum. Id enim peculiare cum multis veterum habent, ut re-
B.T.p.42,b. motis demum mensis bibant; *plantandum priùs quàm irrigandū esse* dicentes; more calidiori climati vix convenienti, & Germanis nostris minimè placituro, qui madida potu fercula magis amant. Potant autem in hilaritatem & confabulationes effusi, quæ non citiùs quàm potus finiuntur. *Hy-* 18
dromeli optimum conficiunt, ob copiam mellis, quod in Habessiniâ abundare diximus, instar vini inebriat, illi ጸጅ: *Tzed* vocant. Sunt etiam qui pro familiâ vilius faciant, quinque vel sex aquæ partibus unam mellis miscentes. Adhæc è 19
frugibus potum excogitaverunt: vel ab Ægyptiis facere di-
(17) dicerunt, ጸላ: vocant. *Zythum* rectiùs dixeris, quàm *cere-*

visiam

visiam, quia sine lupulo coquitur. Propterea non durat. Alba est & dulcis: Saxonicæ, quam **Breyhan** appellant, similis;
20 cerevisia verò nostra paulò amarior Gregorio videbatur. *Vestitus* non minus tenuis est; soli Principes viri sericis sive bombycinis utuntur: Clerici, aliiq; opulentiores gossipinis. Pauperiores seminudi, vel pellibus tecti, vix verenda operiunt; quod & apud nobiliores & sacerdotes sæpe usu venit. At sine subligaculo in templum vel sanctuarium prodire, sanè inde- (18)
21 corum: Europæis autem scandalosum est. Nobiles tamen gestant femoralia, vel potiùs braccas, ad talos usque demissas; sed mirâ parsimoniâ, cujus etiam Regem non pudet. *B.T.I, 15.*
Nam ad genua usque, quatenus videlicet tunicâ teguntur, lineæ vel vilioris telæ sunt: inferiùs verò, quatenus conspiciuntur, ex serico vel holoserico, Damascenâ, aliáve preciosâ veste fiunt: nec curant, quòd, dum sedent, vel equos conscen-
22 dunt, vilior appareat. Ob teporem aëris, maximè verò ob paupertatem pueri puellæque ad pubertatem usque nudi incedunt: ita nuditati assueti, postea adultiores facti pudori mi-
23 nus consulunt. Quantum verò vestium cultui decedit, tantum capillorum ornatu supplere conantur, ut meritò dicere
24 possis, annus est priusquam pectant & comant se. Non crispant solùm comam, quibus ea, quod rarum, rectior est, sed ungunt etiam; non certè balsamis, aut ambræ moscíve oleis, sed butyro: non considerantes, quòd, qui ob fœtorem nasum avertere coguntur, tam pulchrè nitentes capillos contem-
25 plari non possint. Ne verò tam nitida, tamque elegans *cæsaries* noctu perturbetur, aut comprimatur, raro scilicet artificio, furcæ, cervicalis loco, collum inserunt, ut caput liberè pendeat. sic vanitatem quieti anteponunt.
26 Haud minor paupertas in habitationibus eorum visitur. Castrenses omnes (ut supra memoravimus) vel sub tentoriis vivunt: vel in stativis ex maceriâ & arundinibus mapalia construunt tumultuaria, quæ argillâ vel limo oblinunt, & strami-
27 ne vel ulvâ tegunt, eaque motis castris relinquunt. levi damno, ubique obviâ materiâ. Non multò meliores sunt villæ, vix contra irruptionem bestiarum tutæ. Cafri ferarum more sub dio agunt; ubi nox eos manere coëgit. At Regum *B.T.I, 22. in fin.*
domus duum generum sunt, longiores ሰቀለ: *Sakalà*: at rotundæ, si paulò grandiores sint, ቤተ:ንጉሠ:[o] *Domus Regis* vocantur.

o) Tellez malè *Behet-Nugu*, cum Beta-Negus pronunciandum sit.

B.T.L.I. c.16. Mortuos ſuos lugent flebili planè modô; pectus atque 28
os pulſant. Auditâ alicujus clari viri, vel boni amici morte,
illicò humi procumbunt, caput ſolo graviter affligentes.
Id.V,37. Funus Susnei paucis referre operæ pretium videtur; ut, quo 29
pacto Reges Habeſſinorum ſepeliri ſoleant, cognoſcatur.
Corpus pretioſa veſte involutum & contectum è Dancazâ,
ubi tunc caſtra erant, in templum, cui Ganeta-Jeſus nomen,
efferebatur. Lectum præibant ſigna atque vexilla, non verſa, 30
ut apud nos, ſed erecta: nullisque figuris aut ſymbolis ornata,
ſed coloribus tantùm variegata. Audiebantur tympana pul-
ſu lento & triſti. Deinde tres equi ex optimis, quos equitare
ſolebat, magnificè inſtructi: & tanquam in ſolenni aliquo
feſto phalerati, ducebantur. Poſtea pueri nobiles, habitum 31
ejus, & inſignia regia, nempe coronam, cingulum, gladium,
haſtam, clypeum &c. geſtantes: eaque per vices inter ſe per-
mutantes, ſpectatores ad luctum & lachrymas provocare
ſtudebant. Ipſa Regina huic fini coronam mariti in capite
ſuo ſat longo ſpatio portavit. Ipſa, Filiæ, fœminæ atque vir- 32
gines nobiles, reſectis capillis, in mulis: Filius ſucceſſor cum
fratribus & reliquis aulicis, in equis equitantes, aut pedibus
incedentes ſequebantur. Omnes raſo capite, & pannoſis aut
detritis indumentis, loco pullæ veſtis, induti. Nulla funalia
neque faces per viam collucebant: nec candelæ in templo ar-
debant: nec quidquam in eo audiebatur, præter ploratus &
lamenta, donec corpus tumulo inferretur. Solummodò mo-
nachi nonnulli, prope valvas ſtantes, Pſalmos aliquot Davi-
dis legebant. Poſtridie Dancazam reverſi ſunt; quâ viſâ de- 33
nuò ordinata fuit pompa: feretrum vacuum reportatum: &
juxta illud eques, Imperatoris habitu & ornatu: quem præ-
cedebat alius, galeâ & haſtâ, in equo phaleris inſigni, arma-
tus. Illic cohortes aliquot militum cum armis obviam vene- 34
runt, conclamationibus & ejulationibus acerbis dolorem
ſuum teſtantes. Primores Regni, aulæque proceres tento-
rium novi Regis ingreſſi, gemitus atque lamenta reſumſe-
runt: ac tandem gratulationibus & votis pro felici regimine
& proſpero rerum ſucceſſu actum hunc finiverunt.

CAP. V.

De artibus mechanicis, & opificiis.

1. *Opifices* ferè nulli. 2. *Judæi* textores ſunt & fabri. 4. Nullæ opificum ſocietates. 6. *Tubicinum* & *Buccinatorum* certæ ſunt familiæ. 7. *Architectura* olim cognita:

8. nunc

8. nunc oblivioni tradita. 10. *Comparatio* cum veteribus *Germanis.* 12. *Templa* & *Collegia* à Patribus Societatis exſtructa, & 13. inprimis *palatium Regis* more Europæo, admirationi fuêre. 15. Cupidi ſunt *bonarum artium.* 17. Quid *Rex Æthiopiæ* potiſſimum deſideret.

1 SEd nullâ re magis opus habent : & nullâ magis carent,
quàm opificiis; adeoque tot commodis vitæ humanæ de-
2 ſtituuntur, quot nos abundamus artibus. Judæi ferè ſoli
texturam xylini exercent: præterea haſtas & alia hujuſcemo-
di ferramenta fabricant; optimi enim fabri ferrarii ſunt. invi- *B.T.I,15.*
ſum aliàs Habesſinis opificum genus & probroſum.[p] cauſa
3 in incerto. Cæterùm quilibet ſibi ipſi neceſſaria parat, ſive
domeſticorum, ſive mancipiorum miniſterio; quod in tam
paupere hujus gentis œconomiâ facile eſt. Magnates autem
4 ſervos habent ad neceſſaria paranda idoneos. Nullæ igitur
opificum ſocietates hîc dantur, quæ in noſtris Rebuspubli-
cis tam frequentes ſunt: legesque in ſuum alumnorumque
ſuorum magis, quàm in Reipublicæ commodum faciunt.
5 Peritorum enim & imperitorum, æquorum & iniquorum
apud nos eadem eſt conditio; quia iisdem legibus conſtrin-
guntur: & veluti monopolium quoddam artis ſuæ exer-
cent, ut in illorum ditione ſint reliqui cives, & legibus illo-
6 rum quaſi parere cogantur. At in Habeſſiniâ, quam quisque
artem exercet, eam liberos ſuos docet: Tubicines & Bucci-
natores ſemper ejusdem familiæ ſunt, ſuamque ibi regionem 1,3,13.
7 & certas ſedes habent. Architectura olim ſatis nota fuit,
ut ex ruinis urbis Axumæ, & magnificorum templorum è vi-
vis ſaxis excavatorum ſtructuris apparet, de quibus ante hac 2,5,10.
8 dictum; at translato ad Amharenſes Imperiô exolevit. Re-
ges enim deſertâ Axumâ, per crebra & longinqua itinera ca- 2,13,1.
9 ſtris aſſueti, ſub tentoriis vivere maluerunt. Poſt Adelenſia
bella, & Gallanorum irruptiones, Habeſſini omnium ferè
bonarum artium obliti, cavernas & ſpeluncas montium ma-
10 gis, quàm ſplendida ædificia cogitaverunt. Planè igitur in 3,6,49.
Habeſſinos quadrant, quæ *Tacitus* olim de noſtris Germanis *Germ.c.16.*
11 ſcripſit, cujus verba hûc applicabimus: *Nullas Habeſſinorum*
populis urbes habitari ſatis notum eſt, ne pati quidem inter ſe
junctas ſedes. Colunt diſcreti atque diverſi, ut fons, ut cam-
pus, ut nemus placuit. Vicos locant non in noſtrum morem,
connexis & cohærentibus ædificiis, ſuam quisque domum ſpa-
tio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſci-

 tiâ

p) Gregorius id affirmabat ſubridens, & ajebat: *Simplicem plebem fabros ferrarios odiſ-ſe tanquam ignifpices & alumnos inferni.*

tiâ ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus, materiâ ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem. At Patres Societatis, collegia sua 12
Europæa animo agitantes, Architectum ex Indiâ secum adduxerunt: & repertâ calce, tot seculis Habessinis ignota, ex
B.T.IV,22. cæmentis templa & collegia ædificare cœperunt, eaq; muro
circumdederunt, stupentibus miseris Habessinis atque verentibus, ne in arces atque castella inexpugnabilia excrescerent.
2,12,4. Sed summam admirationem injecit Palatium Regi ædifica- 13
Id.IV,13. tum; cujus præcipuus artifex fuit P. Petrus Pays, architectus & opifex æquè sedulus, qui non solùm totum opus rexit, sed
p.335. ipse manum admovit, & opifices opus suum facere docuit.
Sic palatium extructum fuit; ad quod visendum omnis ge- 14
neris mortales è longinquis oris advolaverunt. Magnum 15
autem desiderium Habessinos habere opificiorum, ad pacis
A.1524. & belli usus, constat ex epistola Davidis ad Johannem III.
Lusitaniæ Regem,[q] quâ petiit: *Typographos, armorum & gla-* 16
diorum fabricatores: Architectos; Fabros lignarios: Medicos & Chirurgos: Aurifabros, Metallarios, & Tegularios. Gemmarios non petiit, indiciô quòd lapillos Abassia non
haberet. Et Gregorius ab *Ernestô* Saxoniæ Duce p. m. inter- 17
rogatus: *quid Rex Habessiniæ è rebus Europæorum potissimum exoptaret?* ጥበባት: respondit, i. e. *artes & opificia*; satis intelligens, neque mercaturam, neque alias bonas artes commodè coli & exerceri posse, nisi operâ opificum accedente.

CAP. VI.

De itineribus & profectionibus Habessinorum, & de ratione itineris in Habessiniam.

1. *Peregrinationes* hodie non ita frequentes, 3. ut olim; 4. ob *Turcas* infestos. 7. *Mulis* conficiuntur itinera. *Vehiculorum*, & 10. *Diversoriorum* nullus usus. 11. *Lepidus casus* Romæ inter Habessinos & cauponem. 16. *Hospitalitas* Habessinorum, 17. aliàs Christianis commendata. 20. *Iter* in Æthiopiam cur periculosum. 22. Ejus *ratio*. 23. Quæ *loca terrâ* transeunda. 28. *Tutius* iter per *mare rubrum*. 29. Aliud *brevius*, 30. quo *Metropolita* utitur. 31. Aliud per *Oceanum*, 33. & portum *Baylur*. 34. *Zeylanus* intutus. 35. Et multò magis alii.

IN tantâ tamen exoticarum rerum atque artium inopiâ Ha- 1
bessini extra patriam suam sponte non proficiscuntur;
ignorantiâ peregrinarum linguarum atque regionum; neq; 2
enim

q) Reperitur in Alvarezio & Hispan. Illust. Tom. II. p. 1297.

enim Europęas nationes diſtinguere poſſunt: Francos omnes vocant, & religionem Latinam colere autumant. Mercatores tantùm Anglos & Hollandos à Luſitanis diſcernunt. Nec collybi, aut literarum curandarum rationem ſciunt. Adhæc, periculoſiſſimis per tot deſerta itineribus, paupertate ſua de-
3 terrentur. Olim quidem frequenter ſacrum iter Hieroſolymā, & exinde Romam ſuſcipiebant, cùm Mammalucci Ægypto potirentur, quorum regimen æquius, & tutiora eo tempore e-
4 rant itinera. Nunc *Turcarum avaritiâ* omnia turbantur; Pręfecti illorum, homines plerumq; viles atq; ſordidi, qui Præfecturas inſularum maris Rubri, vel ſuperioris Ægypti ære emerunt, ſine ullo juris & æqui ſenſu, iter facientes vexant, & mercatoribus ſuccum & ſanguinem, hirudinum more, ex-
5 ſugunt; nullâ neque ſucceſſorum ſuorum, neque inſularium aut ſubjectorum curâ, quamvis commercia planè interirent, & ſocietas humana tolleretur; modò unus omnia, ſucceſſor nihil adipiſcatur. tales Rectores pati coguntur miſeri illarum
6 regionum mortales. Rari igitur hodiè ſunt Habeſſini Hieroſolymam tendentes; quamvis enim illic à Turcarum exactionibus paulò liberiores ſint, ab egeſtate eò magis vexantur; nam reditus, à priſcis Habesſinorum Regibus conſtituti, à Turcis pridem intercepti fuerunt, ut fame mori cogantur, niſi eleemoſynis quæ modicæ illis in locis ſunt, ſuſtententur.
7 Cæterùm in Habeſſiniâ mulis tantùm itinera confici ſupra I,10,11.
diximus. Nec ullum animal, in tot confragoſis montibus, hominibus ſarcinisque vehendis aptius, ubi nullus carrorum, plauſtrorum, carpentorum, aliorumque vehiculorum uſus
8 eſt. Equi ad prælia & decurſus equeſtres ducuntur. Rhedas noſtras mirabatur Gregorius. Eſſedum, quô ille mecum vehebatur, ቤት: *Bêt*, Domum vocabat, optans, ut ſe talis do-
9 mus in Æthiopiam usque comitaretur. Magnates & opulentiores omne inſtrumentum domeſticum in mulis ſecum vehunt, ubi nox eos deprehendit, ibi tentoria figunt. Ignes Alv.c.25.
10 faciunt absterrendis feris. Pauperes mendicando regiones peragrant. Nulla enim hoſpitia vel diverſoria uspiam dantur. Cauponariæ ignari ſunt; ideò res lepida Romæ contigit. Habeſſini ſimpliciores, modò ex Oriente appulſi, animi
11 causâ in ſuburbio deambulabant. Ibi à caupone quodam invitabantur. Illi invitationes nonniſi gratuitò fieri putantes, hominis hoſpitalitatem primò mirantur: dein ſtudio pere-

grinarum rerum, & deſiderio videndi ſui id fieri cenſentes, cauponam ingrediuntur, quicquid apponitur, bono & hilari animo acceptant: tandem abire volentes, compoſitam ora- 12
tionem, & urbana verba meditantur, quibus unus ex illis, linguæ gnarus, officioſas tam liberali hoſpiti gratias ageret, eumque multis benedictionibus bearet. Cùm verò caupo 13
orationi parumper auſcultaſſet: neque ullam pecuniæ mentionem fieri audiret, verborum, quantumvis elegantium, pertæſus, *Domini! quis ſolvit?* interrogat. Illi attonitis ſimiles 14
reſpondent: *ſe non ſuâ ſponte cauponam ingreſſos, ſed ab illo, nullâ ſolutionis mentione factâ, invitatos: illumque, cibos & varia vina apponentem, nihil pecuniæ ſtipulatum eſſe, ſe enim illâ carere.* At ludibrio habiti, pallia pignori relinquere coa- 15
cti, eaque Pontificis ære redimenda fuerunt, non ſine aulicorum irriſu.

Attamen non omnis hoſpitalitatis Habesſini prorſus 16
ſunt expertes, quippe in pagis alternis vicibus hoſpites conſtituuntur, qui pauperes peregrinantes ſuſcipiant. Et ſanè *ho-* 17
ſpitalitatis ſtudium Chriſtianis Apoſtolicâ doctrinâ ſummopere commendatur, ut exules peregrini: belli, vel aliarum calamitatum causâ patriâ extorres, ſuſtententur. Nec charitati 18
Chriſtianæ defuerunt majores noſtri, *Xenodochia* magnifica per Europam fundantes, atque reditibus amplisſimis ditantes; modò ubique legitimè in uſus, quibus deſtinati ſunt, adminiſtrarentur.

Operæ pretium nobis videtur, itinera hoc loco deſcribe- 19
re, tam terreſtria, quàm maritima, quibus in Æthiopiam venitur. Difficillimum autem & moleſtiſſimum, plurimisque 20
periculis ſubjectum eſt iter terreſtre ex Ægypto in Habesſi-
n.4. niam, cum ob Turcarum concusſiones, ut modo diximus:
tum ob vagarum nationum latrocinia, & cœli ſolique in- 21
temperiem; quamvis olim, cum regna & præfecturæ illorum locorum meliùs eſſent conſtitutæ, ſatis frequentatum fuerit. Dantur tamen adhuc hodie mercatorum *turmæ* (*caſilas* 22
vel *carovanas* vocant) qui, ſicut ego accepi, *Cairô* ſolventes, navibus adverſo Nilo *Monfallotum* vel *Girgæum* usque ſubvehuntur: dehinc terreſtri itinere *Sijut* & ſequentia oppida 23
petunt:

Loca.	Itinera diurna.	Loca.	Itinera diurna.
Wach	3.	*Sellim*	3.
Meks	2.	*Moſchu*	5.
Scheb	3.	*Dungala*	5.

quæ

24 quæ Metropolis Nubiæ cenſetur. Inde in Regnum *Sεnnar*
pergunt, quod Regi Muhammedano paret, Habesſinorum
nunc vicino: interdum etiam hoſte, ac ideò erga Europæos 2, 18, 2.
25 ſuſpicace. Dungalâ igitur

Kshabi	3.	*Helfaje*	1.
Korti	5.	*Arbatg*	3.
Trere	3.	*Sεnnaar*	4.
Gerri	1.		

26 *Wachâ* usque in Sεnnâram mercatores, multis in locis mer- *f. n.* 23.
cium causâ morantes, tres plerumque menſes inſumere ſo-
lent, cùm tamen in Dromedariis, ſi nihil ſit quod iter remo-
27 retur, longè celeriùs pergere poſſis. Ex *Sεnnara* quatuor-
decim diebus ad fines Habeſſinorum pervenitur. *Tshεlga* in-
28 troitus dicitur. Sed tutius & brevius iter eſt per Mare ru-
brum, modò rationem cum Turcis agendi ſcias. Duplex au-
tem iter eò datur; nam *Cairô* vel *Sueſſum* Maris rubri portum
mercatores proficiſcuntur: dehinc triremibus vela faciunt
verſus *Giddam* alium maris illius portum: exinde *Suaqenam*
29 & *Matzuam* petunt: vel, ſi tam diu in mari hærere nolint,
Cairo Girgææm tendunt: inde terreſtri itinere *Ginnam*, duo-
bus: & *Alcoſſir* quatuor diebus perveniunt: quo loco na-
30 vigia dantur, quibus Giddam, & ita porrò navigatur. Hâc
via Metropolitæ uti ſolent, ſicut fecit Abdelmeſih An. cIↄ Iↄc
LXII. cum quibus tutiſſima commeandi ratio eſt, ſi quis Eu-
ropæorum in Abaſſiam proficiſci voluerit. Michael Habes-
ſinicus ad Turcarum Imperatorem Legatus, Thevenotio di-
xit: [r] Sesquimenſe Guendrâ in Suaqenam inſulam: dehinc
quadraginta vel quinquaginta diebus Cairum terreſtri itine-
re perveniri poſſe. Sic trimeſtre iter è caſtris regiis Cairum us-
31 que eſſet. Aliud iter maritimum eſt per Oceanum circum A-
fricam; ſed prius in Indiâ alicubi appellere oportet, ut illinc
in ſinum Arabicum juſto tempore navigare posſis. Multi
hoc iter, utut moleſtisſimum, pręferrent; ſi modò ipſi Habes-
ſini aliquem portum in ſua poteſtate haberent, ne Turcarum
32 arbitrio peregrinantes ſe committere cogerentur. Qui
Moccham Arabiæ portum pervenêre, in occaſiones trajici-
endi intenti eſſe poſſunt; Matzua enim è regione ſita per op-
33 pidum Arkiko facilem introitum præſtat. Nam ex India in
Suaqenam tendentes regredi eâdem viâ in Matzuam opor-
tet. Nec malè quis fecerit, qui Baylurum Dancalenſium,
amicæ

r) Voyage du Levant P. II. c. 68, ubi malè Gontar pro Guender.

amicæ Habesſinorum gentis, portum tenuerit, niſi quod iter
in Æthiopiam longius & Gallanorum latrociniis infeſtius
eſt; quos tamen bono ſclopetariorum comitatu munitus ti- 34
mere neceſſe non habet. Remotior eſt portus Adelenſium
Zeyla, & planè intutus, ob ferale odium, quod cum Habes-
B.T.IV,29. ſinis exercent, idque capitis ſui jacturâ experti ſunt duo Pa-
tres Societatis, quibus iſte portus per errorem pro Baylurenſi
nominatus fuerat. Cæteri meridiem verſus ſiti portus, *Me-* 35
linda, *Magodosha* & alii, ab Abasſia remoti nimis ſunt. Ad-
hæc plaga illa indomitis & efferis planè gentibus habitatur,
quarum Reguli continua inter ſe bella gerunt: & in peregri-
nos omnes tanquam in exploratores ſæviunt; nec ullus iti-
2,16,24. neris dux ibi reperitur. Si denique (ut ſupra retulimus) Le- 36
gatus Neguçi, cujus aliqua inter vicinas gentes veneratio eſt,
auctoritate & literis Regiis munitus, cum P. Antonio Fernan-
dezio ex mediterraneis ad littora Oceani permeare nequivit,
quis ſperaverit, aliquem è littore Oceani ad interiora per in-
feſtas gentes penetrare poſſe?

CAP. VII.

De mercaturâ & mercium permutatione in Habeſſinia.

2, *Arabes* præcipuè: 3. poſt eos *Armeni mercaturam* in Abaſſiâ exercent. 4. *Permutationibus* omnia fiunt, 5. Auri: 8. Ferri: & ſalis foſſilis. 10. *Merces* quæ importantur; & 11. exportantur.


EX his, quæ modò diximus, facilè conſtat Æthiopes no- 1
ſtros mercaturæ quoque expertes eſſe. Nam qui pere-
grinas oras non adeunt, lucra aliis cedere neceſſe habent; ea
enim ſuâ ſpontè non veniunt, ſed quærenda ſunt. Igitur A- 2
rabes, qui emporia Maris rubri incolunt, maximè Muham-
medani per totum Regnum ſparſi, mercaturam in hoc regno
exercent; quia illis ob communia ſacra à Turcis & Arabiæ
regulis liber transitus, per omnes illius Maris portus, conce-
(19) ditur. Poſt hos Armenii cultu divino Habeſſinis ferè con- 3
formes: & mercandi per orbem terrarum periti, primas te-
nent. Hi merces varias important, aurum verò omne expor-
tant, ut mirum non ſit tantâ Æthiopes laborare paupertate.
Nihil enim neque auri neque argenti introrſum vehitur, ſed 4
mercibus Indicis tantùm permutatio fit. Et quia nulla in 5
Habeſſinia moneta cuditur, ſimpliciores & agreſtes aurum,
quod

quod fortè in fluminum arenâ: vel radicibus arborum, &
arundinum repererunt, mercatoribus vili pretio concedunt.
6 Nam ſi bonitatem negat mercator, permutant pro merci-
bus, quanti poſſunt, quæſtu apud negociatores manente.
7 Peritiores verò & nobiles aurum lapide Lydio, quem ſemper
ſecum habent, probant, & ſecundùm uncias appendunt, &
computant. Æthiopicam ወቄት: *Vnciam*, Patagonem Hi- (20)
ſpanicam juſti ponderis, [f] ſive Imperialem noſtrum Dalerum
8 pondere æquare, dicebat Gregorius. Igitur permutatio in
Habeſſiniâ frequentior eſt quàm emtio & venditio, quæ
nonnunquam ferro, ut plurimum verò ſale foſſili fit, qui ple-
risque in regionibus pecuniæ loco eſt, quo omnia compa-
9 rare poſſis. In remotioribus Æthiopiæ partibus cum duo- 1,7,11.
bus vel tribus *ſalis* lateribus bonum mulum commutant.
10 Olim *piper* hunc uſum habuit, ut Alvarez teſtatur. Merces
autem quæ importantur, ſunt omnis generis veſtes Babylo-
nicæ, holoſericæ, ſericæ, ſed inprimis laneæ & coccineæ,
quas magnates purpuræ loco, (cujus tingendæ ratio hodie
ignota) geſtare amant: aromata, & privatim piper, quod
inſipidis ſuis cibis condiendis appetunt, quæque aliàs Aſia &
11 India fert. Quæ exportantur paucæ ſunt. Præter aurum,
pelles, coria, mel, cera, ebur, & vix aliud quicquam notatu
dignum. Plura ſine dubio darentur, ſi de mercaturâ ſolliciti
eſſent Reges Habesſinorum, & vectura commodior redde-
12 retur. Merx optima & importatu maximè neceſſaria foret
*ingeniorum cultura & linguæ Latinæ doctrina, cum artibus
& opificiis* noſtris, quibus res Chriſtianorum efflorescerent,
barbarorum contrà deprimerentur.

Excitet D. O. M. Principum noſtrorum animos, ut per-
vetuſtæ huic Chriſtianæ nationi opem ferant, Chriſtianiſmo
in tam remotis mundi partibus proferendo utilem: ſibique
omni ævo glorioſam futuram.

f) Pezza d'otto. Stück von achten/ vel Spanische Matten.

F I N I S.



Bucus

D.

Dia-

Hie-

G.

H.

I.

K.

L.

inſcri-

N.

Q.

R.


Jus

T.

TEL-

INDEX.

V.



INDEX



INDEX

Æthiopicorum, Amharicorum aliorumque Orientalium vocabulorum, nullâ radicalium aut servilium habitâ ratione, secundùm literas initiales dispositus.

Rationem inquirendi habes in Indice Latino.

A. Amharicum vocabulum significat. *N. pr.* Nomen proprium. *V.* Viri. *N. lib.* Nomen libri. *Præf.* Præfecturam.

ሠ: ס س

ረ: ר ر

ሰ: ش ש

 ታቦር :

ኢቴ:

I N D E X.

ደዋ:

Operarum Typographicarum Errata præcipua à nobis observata ita corrigito:

Proœm. §.7. 2,16,3. & 2,1,2. *leg. Armenio pro Armeno.*
1,3,1. *l. recensentur pro recensetur.*
1,7,14. *in not. lin. ult. l. c.2. in not. pro c.1.*
1,8, *in summar. §.26. l.* non *immixtus pro immixtus.*
1,8,52. *l. plerasq; pro pleraq;.*
1,8,20. & 23. *l.* Sahalæ *pro Sabalæ.*
1,15,11. *l. addiscere pro addiscescere.*
ibid. 15. *l. Phœnicibus pro Phænic.*
ibid. 23. *l. mores pro moris.*
1,16,51. *l. conficiuntur pro conficiuntue.*
2,1,3. *l. Chronologis pro Chronologicis.*
2,1,18. *lit. c. in not. l. Leonhardi Rauchvvolfii pro Hieron. VVolfii.*
2,4,33. *l. imperfectè pro imperfecta.*
3,2,27. *l. alterum Indorum, alterum Axumæ prædicatorem.*
3,5,11. *l. Francia pro Francca.*
ibid. 17. *l. pregaçoens pro pregaçœns.*
allegaçoens pro allegaçœs.
sermam pro serman.
ibid. 25. *l. Gatz pro Gaz.*
ibid. 24. *l. aliaque pro aliaqua.*
ibid. 46. *l. VI. pro VII.*
ibid 56. *l. habeant pr. habent.*
ibid. 73. *l. spiritibus pro spiritualibus.*
3,6,10. *l. hebdomadis p. hebdomatis.*
ibid. 17. *l. inter quæ pro quæ.*
3,8,50. *l. immitis pro immittis.*
ibid. 16. *l. solvere pro vere.*
4,1,11. *secuti simus pro secutissimus.*
ibid. 20. *l.* Babst *pro* Bapst.

In Æthiopicis hæc emendanda.

1,8,10. *l.* ግዮን & ግዮን *pro* ግዮን & ግዮን:
2,13,10. *l.* ጠሞራ: *pro* ጠሞራ:
3,1,35. *l.* ቅሙራት: *pro* ቅሙራት:
3,4,46. *l.* ስብሐ: *pro* ስብሐ:

FINIS.

Kohler usw.

